6
9 L
37

9-6.a.20

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
IN REGULAS ET USUM
CRITICES,

In quibus agitur de multiplici via & ratione ſecernendi veras Traditiones a falſis; necnon revocantur ad judicium multæ opiniones piæ de Geſtis Jeſu Chriſti ab ejus Conceptione uſque ad Mortem.

ACCEDUNT NOTATIONES HISTORICÆ, CRONOLOGICÆ, ET CRITICÆ.

AUTORE

R. P. HONORATO A S. MARIA,

CARMELITA DISCALCEATO EX PROVINCIA AQUITANIÆ;

INTERPRETE E GALLICIS

Viro Religioſo ejuſdem Familiæ ex Provincia Venetâ.

TOMUS SECUNDUS.

AD USUM
FR. A. BENTIV.
SUÆQ. COMMUN.

VENETIIS, CIↃIↃCCXXXVIII.

EXCUDEBAT FRANCISCUS PITTERI,
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

PROŒMIUM

In fronte hujus Voluminis ab Autore collocatum.

CRitica Diſciplina, quæ altero pene abhinc ſæculo lumen ſuum in quodlibet ſtudiorum genus afferre cœpit, omni ope atque opera enixa eſt, ut pleraſque Traditiones pias concuteret, immo dejiceret. Cum etenim vetuſtæ obſervationes iſtæ uno fultæ eſſent Chriſtianorum erga Eccleſiaſticos Superiores obſequio, tanta vi & facultate præditæ non erant, ut ſe adverſus ſeveræ Critices impetus tuerentur: adeoque iſta, ad ſemetipſam revocato piarum opinionum ſummo judicio, contendit pariter, inſtruendas eſſe Legum ſuarum præſcripto lites ejus, eaſque ſecundum editam ante Tribunal ſuum ſententiam vel recipiendas, vel rejiciendas.

Critici quoque ætatis poſtremæ, aſſumta ratione Hiſtoriam expurgandi ab innumeris Traditionibus vulgi, & fabuloſis narratiunculis, quæ irrepſerant in eam vel Scriptorum negligentia, vel Deceptorum malitia, vel tandem immoderata Populorum credulitate; Sanctos mores non paucos a ſuperſtitioſis inſtitutionibus non internoverunt; & fulminantis Critices ſuæ præceptis innixi, in eo laborarunt, ut quidquid exquiſito, ut ſibi videbatur, rerum ſenſui, ingenioque ſuo minime conſentaneum exiſtimabant, proſcriberent. Quonam pacto, ajebant, tot incertis Factis, ſuſpicioſiſque Sanctorum hiſtoriis aſſentiri? Qui Fidem adhibere poterit tot prodigiis, quæ fidem omnem videntur prætergredi; tot Reliquias colere, vel tot pias opiniones amplecti, pro quibus non ſpondent niſi Scriptores, aut a fonte rerum longe admodum diſtantes, vel immodica credulitate laborantes?

Ut autem ad rectum quoddam æquitatis veluti medium ſeveriorem hanc Criticen redigeremus, & eradicato lolio ſegetem bonam ſervaremus, quinque præſtanda erant.

Primo oſtendere, Criticen, ſi ferendum judicium ſit ex principiis, a præclaræ Artis hujus magiſtris conſtitutis, atque eorundem uſu in Libris ſuis, nondum ad illud æquitatis accurationiſque faſtigium aſcendiſſe, ad quod eam ætate noſtra jactant evectam, vitioſiſſimam adhuc eſſe minuſque tutam; quoniam cum

fundamenta ipſi ſuppoſita maxime ambigua ſint, non poſſunt argumenta inde depromta ſatis firma eſſe & conſtantia.

Deinde originem aperire errorum quamplurium, qui e plerisque Criticis Operibus paſſim emergunt, tot inutilium concertationum, oppoſitarum ſententiarum, perpetuæque de eodem hiſtorico Facto, vel Opere, varietatis. Oportebat etiam planum facere, plerosque recentiores Criticos tot vitiorum genuinos fontes eſſe, a quibus Critica Doctrina expers nequaquam eſt. Quid etenim aliud pronunciandum eſſet, ſi animum attenderemus ad reſponſa minus æqua, quibus teſtimonia Patrum eludunt; ad circuitus anfractuſque, quibus ea infirmant; ad ſenſa, quæ ipſis affingunt; ad pravum ipſorum verborum uſum; exiguumque erga eorum autoritatem obſequium? Urgebat item retegere, eos germanæ haud raro Critices enunciata neglexiſſe, eaque vel interpolaſſe, vel oblitos eſſe, ut opiniones ſuas tuerentur, vel adverſarias refutarent.

Non tamen ſatis fuiſſet, Legum uſuſque Critices vitia cognoviſſe, eorumque fontes indicaſſe; niſi remedium eis aliquod afferremus, atque indiceremus ſectandas vias, ut Ars hæc tutior redderetur, ejus regulæ minus ambiguæ, æquabilior uſus, atque argumenta ſolidiora. Tandem in rem erat principia ponere, quibus ſecerni poſſent veræ Traditiones Eccleſiaſticæ a falſis, atque ab incertis, quæque vulgi tantum ſermone invaluerunt.

In primo Animadverſionum mearum Volumine contendi nervos omnes, ut tres priores conſilii mei partes implerem. Num ſuſcepta res mihi proſpere ceſſerit, publicum judicium ſit: Ut ut tamen ſe res habeat, duo mihi ſunt adhuc præſtanda. Primo, ut recenſeam præcepta ferenda pro recto diſcrimine piarum Traditionum, & veterum errorum. Secundo, ut præcepta iſta ad ſingularia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Facta referam diligenter.

Præcepta hæc hujuſmodi eſſe debent, ut eis obtemperantes, non cogamur recedere ab obſervationibus multis, paſſim in Eccleſia receptis; vel laude dignas venditare alias, quæ omnino explodendæ ſunt. Intereſt, ut regularum iſtarum præſidio conſtitui poſſint Facta probanda, quin hoc loci deſtruas, quod alibi conſtruxiſti; tribui Autorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis debitum pondus, quin plus ſatis excedas; Critices uſus ſibi effici ſimilior, accuratior, utilior; incommoda tandem & ſcopuli cum intemperantis Critices, tum nimiæ credulitatis evadere. Atque hoc eſt Voluminis iſtius prioris Libri argumentum.

Tri-

Tribus conſtat Diſſertationibus. In prima refero modos illos, quibus ab omni vetuſtate Eccleſia uſa eſt, ut vulgares Traditiones cohiberet, eaſque dignoſceret. In ſecunda expendo pronunciata illa, quæ ætatis noſtræ Critici adhibuerunt. Spero itaque fore, ut planum faciam, eas ulterius tendere, quam par ſit; incommodis non paucis obnoxia eſſe; & non minus evertere Hiſtoriam Eccleſiæ, quam Facta pleraque, ab ipſis in Operibus ſuis conſtituta. Sequentur in tertia Diſſertatione regulæ a me propoſitæ & probatæ, quibus piæ Traditiones, quas jure ac merito amplecti poſſumus, cognoſcantur, & non permiſceantur cum iis, quæ vel in vulgi duntaxat rumoribus fundamentum habent, vel ſuperſtitione non carent.

Ut autem conſilium iſtud omnibus numeris abſolveretur, reliquum erat, Regulas iſtas ad Facta peculiaria, piaſque Traditiones accommodare Quo in loco id non aggredior, ut eas propugnem, quæcunque apud Scriptores Eccleſiaſticos reperiuntur, ſive in Libris Eccleſiæ uſui deſignatis, ſive tandem alicubi obtinuerunt: præterquamquod etenim id nos plus ſatis detineret, perſuaſum habemus, plures earum eſſe, quæ regularum a me conditarum vi defendi nequirent. Quare nonnullas tantum ex præciputis penſitabo, quæ a Criticis tanquam falſæ, vel deſperatæ defenſionis rejiciuntur.

Porro piarum Traditionum nomine complector quædam Facta ſolum hiſtorica, necnon ea, quæ attinent ad Acta Martyrum, Geſtaque Sanctorum, Reliquias eorum, & portenta: quemadmodum mores, ſanctas inſtitutiones, ſolemnitates in honorem Dei, Mariæ Virginis, & Sanctorum hominum celebratas, quæ conferunt ad pietatem excitandam, Fideles optimis exemplis imbuendos, vel revocandam quorundam Factorum memoriam, quæ affinia ſunt Religioni: ſive hæc tacita Eccleſiæ conſenſione probata ſint, ſive in Martyrologiis, Breviariis, aliiſque ejus uſui deſignatis Libris comprehenſa. Quo plane intellectu *Traditiones Eccleſiaſticæ* vocari queunt.

Hæ itaque piæ Traditiones argumentum II. III. & IV. Libri ſufficiunt. Orſus ſum ab Ethnicorum Oraculis, quæ Chriſti nativitatem præceſſerunt; atque iſtorum Originem, Dæmoniſque in eis afflatum expendo. Conſtituta nempe Patrum de hiſce Oraculis Traditione, & multiplici ratione probata, perſpicue oſtendo, integrum non fuiſſe Fontanellæ ſuper hac quæſtione in partes ire, ejuſque opinionem non ſatis obſequii vetuſtis Scri-

pto-

ptoribus Eccleſiaſticis deferre. Tranſitum deinde facio ad Sibyllarum Oracula pro noſtra Religione, atque argumentis non pœnitendis efficio, Gentilium Vatum iſtarum carmina, ab Eccleſiæ Patribus laudata, ipſis ſuppoſita minime fuiſſe; & Traditionem iſtam Criticis regulis conjecturiſque confirmo. Libro tandem huic finem impono, perſpecta falſitate Oraculorum, quæ Regi Thulis, atque Auguſto Imperatori fuſa fuiſſe dicuntur.

Liber III. diſputat de Traditionibus, quæ ad Jeſum Chriſtum attinent, & de nonnullis ejus Vitæ geſtis a Conceptione in utero Virginis uſque ad Baptiſma. Non ſatis habeo, trutina diligenti examinare diem & menſem, quibus ex Traditione conceptus fuit; atque an Eccleſia a primis ſæculis Feſtum hoc VIII. Kal. Aprilis celebraverit; ſed an etiam Domus, in qua Myſterium hoc ſummum perfectum fuit, extet nunc Laureti in Italia. Ad hæc ſermonem inſtituto de Traditionibus multis, ad Salvatoris noſtri Ortum, Circumciſionem, Magorum cultum ipſi præſtitum, ejus in Templum Præſentationem, fugamque in Ægyptum ſpectantibus.

IV. & poſtremus Liber lance ſuſpendit Traditiones non paucas, quæ ſuperſunt de Baptiſmo Jeſu Chriſti, de prodigio primo in Canæ Galileæ nuptiis patrato, de ejus ad Abgarum Epiſtola, nec non Abgari ad ipſum; denique de Imagine Redemtoris Edeſſena, deque Simulacro ipſius Paneadis erecto. Ultima cœna, a Chriſto Domino cum ſuis Diſcipulis celebrata, obtulit opportunitatem retractandi duas celeberrimas controverſias, nuperis diebus vehementi ſtudio ab Eruditis diſceptatas; quarum prima eſt: utrum Jeſus Chriſtus Agnum Paſchalem comederit pridie, quam mortem oppeteret; altera: utrum Eccleſia Latina perpetuo adhibuerit in Sanctis Myſteriis panem azymum. In utraque mihi viſus ſum poſſe Sapientum omnium iſtorum ſententiis nuntium remittere, ut Eccleſiaſticæ Traditioni adhærerem. Quamquam etiam omnis Eruditorum turba hactenus crediderit, Græcos ætate omni in pane fermentato rem divinam feciſſe; puto tamen neminem moleſte laturum, ubi augurer aliquibus conjecturis, Eccleſiam ipſam Græcam ſex prioribus ſæculis azymi panis uſum habuiſſe, atque hunc immutaſſe tantum ineunte ſæculo ſeptimo.

Cum pariter non pauca apud Antiquos momenta repererim, quibus defenderem Traditionem de uſu veſtium Sacrarum & peculiarium in Myſteriorum Sanctorum celebratione, e re non eſſe arbi-

arbitratus ſum, illam d eſerere, etſi Scriptoribus multis arrideat placitum huic oppoſitum: non tamen propugnare volui, Jeſum Chriſtum in Euchariſtia inſtituenda veſtimenta mutaſſe. Pro re nata hujus extremæ cœnæ, verba facio de Hymno, quem cecinit Jeſus cum Diſcipulis ſuis, ut gratias ageret Patri; mihique ſimillimum vero ſit, præclarum Canticum iſtud legi capite XVII. Evangelii S. Joannis.

Sive Sancta Jeſu Chriſti Facies, Romæ aſſervata, impreſſa fuerit in Linteo, ipſi ad Calvarium eunti, & ſub Cruce languenti, a pia quadam fœmina oblato; ſive alia plane ratione ad nos pervenerit; illud tamen ratum & conſtans eſſe debet, Sanctam Imaginem iſtam ante annos mille Romæ coli; Summoſque Pontifices, firmamque Eccleſiæ Traditionem fateri, illam e Chriſti vultu expreſſam fuiſſe. Explicit Volumen iſtud quibuſdam animadverſionibus in Inſcriptionem, quæ viſitur ſub quodam Exemplo hujus Imaginis Salvatoris, quod ad hanc diem extat Monſtrolii.

In Calce hujus Tomi acceſſit Epiſtola Tournemini Jeſuitæ ad me perhonorifice data ſuper controverſia, quæ multorum ætatis hujus Litteratorum ſtilum exercuit, an Jeſus pridie mortis ſuæ Paſcha Legis peregerit. Rem nanque iſtam agit eruditus hic Societatis Jeſu Vir Religioſus perſpicuitate, accuratione & vi tanta; ut ſi mea ſuis argumentis reſponſa poterunt ipſi facere ſatis, publicumque ſuffragium ferre, in ſpem non mediocrem inducor, ut poſtrema hæc Operis mei pars utilior aliis futura ſit.

Jacta paucis Voluminis totius informatione, propoſitoque conſilio meo, unum eſt reliquum, ut rationem oſtendam, qua illud executus ſum. In fronte cujuſvis Diſſertationis enumero varias de re illa opiniones; Autores recenſeo de eadem diſſerentes, & plerumque Libros memini, quos ea de controverſia ſcripſerunt. Si quidem Opus meum in manibus tantum verſari deberet hominum Litteratiſſimorum, ab his omnibus abſtinuiſſem; & abſque hac, Sapientibus haud ignota, enumeratione, controverſiæ caput dijudicare ſatis habuiſſem. Sed cum non deſint, qui inſtituti de his haud ſunt, quæ utrinque in diſputationibus proferri ſolent, atque ignorant Libros de re tractantes; iccirco viſa eſt mihi methodus hæc ipſis utilitatem allatura; quantumvis nihil prodeſſet niſi libris cognoſcendis, atque, ubi res poſcat, conſulendis.

Quandoquidem vero ſæpenumero, ex principiis & propoſito

consilii mei, amplecti cogor opiniones, ab aliis Sapientum multorum apprime abhorrentes, nihil prorsus omisi, ut veritati, justitiæ, atque obsequio debitum morem gererem. Veritas me adigere nequit, ut approbem quod æquum mihi non videtur, & scrupulos dissimulem, qui super variis Eruditorum sententiis oriri possunt. Quare ut veritati fasces submitterem, jus esse mihi existimavi, in partes rapi, quamvis aliorum Eruditorum partibus adversentur, & non dubitem ab eis deficere, immo cum illis congredi. Num jure agam, penes Litteratorum Rempublicam judicium erit. Illud saltem pro certo habeo, ipsi persuasum iri, me rectas tantummodo vias & rationes iniviſſe ad ea statuenda, quæ profero; neque ad alia unquam me recepisse principia, præterquam ad ea, quæ justa, accurata, temperans & æqua Critice requirit. Aliorum opiniones, quanta potui, maxima fide enarrari; studiumque non leve posui, ut Autorum, quos laudo, sensa optime assequerer, & nunquam detorquerem: qua in re sane, ut mihi videor, officii mei conscientia fruor. Postremo loco de Viris Sapientibus summa animi veneratione, circumspectoque judicio pronuncio; & quamvis ipsorum sententiis non semper assentiar, nihil tamen de exquisitæ ipsorum eruditionis fama detractum volo.

T. A.

TABULA
DISSERTATIONUM
IN REGULAS & USUM CRITICES,

Quas complectitur Tomus Secundus.

LIBER PRIMUS.

De multiplici via, & ratione ad veras, & falsas Traditiones internoscendas.

DISSERTATIO PRIMA.

De Traditionum notione, & divisione. Quonam pacto Ecclesia adversus Traditiones populares semper surrexerit; quasnam adhibuerit rationes, ut ipsarum delectum haberet.

ART. I. QUID *piarum Traditionum nomine intelligatur.* pag. 1
ART. II. *Efficitur argumentis, pias extare Traditiones.* 3
Propositio 1. *Extant piæ Traditiones:* 4
Propositio 2. *Nulla est pia Traditio, quæ falsa, aut superstitiosa non sit.* ibid.
ART. III. *De divisione piarum Traditionum Ecclesiæ.* 7
ART. IV. *Obstitit Ecclesia semper Traditionibus Vulgaribus.* 9
ART. V. *Quas adhibuerit Ecclesia vias, & rationes, ut piarum Traditionum, & Vulgi rumorum delectum haberet.* 12

DISSERTATIO II.

De pronunciatis, quibus usi sunt Viri Docti, ut fabulas a Veritate separarent super Actis Martyrum, Gestis Sanctorum, multisque Sanctis Institutionibus.

ART. I. DE *laudabili Criticorum recentiorum consilio, qui aggressi sunt ad redimendam Historiam Ecclesiæ a vulgi erroribus, falsisque Traditionibus.* 16
§. 1. *Quo pacto id consilium opere impleverint.* ibid.

§. 2. *Docti homines in explendo consilio suo id prætergressi sunt, quod ipsis propositum erat. Populorum super hac re querelæ.* 19

ART. II. *Regula generalis ad expurgandam a Fabulis Historiam Ecclesiasticam:* Non est admittendum Factum Historicum, quod ab Auctoribus ejusdem, aut ferme ejusdem temporis non confirmetur. -- *Incommoda Principii hujus consecutiones.* 23

§. 1. *Principium hoc iis omnibus suspicionem affert, quæ in medium attulerunt tum antiqui, tum recentes Historici de Veteris Testamenti rebus, in sacris Bibliis haud enarratis.* 24

§. 2. *Si standum esset Principio huic, Ecclesiasticæ Historiæ pars corrueret.* 25

§. 3. *Opus esset, sectantes hoc illustrium Criticorum nostrorum principium detrahere ab ipsorum Operibus historica Facta quamplurima.* 27

ART. III. *Pronunciata alia, passim Criticis probata, quibus piæ Traditiones ab opinionibus Vulgaribus secernantur.* 30

§. 1. *Reiicere quædam Facta historica, assumta ratione, quod de illis non meminerint Sacræ Literæ; aut contendere, ea satis esse refutata, si non excutiantur.* ibid.

§. 2. *Contendere, propugnatores piarum Traditionum teneri, ut earum fontes indicent, & auctoritatem ostendant.* 34

§. 3. *Flagitant Critici a piarum Traditionum propugnatoribus argumenta certa, nec obnoxia falsitati.* 35

§. 4. *Ad trutinam revocantur Principia Historiæ Ecclesiasticæ Fleurii.* 38

§. 5. *Critici discrimen non habuerunt inter Historiam similem veri, & Fabulam; inter Traditiones probabiles, & Errores plebis.* 44

§. 6. *Pleraque Traditiones pias aspernantur, quod scilicet partæ sint a nimia quinque aut sex sæculorum, quæ duo postrema antecesserunt, credulitate.* 48

ART. IV. *Critici obstruxerunt plerarumque piarum Traditionum fontes.* 53

§. 1. *In eo laborarunt, ut attingeremus suspicione testimonium Scriptorum Ecclesiasticorum, qui pias Traditiones nobis reliquerunt.* 54

§. 2. *Magis tribuunt testimonio Autorum Gentilium de re historica, quam auctoritati nonnullorum Patrum de piis Traditionibus.* 57

§. 3. *Exterminantes quidam autoritatem Martyrologiorum, & Breviarii, putarunt nocere quamplurimis piis Traditionibus.* 60

ART. V. *Breviarium Parisiense expenditur secundum Regulas generales, quibus utuntur Sapientes, ut historiam a piis Traditionibus vindicent, & singillatim secundum Tabulas Criticas Bailleti.* 62

§. 1. *De perfectione Breviarii Parisiensis, ut modo est.* 63

§. 2. *Referuntur nonnullæ Sapientum nostrorum Regulæ, & Breviario Parisiensi, ut post emendationem est, accommodantur.* 65

§. 3.

§. 3. *Collatio nonnullarum Legendarum Breviarii Parisiensis cum Tabulis Criticis Bailleti.* 71
§. 4. *Tollitur de medio difficultas, in Legendas dubias fortasse movenda.* 75
§. 5. *Cum Criticorum viis conferuntur illæ, quas Ecclesia ingressa est, ut a Libris Ecclesiasticis vulgi errores exterminaret.* 79

DISSERTATIO III.

Regulæ Criticæ, quibus Pias Traditiones, & vulgares errores internoscamus. 83

Regula 1. NUlla est pia Traditio recipienda, quæ argumentis rei, de qua agitur, aptis non fulciatur. 85
Regula 2. *Piæ opiniones nihil complectantur fabulosum, ridiculum, quod fieri non potuerit, & superstitiosum.* 90
Regula 3. *Oportet, posse nos juste, & rite præsumere, Ecclesiam, Episcopos, aliosque primos piarum opinionem receptores, eas non sine argumento aliquo, licet nobis incomperto, adoptasse.* 92
Regula 4. *Opus est examinare, an de morum istorum, Factorumque veritate sit dubitandi locus. Si de illis ancipites esse possumus, afferantur necesse est argumenta clara, certa, & evidentia, utque eorum falsitas possit demonstrari.* 94
Regula 5. *Nihil habeant Traditiones istæ, atque Institutiones adversus mores, & tempora, quibus illæ obtinuerunt; vel adversus conditionem illorum, qui in Traditionibus istis locum habent.* 97
Regula 6. *Cavendum etiam est, ne rerum summa complectatur pugnantia invicem; aut num adiuncta quædam tantummodo sint, quæ cum Facto præcipuo non consentiunt.* ibid.
Regula 7. *Interest etiam, Traditiones, Mores, & Facta historica ista non fuisse directe ab Scriptoribus ejusdem ævi oppugnata, vel ab aliis, quorum autoritas de illorum falsitate nos certos efficere possit.* 99
Regula 8. *Necesse est iis, quæ contra objiciuntur, commode satisfieri posse.* 100
Regula 9. *Si quando Traditiones istæ, aut mores aliquid complecterentur, quod omnibus regulis istis accommodari usquequaque non posset; nefas esset illas supprimere, aut repudiare, quin serio expenderemus: utrum necne suppressio hæc maiori futura esset populis offensioni, quam fallax usus rejiciendus: atque an expediret magis, id tollerare, quod sine majori offensione, aut tollere, aut oppugnare non possumus.* 101
Responsa *ad quædam objecta; quæ super regulis istis proposita sunt in Ephemeride Litteraria Hagæ Comitum.* 106

LIBER II.

De Oraculis, quæ Jeſu Chriſti Nativitatem præceſſerunt.

DISSERTATIO PRIMA.

Expenditur, nonne Dæmones in Paganorum Oraculis negotium aliquod habuerint.

ART. I. *De Origine Oraculorum, & quid inter illa, & Magiam interſit.* 112
ART. II. *Multiplex de Oraculorum cauſa ſententia.* 115
ART. III. *Secundum Traditionem Patrum Eccleſiæ, Oracula Paganorum a Dæmonibus reddebantur.* 127
ART. IV. Duo priora Traditionis hujus fundamenta.
Videtur Scriptura id innuere; necnon ſilentium, quod Oraculis in Jeſu Chriſti ortu indictum fuit. 119
ART. V. Tertium Traditionis hujus fundamentum.
Chriſtiani, invocato Jeſu Chriſti nomine, Dæmones ex Idolis expulerunt. 122
ART. VI. Quartum Traditionis hujus momentum.
Imperatores, Principes, Philoſophi, Hiſtorici, Magiſtratus, & Populi Ætbnici non putarunt, Sacerdotes Oraculorum autores eſſe. 124
ART. VII. Quintum Traditionis hujus momentum.
Modus, quo edebantur Oracula, oſtendit, Dæmones ab illis non fuiſſe remotos. 126
ART. VIII. Sextum Traditionis hujus momentum.
Doli ipſi, adhibiti aliquando ab Idolorum Sacerdotibus, nos monent, Oracula Dæmonum virtute fuſa fuiſſe. 128
ART. IX. *Per Leges Critices accuratæ integrum non erat Fontanellæ, ſuper re Oraculorum in ſententiam ire, quam mallet.* 130
ART. X. Sequitur idem Argumentum.
Opinio Fontanellæ non ſatis obſervantiæ defert Antiquis. 133

DIS-

DISSERTATIO II.

De Oraculis Sibyllarum.

ART. I. *DE Sibyllarum nomine, regione, & numero.* 135
ART. II. *Multiplex Autorum ſententia de Carminibus, Sibyllis tributis.* 137
ART. III. *Vetuſtiſſima Traditio eſt, Sibyllas Oracula pro Religione edidiſſe.* 139
ART. IV. *Conficitur Criticis præceptionibus, Traditionem iſtam æquiſſimam eſſe.* 142
ART. V. *Conjecturæ probantes, Oracula Sibyllarum, a Patribus relata, ſpuria non eſſe.* 142
ART. VI. *Argumenta Criticorum convelluntur, quæ oſtendunt, Oracula Sibyllarum a Patribus laudata, non eſſe genuina.* 146
§. 1. *De priori rationum genere, quod plerumque Critici in pias Traditiones jaciunt, atque illis, quas in præſens tuemur, accommodant.* ibid.
§. 2. *Argumenta, quibus probant ſuppoſititia eſſe Oracula Sibyllina.* 150
ART. VII. *Ad trutinam revocantur variæ Criticorum ſententiæ de Oraculis, Sibyllis adiudicatis, & de tempore, quo conficta eſſe dicuntur.* 154
§. 1. Sententia Prima.
Carmina Sibyllarum ſuppoſita ſunt ad annum 138. poſt Chriſti Nativitatem. 155
§. 2. Sententia Altera.
Oraculorum Sibyllinorum ſuppoſitio primo ſæculo contigit. 158
§. 3. Tertia Sententia.
Judæi a Bibliis Sanctis decerpſerunt Oracula, quæ Sibyllis tribuuntur. 159

DISSERTATIO III.

De Oraculis Regis Thulis, & Auguſti Imperatoris.

ART. I. *ORaculorum Regi Thuli redditum mendax eſt.* 162
ART. II. *Quod ferunt de Oraculo, reddito Auguſto de Puero Hebræo, fabuloſum eſt.* 163

LIBER

LIBER III.

De Jesu Christo, ab ejus Conceptione ad Baptisma.

DISSERTATIO PRIMA.

De die, & mense, in quibus Christus conceptus est; & num Domus, in qua Mysterium hoc impletum fuit, extet nunc Laureti in Italia.

ART. I. JESUS Christus conceptus est VIII. Kalendas Aprilis; atque Ecclesia a primis saeculis Festum hoc ea die celebravit. 165
§. 1. Traditio haec Scriptorum Ecclesiasticorum testimonio roboratur. 166
§. 2. Ecclesia Festum istud a prioribus saeculis celebravit. 167
§. 3. Quae in hanc Traditionem obiiciantur. 169
ART. II. Num Domus, in qua Nazarethi conceptus fuit Jesus Christus, extet nunc Laureti in Italia. 172
§. 1. Historia Translationis in Italiam domus Sanctae Virginis. ibid.
§. 2. Translatio haec Autorum testimonio, & miraculorum fide probatur. 175
§. 3. Historia haec fulcitur Coniecturis, & regulis Criticis. 177
§. 4. Argumenta adversus Translationis huius miraculum. 179
§. 5. Antonii Mureti pietas erga B. Virginem Lauretanam. 182

DISSERTATIO II.

De mense, & die, in quibus Christus natus est; de Praesepe; atque an in illo fuerint Bos, & Asinus.

ART. I. SAlvator in lucem editus fuit Octavo Kalend. Januarii; atque Ecclesia Latina Festum hoc ea die semper solemne habuit. 183
ART. II. De Praesepe, in quo natus est Jesus Christus. 187
ART. III. De Bove, & Asino Praesepis. 189

DISSERTATIO III.

De Circumcisione Pueri Jesu, die ab ejus ortu octavo. 191
ART. I. A Primis saeculis celebravit Ecclesia memoriam Circumcisionis Pueri Jesu. 192

ART. II.

ART. II. *Ecclesia Circumcisionis Festum, jejunia, & precationes opponit licentiori vitæ, cui indulgebant Æthnici, atque ipsi Christiani Kalendis Januarii.* 194

ART. III. *Dissoluta Kalendarum Januarii licentia ad Ecclesiasticos derivavit; & qua in Galliis sublata fuerit ratione.* 197

DISSERTATIO IV.

De Epiphania, & nonnullis Traditionibus, ad Magos pertinentibus.

ART. I. VOX hæc Epiphania *Solemnitates multas, præsertim vero illam Magorum, Christum adorantium, significat.* 201

ART. II. *Multa de Magis ad trutinam revocantur, atque an Reges essent.* 204

ART. III. *Quo tempore Magi, puerum Jesum adoraturi, Bethleemum adventarint.* 208

ART. IV. *De medio tolluntur ea, quæ afferri solent contra adventum Magorum die VI. Januarii.* 213

ART. V. Utrum Magi, Jesum Christum adorantes, ejus Divinitatem cognoverint. 216

§. 1. *Quæstionis huius argumentum.* 216

§. 2. *Patrum Ecclesiasticorum testimonia probant, Magos Jesum Christum tanquam Deum adorasse.* 218

§. 3. *Prisca hæc Traditio fulcitur precibus Ecclesiæ, Theologicis rationibus, e Patrum doctrina decerptis, ipsisque Critices præceptis.* 221

ART. VI. *Quas afferat Simonius probationes, ut tueatur, simile vero esse, Magos Jesum Christum tanquam Deum non adorasse.* 223

§. 1. *Autores a Simonio laudati, ipsi non favent.* 224

§. 2. *Constat adeo, Magos Jesum Christum tanquam Deum adorasse, ut Autores a Simonio laudati nequeant, ex principiis Critici huius eruditi, adversam partem tueri.* 228

§. 3. *Alia Simonii effugia, quo suæ de Magorum adoratione dubitationi præsidium paret.* 231

ART. VII. *Expenditur, an ambigere de suprema Magorum adoratione contrarium sit Decreto Concilii Tridentini de Sanctarum Scripturarum explicatione.* 234

§. 1. *Verus Decreti Concilii sensus explicatur.* 235

§. 2. *Veritas est ad Fidem spectans, Magos procidentes coram Jesu Christo, ejus Divinitatem cognovisse, eumque Dei cultu adorasse.* 237

§. 3. *Tolluntur querelæ Simonii nobiscum expostulantis, quod affirmemus, supremam Magorum adorationem Christianæ Religionis Dogma constituere.* 239

§ 4

§. 4. *Oſtenditur Divinitas Jeſu Chriſti ex adoratione ſuprema Magorum, & quaſnam afferat lubricas conſecutiones dubitatio Simonii.* 242

DISSERTATIO V.

De Jeſu Chriſti Præſentatione in Templo, ejuſque in Ægyptum fuga.

ART. I. *FESTUM Purificationis inſtitutum fuit ad abroganda feſta Lupercalia Paganorum.* 246

§. 1. *De Feſti hujus inſtitutione.* 247

§. 2. *Thomaſinus & Bailletus non diſtinxerunt Saturnalia, & Feralia Feſta a Lupercalibus.* 248

§. 3. *Feſtum Purificationis ſubſtitutum non fuit ſolemnitati Luſtrationum: & de Supplicatione, quæ hac die fit.* 250

§. 4. *Sententia Henſchenii de Feſti hujus inſtitutione.* 252

ART. II. *De Sancto Sene Simeone, qui Jeſum Chriſtum in ulnas ſuas accepit.* 255

§. 1. *De Viris multis, quibus nomen fuit Simeonis; atque an ille, qui puero Jeſu bene precatus eſt, Sacerdos fuerit necne?* 255

§. 2. *Diluuntur objecta argumenta in Sancti Simeonis Sacerdotium.* 258

ART. III. *De fuga Infantis Jeſu in Ægyptum, deque multis in rem hanc Traditionibus.* 260

§. 1. *Traditiones falſæ de itinere Familiæ Sanctæ in Ægyptum.* 260

§. 2. *Traditiones aliæ, veritati magis affines.* 261

§. 3. *Traditione Patrum ferente, Præſentia Jeſu Chriſti in Ægypto Dæmones expulit ex Idolis.* 262

LIBER IV.

De Jeſu Chriſto, ab ejus Baptiſmate ad Paſſionem uſque.

DISSERTATIO PRIMA.

De Baptiſmate Jeſu Chriſti, & de Miraculis Nuptiarum Canæ Galileæ.

ART. I. *DE quibuſdam Traditionibus, quæ ſuperſunt, ad Jeſu Chriſti Baptiſma ſpectantibus, & de Feſtivitate hac perpetuo ab Eccleſia octavo Idus Januarias celebrata.* 264

§. 1. *Per Jeſu Chriſti Baptiſma collata eſt Sanctitas aquis illis.* 265

§. 2.

§. 2. *Virtus mira inſita Jordanis aquis poſt Baptiſma Jeſu Chriſti.* 265
§. 3. *Græci Octavo Idus Januarias aquam benedicebant, in Baptiſmatis Jeſu Chriſti monumentum.* 266
§. 4. *Baptiſma Jeſu Chriſti ſemper celebratum fuit octavo Idus Januarias.* 268
ART. II. *Miraculum Nuptiarum in Cana Galileæ.* 269
§. 1. *Incertus eſt hujus Miraculi dies.* 269
§. 2. *Secundum priſcam Traditionem miraculum idem in ſingulos annos inſtauratur.* 270

DISSERTATIO II.

De Epiſtolis Jeſu Chriſti, & Abgari; deque Imaginibus Edeſſæ, & Paneadis.

ART. I. *PRobabile admodum eſt, Abgarum dediſſe Epiſtolam ad Jeſum Chriſtum, eique Jeſum Chriſtum reſpondiſſe.* 273
§. 1. Argumentum Epiſtolarum iſtarum.
Epiſtola Jeſu Chriſti ſervata eſt ad annum uſque 1185. 273
§. 2. *Teſtimonium cum veterum, tum recentiorum Scriptorum pro Epiſtolis iſtis.* 275
§. 3. *Exponitur, quonam ſenſu Concilium Romanum Epiſtolam Jeſu Chriſti apocryphum declaraverit.* 277
§. 4. *Senſus ab Autoribus tributi voci* Apocryphum *Concilii Romani, nequeunt congruere Epiſtolæ Jeſu Chriſti.* 280
§. 5. *Objecta ab Alexandro in Epiſtolas iſtas argumenta.* 282
§. 6. *Refelluntur quæ objicit Dupinus in Epiſtolam iſtam.* 284
ART. II. *De Imagine Edeſſena, quam vocant* Archyropoetam, *videlicet non manufactam.* 287
§. 1. *Traditio de Imagine Edeſſena Veterum teſtimoniis roboratur.* 287
§. 2. *Hiſtoria Imaginis Edeſſenæ.* 288
§. 3. *Fit ſatis iis omnibus, quæ contra Traditionem iſtam afferi ſolent.* 291
ART. III. *De ſtatua Jeſu Chriſto poſita in Urbe Paneade.* 294
§. 1. *Traditionis hujus fundamenta.* 294
§. 2. *Conjecturæ Baſnagii, & Reiſchii adverſum Facti hujus hiſtorici veritatem.* 296

DISSERTATIO III.

Utrum Jeſus Chriſtus Paſchalem Agnum in Mortis ſuæ pervigilio manducaverit.

ART. I. *ARgumentum Controverſiæ hujus, & a quibus Scriptoribus agitata fuerit.* 298

ART. II. *Diſputationes Eruditorum de poſtremo Paſchate rem hanc parum enuclearunt, & qua de cauſſa.* 301

ART. III. *Non poſſumus ex Verbis Evangelicis, ſecundum neutrius partis interpretationem, diſſolvere controverſiam: utrum necne Jeſus Chriſtus ultimum Paſcha celebraverit.* 304

ART. IV. *Traditio fert Chriſtum Dominum in Mortis ſuæ pervigilio Paſcha celebraſſe.* 306

ART. V. *Rationes, quibus permotus eſt Lamius, ne putaret, teneri ſe de amplectenda opinione communi, quanquam Patrum concurſus, omneſque pene Litterati viri pro ea pronunciaverint.* 309

§. 1. Ratio Prima.

Quæſtio hæc funditus dijudicata non fuit. 310

§. 2. *Hæc prima ratio expenditur.* 311

§. 3. Secunda ratio Lamianæ appellationis.

Doctores Sancti, locus Concilii Tridentini, Breviarium Eccleſiæ, non ſunt de Paſchatis quæſtione legitimi Judices. 315

§. 4. *Secunda ratio Lamii non videtur ſatis recta.* 317

§. 5. *Fieri non poteſt, ut dies poſtremi Paſchatis ſtatuatur ex principiis cognitionum illarum, quas poſtulat Lamius: & quare.* 320

§. 6. Tertia Ratio appellationis Lamianæ.

Quæſtio de Paſchate non poteſt vi auteritatis dijudicari. 325

ART. VI. *Fundamenta opinionis Lamianæ.* 327

§. 1. *Via & ratio Lamii, qua quæſtionem de poſtremo Paſchate dirimit.* 327

§. 2. *In trutina ponitur teſtimonium, e Chronici Paſchalis Proœmio depromtum.* 331

§. 3. *Loca quatuor Veterum Patrum, in Chronici Paſchalis Præfatione adducta, incertiſſima ſunt, ne dixerim ſuppoſititia.* 333

§. 4. *Autor Chronici Paſchalis non eſt ab ſententia Lamii.* 336

§. 5. *Quibus argumentis utatur Lamius, ut plus ponderis, atque auteritatis tribuat locis quatuor Patrum, in Chronico Paſchali laudatis.* 339

ART. VII. *Expoſtulationes aliquæ Lamii omni ſtudio tolluntur.* 347

DISSERTATIO IV.

De Uſu Panis Azymi in Eccleſia Latina. 356

ART. I. DE *illis, qui Azymorum in Eccleſia Latina uſum vel propugnarunt, vel oppugnarunt.* 357

ART. II. *Nullus eſt apud Autores Eccleſiaſticos octo priorum ſæculorum expiratus locus, qui Azymorum in Eccleſia Latina uſum probet, aut improbet.* 359

ART.

ART. III. *Diſquiritur quid veniat nomine Fermenti, cujus mentio ſit in Decretis Summorum Pontificum Melchiadis, Syricii, atque Innocentii I.* 362

ART. IV. *Utriuſque ſententiæ Patroni eadem adhibent Patrum & Conciliorum teſtimonia, cum ut oppugnent, tum ut propugnent uſum Azymorum in Eccleſia Latina.* 366

ART. V. *Conjectationes Mabillonii, quibus Azymorum uſum ad ſæculum uſque IX. producit.* 370

Alia Mabillonii conjectatio, ex Nummis VI. ſæculi petita. 372

ART. VI. *Penſitantur conjecturæ, quibus utitur Sirmondus, ut Panis fermentati uſum ſtatuat in Eccleſia Latina.* 377

ART. VII. *Alia Sirmondi argumenta.* 383

ART. VIII. *Animadverſiones in momenta Eruditorum, uſui panis azymi tum ſuffragantium, tum refragantium.* 386

ART. IX. *Poſt octavum ſæculum panis azymus in Eccleſia Occidentis adhibebatur.* 390

ART. X. *Quadrifariam tantummodo uſus panis azymi obtinere potuit in Eccleſia Latina. Tres priores rationes expenduntur.* 393

ART. XI. *Eccleſia Occidentalis adhibuit panem azymum ad uſque VIII. ſæculum ex Traditione Apoſtolica.* 397

DISSERTATIO V.

Revocatur ad judicium, utrum Eccleſia Græca perpetuo rem divinam in pane fermentato celebraverit. 400

ART. I. *Similimum vero eſt, Eccleſiam Græcam Sacrum feciſſe in pane azymo ab ætate Apoſtolorum ad ſeptimum ſæculum.* 401

ART. II. *Aliæ conjecturæ pro uſu Azymorum in Eccleſia Græca a primis ſæculis.* 405

ART. III. *Refelluntur diligenter, quæ contra ſunt.* 411

ART. IV. *Inquiritur quo fere tempore Græci cœperint uti pane fermentato.* 414

DISSERTATIO VI.

De Uſu Sanctarum Veſtium in Myſteriorum Divinorum adminiſtratione. 417

ART. I. IN *contrarias opiniones diſtracti Autores ſunt de origine Veſtimentorum Sacrorum in Sancti Miſſæ Sacrificii celebratione.* 418

Animadverſiones pro hac Controverſia dirimenda.

ART. II.

ART. II. *Apoſtoli ad Altare detulerunt veſtes alias ab iis, quibus uſu communi induebantur.* 420

ART. III. *Argumenta hujus Traditionis petita a Sæculis III. IV. & V.* 424

ART. IV. *Studium impendimus omne, ut quæ Traditioni huic adverſantur, convellamus.* 428

DISSERTATIO VII.

De Hymno, quem cecinit Chriſtus Dominus poſt Euchariſtiæ Inſtitutionem. 433

ART. I. HYmnus, *a Servatore noſtro poſt abſolutam in Mortis pervigilio cœnam recitatus, extat capite XVII. Evangelii S. Joannis.* ibidem.

ART. II. *Uſus Hymnorum in Eccleſiaſtico Officio ab exemplo Salvatoris petendus eſt.* 437

DISSERTATIO VIII.

De Sancta Facie Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Veronica nuncupata, quæ colitur in Eccleſia S. Petri Romæ. 440

ART. I. HIſtoria *Translationis S. hujus Imaginis Romam.* 441

ART. II. *Sancta Imago Jeſu Chriſti, Veronica nomine, fundamentum habet in conſtanti Traditione ab exitu VII. ſæculi deinceps.* 443

ART. III. & ultimus. *De cultu Imaginis Jeſu Chriſti, deque Inſcriptione ſuppoſita alteri, quæ viſitur Monſtrolii.* 446

Epiſtola P. Tournemini ad P. Honoratum ſuper ea quæſtione: Utrum Jeſus Chriſtus Agnum Paſchalem comederit poſtremo Vitæ ſuæ anno. 454

Reſponſio P. Honorati ad Epiſtolam P. Tournemini. 463

FINIS.

ANI-

ANIMADVERSIONES IN REGULAS, ET USUM CRITICES.

LIBER PRIMUS.

De multiplici via & ratione ad veras & falſas Traditiones internoſcendas.

DISSERTATIO PRIMA,

De Traditionum notione, & diviſione. Quonam pacto Eccleſia adverſus Traditiones populares ſemper ſurrexerit; quaſque adhibuerit rationes, ut ipſarum delectum haberet.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid piarum Traditionum nomine intelligatur.

INtelligimus hac Traditionis voce Doctrinam, Hiſtoriam, Factum, ſive Conſuetudinem, quæ in hominum animis inſedit, atque ab uno ad alterum orenus traducta eſt; ſive ad nos uſque deſcendit ope picturarum, imaginum, vel aliorum monumentorum. Quanquam Traditiones origine prima ſcriptæ nequaquam ſint, id nihil obeſt, quominus ſcribi potuerint, atque in Autorum Operibus reperiri, qui temporum conſecutione illarum meminerint, uti nos docent Litteræ Sanctæ: *Scribe hoc ob monimentum in Libro*, dixit Dominus ad Moſen: & Divus Paulus ad Theſſalonicenſes: *Itaque* Exodi 17. 2. ad Theſſ. 2.

Fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.

Si Traditiones expendimus, quæ ſpectant ad Religionem quoad diverſum Eccleſiæ ſtatum, quædam attinent ad Legem Naturæ, quædam ad Legem Scripeam, ſive Moſis, quædam ad Legem Gratiæ, ſive Evangelicam. Traditiones autem novi Fœderis tribus generibus comprehenduntur. In priore collocamus Traditiones Divinas; in altero Apoſtolicas; in tertio Eccleſiaſticas.

Tria genera Traditionum.

Eam dicimus Traditionem Divinam, quæ Dogma complectitur, a Jeſu Chriſto Apoſtolis ſuis traditum, & perpetua Eccleſiæ Fide receptum; licet in Libris Canonicis non reperiatur. Exempli gratia: Textum Sacrum eum Veteris, tum Novi Teſtamenti Verbum Dei eſſe: ſeptem extare Sacramenta: Infantes baptizari poſſe: Dei Matrem nunquam a Virginitate defeciſſe, & id genus alia. Traditionum Apoſtolicarum nomine nobis veniunt illæ, quæ ſunt ab Apoſtolis conſtitutæ de Sancto Miſsæ Sacrificio, de Sacramentis, &c. quamvis illas fruſtra in ipſorum Voluminibus requiras. Denique Traditio Eccleſiaſtica inducta fuit a Conciliis, a Pontificibus, ſive ab Epiſcopis, & ſenſim in Legem evaſit; vel laudandus mos eſt, qui ſponte ſervatur, veluti Signum Crucis, Aquæ benedictæ uſus, Cinerum impoſitio, aliique nonnulli.

Porro nobis perſuaſum eſt, præter Traditiones Divinas, Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas, eſſe alias quæ medium quaſi locum obtinent, hinc inter Traditiones Apoſtolicas & Eccleſiaſticas, illinc inter Traditiones, quas Critici *Vulgares* appellant. Hæ non ſemel Legi Divinæ adverſas res continent; pietati nunquam proſunt, & plerumque fabuloſæ ſunt.

Traditiones, de quibus agitur in hoc Opere.

His autem vitiis non inficiuntur Traditiones, de quibus in præſens diſputaturi ſumus. Facta nanque ſunt tantummodo hiſtorica, mores, ſanctæ conſuetudines, ſive Solemnitates in Dei, Virginis Deiparæ, vel Sanctorum cultum inſtitutæ, quæ momentum habent ad pietatem excitandam, fideles bonis exemplis imbuendos, aut ad revocanda animo quædam eventa, Religioni affinia, ſive tacita quadam Eccleſiæ conſenſione probata ſint, ſive nobis propoſita in *Martyrologiis*, *Breviariis*, aliiſque, quibus utitur, Libris: quo ſenſu eas vocare poſſumus *Traditiones Eccleſiaſticas.*

Ad pias quoque Traditiones iſtas referendus eſt cultus habitus nonnullis Sanctorum Reliquiis, ſive rebus, ipſorum contactu velutl conſecratis; & adjicienda Mira quædam, ſive Facta extraordinaria, univerſæ Eccleſiæ, aut alicui peculiari Diœceſi ſpectata & cognita.

Conſtat per ſeſe, pias hujuſmodi Traditiones ingenio longe alio eſſe ab iis, quas dicunt *Vulgares*; & multo minoris momenti eſſe, ac Traditiones

nes

nes Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ. Iſtas conſtituerunt Pontifices, vel Concilia; illæ vero ad nos manarunt ab Apoſtolis, vel tanquam organis Spiritus Sancti, ſi ad Fidem & mores optimos pertineant: vel tanquam Epiſcopis & Paſtoribus Eccleſiæ, ſi ad quaſdam conſuetudines ſpectent, uti Miſſarum ceremonias, Sacramentorum adminiſtrationem, jejunium Quadrageſimæ & Quatuor Temporum. Verum piæ Traditiones paullatim invectæ ſunt, Chriſtianorum animis inhæſerunt, ab uno ad alterum traductæ fuere, donec illas Scriptor aliquis Litteris conſignarit.

Conſilium de Traditionibus iſtis.

Non eſt quidem conſilium meum, pias haſce Traditiones ita propugnare, ut contendam, a vero abeſſe ſemper illorum opinionem, qui ipſis adverſantur. Id unum in animo eſt, oſtendere nimirum, pias iſtas Traditiones, quæ admitti & rejici poſſunt Fide & bonis moribus intactis, quadam præfulgere ſpecie veritatis, ut eas ſuſcipere poſſimus, atque ſententiam faventem ipſis, magis reſpondere Eccleſiæ ſenſis, & æquitati: pietate nanque Chriſtiana cogimur, eas potius ſequi partes, a quibus Eccleſia eſt, quam nonnullorum Criticorum, qui pias Traditiones ad fabulas amandant. Illud certe ratum habemus & conſtans, ita ſe gerere, minoribus admodum incommodis obnoxium eſſe, quam Sanctis iſtis conſuetudinibus obſiſtere, eaſque tanquam ſuperſtitioſas aut vanas rejicere: quandoquidem hoc germanis quoque officit Traditionibus, & venerationem minuit præſtandam moribus illis, quos vel tacite probat Eccleſia; licet eos, uti obſervationes ſaluti æternæ neceſſarias minime proponat.

ARTICULUS II.

Efficitur argumentis, pias extare Traditiones.

DUo ſane ſunt, quæ ſatis differunt inter ſeſe: fateri in univerſum, pias quaſdam extare Traditiones; & ſententiam dicere ſingillatim de Sanctarum iſtarum conſuetudinum veritate aut falſitate. Quanquam etenim hæ Traditiones omnes, ſeorſim acceptæ, fines non tranſgrediantur ſimilitudinis eum vero; poſſumus tamen certo, ut ſunt humana, ſcire, id extare Traditionum genus, immo hujus rei evidentiam quandam Demonſtrationi proximam comparare.

Quo autem id præſtet evidentia, tria hæc complectatur neceſſe eſt: 1. Lance ſuſpenſis ab homine nulli parti addicto, atque intelligentia prædito, omnibus ejus adjunctis, ita illum de re quapiam perſuadet, ut quæ-

Conditiones pro evidentia rei.

eunque in eam objecta ſunt, nihil animum ab hac perſuaſione removeant; 2. Hujuſmodi debet eſſe evidentia hæc, ut factum controverſum inficiari nemo poſſit, quin in conſecutiones incidat, cuique rem integro animo & extra præjudicium exeutienti manifeſte abſurdas exiſtimandas. Demum comprehendat quidquid requiritur, ut principiis inconcuſſis concludamus, rem ita eſſe, & difficultates omnes in eam jactas ſolvamus.

Si diligenter examinabit quis a nobis ſtatim dicenda de ſequentibus duabus propoſitionibus tum pro ajente parte, tum pro negante; facile admodum ratum habebit & firmum, pias Traditiones evidenter extare. Perpendamus itaque quæ ſequantur, cum ſupponimus, pias Traditiones exiſtere; cumque negamus.

PROPOSITIO I.

Extant piæ Traditiones.

HÆc conſequuntur propoſitionem iſtam, ubi veritatem enunciare ponamus. 1. Qui ab ea ſunt, pio reſpondent Eccleſiæ conſilio, quæ ſuſtinet mores iſtos Sanctos, coſque Fidelibus hominibus in Libris, quibus utitur, exhibet. 2. Honorem indicant & reverentiam antiquitati colendæ tributam; Autoribus Eccleſiaſticis, a quibus ad nos migrarunt, earumque memoriam nobis ſervarunt; Patribus & Deceſſoribus noſtris, qui Sanctas inſtitutiones iſtas religioſe cuſtodierunt. 3. Idonei ſunt ad tradendam Hiſtoriam Eccleſiæ integram, & omnibus ſuis partibus expletam; quoniam non levem ejus partem efficiunt Traditiones iſtæ.

Quod eorum eſt, qui pias iſtas Traditiones oppugnant: 1. non videntur ſatis morem gerere Patribus Eccleſiæ, Epiſcopis, aliiſque Scriptoribus, a quibus illas accepimus. 2. Præjudicium ſui longe firmiſſimum in aliis creant: ſe videlicet non ſatis credere: adeoque ad aliud vituperandum extremum vergere, eorum viæ & rationi oppoſitum, qui nimis credunt. 3. Deerunt ſemper particulæ non leves Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ubi ſuſtulerint pias opiniones, in ea neceſſario collocandas, quod impoſterum demonſtrabimus. Interim ad alteram Propoſitionem tranſitum facio.

PROPOSITIO II.

Nulla eſt pia Traditio, quæ falſa aut ſuperſtitioſa non ſit.

ETiamſi vera eſſet hæc propoſitio: 1. Piarum Eccleſiæ Traditionum defenſores non erunt reprehendendi, aut nimium credulis accenſendi; quo-

quoniam Sanctas haſce exercitationes recipiunr, non quidem vulgi ſermonibus, & nullo argumento ducti, ſed æquis rationibus excitati, & momentis a nemine, qui regatur æquitare, contemnendis. 2. Nihilo magis lædítur pietas ipſorum; quandoquidem eas non audiunt, tanquam Fidei capita, reſque æternæ ſaluti neceſſarias; ſed inſtar Sanctarum Inſtitutionum, pietati fulciendæ idonearum, quanquam in ipſis revera ſita non ſit. Denique id genus hominum haud eſt inter ſuperſtitioſos adſcribendum, præterquam ob fidem piis iſtis Traditionibus habitam, quoties in probatiſſimis habent multa hiſtorica facta, portenta alicujus Sancti meritis a Deo patrata, & quædam ex eorum Geſtis loca, quæ minus credibilia videntur. Porro nihil eſt in hoc cultu a ratione abhorrens, quippe qui nititur legibus prudentiæ, iis obſequium deferenti, qui ad nos hæc traduxerunt, quibuſque citra omnem dubitationem multa fuerunt in cauſſa, ut illa in anteceſſum diligenter excuſſa propagarent: licet, ut pote homines, in rebus hujuſmodi falli potuerint. Quapropter non eſt illorum cultus appellandus immoderatus & ſupervacaneus, ubi verum eſſet: *nullam extare Traditionem piam, quæ falſa aut ſuperſtitioſa non ſit.*

Eadem admiſſa Propoſitione conſequens eſt: 1. Viros Litteratos ejus propugnatores cogi poſſe, ut profiteantur, nullum repertum iri ex Patribus, aut Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui nimium credulis aut ſuperſtitioſis annumerari non mereatur, quemque in eo criminari non poſſimus, quod nos in errorem induxerit; ſiquidem Scriptis ſuis pleraſque Traditiones iſtas nobis reliquerunt, & tanquam ſatis conſtituta commendarunt. 2. Poſtremorum Sæculorum Criticis, qui piis Traditionibus magis adverſari videntur, cautum erit, ne unquam ad confirmanda innumera Facta hiſtorica argumento innitantur, e pijs opinionibus iſtis depromto: quod millies facere non dubitant. Neceſſum tandem erit, eos ex Operibus ſuis deiere particulas haud parvas, quibus conſtant, uti deinceps oſtendemus.

Quibus præjactis, nonne propoſitiones duæ, hactenus a nobis roboratæ, ingerunt animo ſpeciem ſui claram & diſtinctam, evidentiam ſcilicet, quæ Traditiones pias, huic Operi propoſitas, exiſtere planum facit?

Alia item argumenta, quæ neceſſitatem evincunt affirmandi, pias Traditiones extare, require in priore Animadverſionum Volumine Diſſerr. 7. art. 8. §. 1. & 2.

Evidentiæ vocabulo intelligo illam, quæ vim affert neceſſario iis, quibus rite propoſita eſt, ut facto aſſentiantur, in cujus argumentum hæc producitur evidentia. Non videtur itaque minus evidens, fieri non poſſe, ut Hiſtoria Eccleſiaſtica diſcerpta non ſit, aut exiſtat quoad Facta hi- *Conſectarium evidentiæ.*

ſto-

ſtorica complura, Acta nonnulla Martyrum, Geſta Sanctorum, Miracula, & Reliquias; ubi rejiciantur piæ Traditiones, de quibus in præſentia: quam evidens ſit apud Geometras: *Cum res æquales dividuntur in partes æquales, quæ ſuperſunt æqualia eſſe*. Neque item inde conſequitur, eadem ratione falli neſcia certos nos eſſe poſſe de veritate Propoſitionum Moralium, atque ſumus de veritate Propoſitionum documentis Mathematicis demonſtratarum; quamvis utrinque æqualis eſſe poſſit evidentia. In Demonſtratione accurata enunciationes præpoſitæ ejus naturæ ſunt, ut concluſionem procul dubio certam efficiant. In probationibus vero Moralibus enunciationes præpoſitæ hujuſmodi ſunt, ut conſecutionem ſimiliter citra erroris periculum certam reddant & exploratam: eo nimirum, ut ipſi abſque ulla æqua dubitatione acquieſcere poſſimus, etſi mathematica accuratione deducta non ſit. Duæ igitur Propoſitiones diverſæ eodem evidentiæ gradu præſtare poſſunt, ſcilicet utrique poteſt animus eadem facilitate ſe dedere: tametſi, ut ſunt ex principiis diſſimilis generis depromtæ, diſſimiliter quoque certæ eſſe poſſint. Quamobrem idem evidentiæ modus in duabus propoſitionibus non unius naturæ haud conficiet, eodem illas modo certas eſſe.

Mihi viſum eſt, oportere hucuſque intendere argumentum probans extare Traditiones pias: licet etenim certum moraliter ſit nobis tantummodo, & indubitate, non vero ab omni falſitate repugnans, inſtar Demonſtrationis Mathematicæ; nihiloſecius eum principia, oſtendentia pias Traditiones extare, æque ſint evidentia, atque ſunt principia Demonſtrationum, ſufficere pariter debent argumenta æque evidentia. Ex hac univerſa ratiocinatione elicere poſſumus, quæ ſequuntur, Corollaria.

COROLLARIUM I.

Conſtat, jure non agere Criticos, ubi rejiciunt pios, quos expendimus, Uſus ſine concluſo ipſorum falſitatis argumento.

COROLLARIUM II.

Liquet, Magnum Criticorum Principium mere per ſeſe ruere: nimirum admittenda non eſſe Facta hiſtorica, pro quibus teſtimonium non dicant Autores ejuſdem temporis, aut qui vixerint centum, aut circiter ducentis, poſtquam res accidit, annis.

COROLLARIUM III.

Perſpicuum eſt, Criticos non poſſe incommoda maxima evadere; quorum aliqua duabus poſitionibus antea factis indicavimus, cetera deinceps indicaturi ſumus.

COROLLARIUM IV.

Patet, uberes colligi fructus, nullumque impendere diſcrimen ſuſcipienti obſervantiâ multâ Sanctos iſtos mores, poſtquam illos ad Critices moderatæ regulas exegerit.

ARTICULUS III.

De diviſione piarum Traditionum Eccleſiæ.

CUm omnes Traditiones iſtæ ingenti ſint numero, nulloque pene junctæ inter ſe nexu, multi negotii res eſſet earum genera ſingillatim afferre. Nihilominus ut ullus iis quoque inſit ordo, & ad claſſem aliquam redigantur, locus eſt illas conſiderandi, 1. quod attinet ad Eccleſias, quibus acceptæ ſunt: quo ſenſu Generales dici poſſunt eæ, quas univerſa Eccleſia complexa eſt. Exemplo ſit, Sanctos Joachimum & Annam Deiparæ parentes eſſe; hujus corpus & animam cœlos conſcendiſſe; S. Joſephum Virginitatem ſervaſſe; Magos Jeſum Chriſtum adoraſſe Bethlehémi ante Purificationem; eoſque Reges fuiſſe. Peculiares autem cenſendæ ſunt Traditiones, quas hauſerunt quædam Eccleſiæ ſingulares, uti Carnotenſis, quæ oſtentat Induſium Beatæ Virginis Mariæ; Ambianenſis partem Capitis S. Joannis Baptiſtæ; Vazatenſis partem ſanguinis S. hujus Præcurſoris; Vindocinenſis Lacrymam Jeſu Chriſti; Ægentolienſis Veſtem inconſutilem.

In alia claſſe recenſere poſſumus pias iſtas Traditiones ſecundum Libros, apud quos leguntur. Aliquarum mentio fit in Operibus Patrum, Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum, Autorum de Geſtis Martyrum & Sanctorum. Alias reperire eſt in Libris Eccleſiæ uſui deſignatis. Ego ſane multus ero in illuſtrandis illis, quarum meminerunt *Pontificale Romanum*, *Martyrologium*, *Miſſale*, & *Calendaria*; nihil vero ſollicitum me habebunt Traditiones

tiones Eccleſiarum ſingularium; quarum tamen aliquam ex celebrioribus, pro re nata Critica lance ſuſpendam.

Materies quoque, ſive argumentum piarum Traditionum tertiam quandam claſſem efficere poſſunt. Quædam nanque ſunt: 1. Facta tantummodo hiſtorica, uti S. Jacobi in Hiſpaniam iter; adventus ſeptem Epiſcoporum in Gallias a primo ſæculo; S. Mariæ Magdalenæ, & Sociorum ejus in Provinciam; an tres, an vero una tantum fœmina hoc uſa ſit nomine.

Secundo Martyrium & Hiſtoria de Geſtis nonnullorum Sanctorum ſpectat ad pias Traditiones. An Apoſtoli omnes ex. gr. & Pontifices priorum ſæculorum ſanguinem pro Chriſto fuderint; num S. Joannes Evangeliſta in ferventis olei lebetem immiſſus fuerit; nonne Acta S. Clementis Papæ, & S. Theclæ, edita a Baſilio Seleucienſi, Mariæ Ancillæ legitima ſint, an vero ſuppoſititia.

Tertio Feſta & Solemnitates inſtitutæ pro celebrandis Myſteriis Jeſu Chriſti, Virginis Deiparæ, Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum. Hoc numero habeto, utrum celebranda ſit Conceptio Jeſu Chriſti in utero Matris octavo calendas Aprilis, & Ortus octavo calendas Januarii; utrum agendum Epiphaniæ Feſtum octavo idus Januarii. Demum Mira, Prodigia, Viſa, Revelationes nonnullis Sanctis tributæ; nec non exuviæ ipſorum, quas poſſidere aliqui credunt; Inſtrumenta Paſſionis Jeſu Chriſti; ipſius imagines, veſtes, reſque aliæ quibus uſi ſunt Virgo Mater, aut Sancti, partem non levem efficiunt piarum Traditionum.

Revocare quoque poſſumus ad trutinam pias Traditiones ex tempore, quo in vivis fuerunt Viri, rem in illis habentes; quo facta inciderunt, quove cæptum eſt eis litteris commendare. Hac porro via & ratione incedam in hoc Opere, aggreſſus ab iis, quæ pertinent ad Jeſum Chriſtum, pergam ad illas, quæ ſuperſunt nobis de Maria Virgine, de Sanctis Joſepho, Joanne Baptiſta, Apoſtolis, & item de reliquis.

Verumtamen ab hac ſectanda lege me abſolvam, quoties aliter poſtulabit rerum nexus. Quemadmodum diſputans de piis Traditionibus ſuper Vita & Morte Jeſu Chriſti, de illis agam, quæ attingunt veſtes ejus, imagines, domum, in qua natus eſt, quæque in præſentiarum jacet in Agro Lauretano: quamquam Traditiones iſtæ multo ſint recentiores.

Factum & Jus conſideranda ſunt in Traditionibus.

Antequam Articulo iſti modum impono, juvat animo repetere, poſſe nos duo in piis iſtis Traditionibus animadvertere, Factum, & Jus: nimirum pleriſque in univerſum acceptis, non parum eum Fide negotii eſſe. Piæ Traditiones, quæ attinent ad cultum Sanctorum, Imaginum, Reliquiarum, ad habendam miris rebus fidem, atque ad poteſtatem Eccleſiæ

ſuper

ſuper Inſtitutione Feſtorum, Solemnitatum, & Ceremoniarum: hæc univerſa ſunt rei Dogmaticæ, neque poſſunt in controverſiam vocari, niſi collato cum Hæreticis conſilio, qui obſervationes iſtas in ſuperſtitioſis habent, cultumque a Gentilitate non abhorrentem. Factum vero illud tantum complectitur, quod in piis Traditionibus eſt Hiſtoricæ facultatis. His itaque finibus Animadverſiones meas hac de re circumſcribo.

Neque etenim urget modo Heterodoxos inſectari, piarum Traditionum adverſarios, quatenus ad Fidem ſpectant, atque optimos mores. Jandiu eorum turba, qui Controverſiis elucidandis inſiſtunt, ſtatuerunt adverſus iſtos honorem Reliquiis, Sanctis, eorumque Imaginibus exhibendum: & millies convicti ſunt, Eccleſiæ poteſtatem eſſe inſtituendi nova Feſta, aliaſque id genus Solemnitates. Propoſitum itaque nobis eſt inveſtigare: nonne miraculum hoc fingillatim, hæc Reliquia, mos hic, Solemnitas iſta, pia iſthæc opinio ſatis habeat teſtimonii & firmitatis: an Traditio de ea nobis relicta ſit ſolida, quantum intereſt eſſe: num Facta hæc tantum hiſtorica, quæ per manus hominum ad nos uſque devenerunt, probabilitate polleant ad rectæ Critices regulas exacta, ut illis aſſentiamur, & fovendæ Chriſtianorum pietati objici poſſint, quin ipſis credentes nimiæ credulitatis, & ſuperſtitionis redarguantur: itemque utrum æquius ſit illa amplecti, quam rejicere.

Lectoris judicium ſit, pronunciare, nonne Viri poſtremorum ſæculorum ſapientes, quis viſum eſt, ipſorum referre in pias Traditiones iſtas inſurgere & decertare, majus ſibi fundamentum ſternant, ac Fideles, obſequenti illas animo ſuſcipientes, reſpondenteſque conſilio Eccleſiæ, quæ id rerum genus in medium affert, ut ſuorum pietatem excitet, tanquam inſtrumenta ſenſibus obnoxia, quæ pias animi affectiones in officio contineant; non tamen extorqueat ab ipſis Fidem eandem, ac flagitat rebus, Religionem & mores optimos attingentibus.

ARTICULUS IV.

Obſtitit Eccleſia ſemper Traditionibus Vulgaribus.

INfinitum moliretur Opus, qui aggrederetur univerſas colligere Fabulas, narrationes de arbitrio confictas, & deliramenta, quæ ſæculorum omnium intervallo in Eccleſiam univerſam irruperunt.

Ab ignorantia, mendaci ſtudio, vanitate, calumnia, eademque avaritia, ingenii humani imbecillitate, & pietate nimia tot perturbationum *Origo Hiſtoriarum falſarum.*

origo petenda eſt. In cujus vitii crimen veniunt Hæreticorum & Schiſmaticorum calliditas, veterum Monumentorum, & Librorum Eccleſiaſticorum jactura, non ſecus atque ſuppoſitio tot Factorum hiſtoricorum, Operumque tenebricoſorum, quæ ab Ævis primis prodire cognoſcimus; tempora demum incommoda, bella, Urbium & Provinciarum devaſtatio, confuſiones in Eccleſia partæ ab improbitate Gentilium & rabie Tyrannorum, qui Chriſtianorum oſſa Judæorum oſſibus permixta tumulabant, ne internoſcerentur, uti narrat Sanctus Ambroſius de Sanctis Vitale & Agricola: *Sepeliebant Judæorum ſolo, inter ipſorum ſepulchra*; & Juliano exprobrat Nazianzenus, ipſum videlicet in Religionis contentum miſcenda juſſiſſe Oſſa Chriſtianorum cum Oſſibus hominum impiiſſimorum.

Orat. in Julianum.

Sozomenus l. 5. cap. 8.

Nos docet Sozomenus, Reliquiis Sanctorum Neſtali & Zenonis interjecta fuiſſe oſſa aſinorum, aliorumque animalium, ne colligi potuiſſent: qua de re Martyrum nomina, & loca in quibus humati erant, Chriſtianos latebant, quod de ſancto Gervaſio ſermonem habens, animadvertit idem Ambroſius. Univerſa hæc incommoda, aliaque id genus innumera non parum contulerunt, ut cogeretur fatalis & copioſa ſtrues ſermonum vulgarium, fallacium Traditionum, & Reliquiarum veris ſuppoſitarum, aut de quibus merito ſuſpicari poſſimus.

Ambroſ. ep. 5.

Tametſi conſuetudo eruendi Sanctorum corpora, in membra diſcerpendi, & huc illucque amplioris cultus gratia transferendi, obtinuerit ubique a IX. ſæculo deinceps, incœperat tamen circiter ſeptimo. Compertum namque ex Hiſtoria eſt, a S. Uvenio ſublatum fuiſſe corpus S. Marculphi Abbatis Nannetenſis; a S. Elojo erutum & tranſlatum illud S. Quintini; ab Ausberto Epiſcopo Rothomagenſi, & Sancti Uvenii ſucceſſore, effoſſum corpus S. Uvenii; itemque a Sancto Auſchaldo Epiſcopo Pictavienſi S. Legerii; & a S. Ildephonſo S. Leucadiæ. Quæ, inquam, conſuetudo cum primum invaluit, ſtatim undique falſa Sanctorum Acta, & Hiſtorica Geſta prodire viſa ſunt, fictitiorum Miraculorum numerus auctus eſt. Ardor poſſidendi Sanctorum exuvias eo duxit homines, ut multas configerent, & novos in dies Martyres, novoſque Chriſti Confeſſores proferrent. Ad extremum propagari cœperunt Viſa plurima, cognitiones a Deo immiſſæ, Traditiones ſpuriæ, rumores vulgi, pietatis ſive obtentu, ſive exercitatione.

Vigilantia Concilium, & Paſtorum.

Verum Eccleſia & Paſtores aſſidue ſuper Jeſu Chriſti grege vigilias exercentes, quo illum ab hoſtium inſidiis in tuto collocarent, conatus omnes eo contulerunt, ut ſe interponerent, quominus effunderetur in dies virus erroris & mendacii fatale: neque ullum tot malis tutius remedium excogitarunt, quam ſi poteſtate uterentur, ſibi a Deo conceſſa; ut torrentis hujus vel rapiditatem ſuſtinerent, cum non poſſent curſum penitus cohibere.

A pri-

A primo ſæculo Presbyter quidam plus æquo credulus conſilium cœpit ſcribendi mendaces Apoſtolorum Hiſtorias, & Romanenſem quandam confecit fabellam de Sanctorum Pauli & Theclæ itineribus & eventis. Cujus ſceleris convictus coram S. Joanne Evangeliſta, faſſus eſt, ſe id amore & charitate in Paulum admiſiſſe, ut eatenus mentiretur. Sanctus vero Apoſtolus, uti accepimus a Tertulliano & Hieronymo, Presbyterum hunc, monimentum Eccleſiæ futurum, interdixit, & de Sacerdotio dejecit. *Tertul. lib. de Bapt. Hier. de Script. Eccleſ.*

Narrat Sanctus Optatus, reprehenſam a Diacono Cecilliano Matronam Carthaginenſem, quod oſcularetur oſſa Martyris cujuſdam, nondum ab Eccleſia probati.

Non pauca Concilia Canones ediderunt, quibus obeſſent, ne fideles homines hac in re hallucinarentur. Synodus Laodicena, quam exiſtimat Binius S. Sylveſtri Pontificis tempore celebratam, anathemate ferit Chriſtianos, honorem falſis Martyribus exhibentes: *ſint anathema, qui ad Pſeudo-Martyres acceſſerint*. Item Concilium Carthaginenſe, anno 398. coactum, improbat Altaria omnia, quæ potuerint erigi ex quorundam viſis & ſomniis; ſtatuitque demolienda illa, ſub quibus Corpora & Sanctorum exuviæ non requieſcunt. * *Concil. Laod. Can. 34.*

Sanctus Martinus evertit Altare cujuſdam Martyris, de cujus vita & interitu nihil conſtabat. Narrat S. Gregorius Turonenſis, reſtitiſſe S. Gregotium Lingonenſem cultui exhibito Reliquiis S. Benigni Divionenſis; quippe putabat illud eſſe Pagani corpus: donec certum habuit oſſa illa Sancti hominis fuiſſe. Ab eodem Gregorio accepimus, Raguemodum Epiſcopum Pariſienſem in carcerem conjeciſſe Heremitam quendam *Didierum* nomine, quod nimirum mendaces Reliquias diſtribueret. *Sulp. Sev. in Vita S. Mart. c. 8. S. Greg. Tur. de Glor. Mart. c. 52.*

Patres Concilii Conſtantinopolitani, anno 692. congregati, ſupplentes Canonibus ſuis V. & VI. Conciliis Œcumenicis, quodque propterea *Pentecton* appellatur, igne abſumenda ſanxerunt falſas omnes Martyrum Hiſtorias, quæ a veritatis, ajunt, hoſtibus commenta ſunt, vel ut probro eſſent Martyribus, vel ut ad Infidelitatem traducerent eos, qui illarum Lectioni intererant: immo anathemate plectunt univerſos, a quibus recipiantur, quique ipſis fidem adhibeant. * *

Concilium Romanum anni 945. ſub Zacharia Pontifice, ut ſacrilegam *Act. 5.*

* *Omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur; niſi uti corpus, aut aliqua Reliquia ſunt, aut origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Namque per ſomnia, & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum, ubicumque conſtituuntur Altaria, omnino improbentur.* Conc. Carthag.

** *Quæ a veritatis hoſtibus falſo conficta ſunt Martyrum Hiſtoria, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri eſſent, ad infidelitatem deducerent, in Eccleſia non publicari jubemus, ſed eas igni tradi. Qui eas autem admittunt, vel tanquam veris iis mentem adhibent anathematizamus.* Conc. Quin. ſext. in Trullo Can. 63.

damnat Orationem Clementis & Adalberti, qui Urielem alioſque falſos ſpiritus, tanquam bonos Angelos invocabant. Canon vero 42. Concilii Francofordienſis, anno 794. celebrati, ſuper hac re animadverſione dignum eſt. Cautum eſt hoc Canone, ne honore afficiatur, aut invocetur Sanctus ullus, ſive memoria ejus colatur; antequam illum Eccleſia receperit, & Martyrii ejus Acta probarit. *

Paullo poſt tale quoddam Decretum protulit Carolus Magnus, ſive potius juſſit, ſervandos integerrime Canones Concilii Africani, prohibentis cultum Martyrum, qui incerto ſunt nomine. **

Præterea multarum Synodorum aliarum Canones ſæculis inſequentibus editos; quique non ſecus atque recenſiti firmo eſſe poſſent argumento, obſtitiſſe ſemper Eccleſiam vulgaribus opinionibus; & nulla in re ſibi peperciſſe, ut ipſarum propagationem intercluderet; quin uſam fuiſſe ſemper aptiſſimis & validiſſimis rationibus, ut pias Traditiones, & populares internoſceret.

ARTICULUS V.

Quas adhibuerit Eccleſia vias & rationes, ut piarum Traditionum, & vulgi rumorum delectum haberet.

Ratio prima. MOdus primus, quem hac de re adhibuit Eccleſia, ut hoc diſcrimen faceret, pertinet ad Moderationes multas, quibus veros & falſos Matyres dignoſceret; quapropter accurata Regeſta deſcripſit; Scriptores ſtatuit, qui colligerent, aut ipſorum Acta conſcriberent, quæque jam corrupta erant, reficerent.

Inſtituit ſuos Notarii. Sanctus Pontifex Clemens paſſim cenſetur Autor laudandæ hujus Inſtitutionis, primo ſæculo exeunte. Statuit ſiquidem, ſeptem Notarios, ſive Scriptores, quorum ſingulis duas Urbis regiones deſignavit, ut Acta congregarent, & in album redigerent eorum omnium, qui pro Jeſu Chriſto mortem oppetierant. Quinquaginta poſt annos S. Fabianus Papa ſeptem delegit Subdiaconos, qui ſeptem Notariis invigilarent, queis incumbebat

* *Nulli novi Sancti colantur, aut inveniantur, nec memoria eorum per vias erigantur; ſed hi ſoli in Eccleſia venerandi ſunt, qui ex auctoritate Paſſionum & Vita merito electi ſunt.*

** *Item in eodem* (Concilio Africano) *ut falſa nomina Martyrum, & incerta Sanctorum memoria non venerentur.* Adrianus Pontifex in Epiſtola ad Carolum Magnum, Decretum edidit ſimillimum, depromtum ab eodem Concilio Carthaginenſi, celebrato anno 401. poſt Stiliconis Conſulatum.

accu-

accurate & fideliter Martyrum Acta cogere, & ſcriptis mandare. Hic mos nondum obſoleverat in Eccleſia Romana ſeculo IV. quo tempore ſolebant e Provinciis Romam mittere Acta Martyrum, ut in ordinem & Collectionem aliorum inferrentur, poſtquam a Pontificibus expenſa fuerant. *AB. Vig. Trid. apud Mabill ſæcul. 5. præf. num. 93.*

Extat Canon Concilii Illiberitani, anno 305. ſecundum aliquos regnante Marcello Pontifice coacti, ſecundum alios vero ſimilius ante S. Cypriani tempora, quo decretum eſt, impoſterum nullas receptum iri Martyrum Reliquias, quæ in anteceſſum ab Epiſcopis non ſint probatæ.

Gelaſius Pontifex Deceſſorum ſuorum ardore animatus, rationem aliam cogitavit, qua infinitas Traditiones mendaces ictu pene uno deleret. Concivit nanque Romæ, V. Ævo labente, Synodum, qua celebre Decretum edidit damnans magnum Operum fabuloſorum numerum, quæ ubique terrarum propagata fuerant de Vita Jeſu Chriſti, Virginis Deiparæ, Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum; & innumeris falſis Traditionibus conferta erant. * *Ratio altera.*

Sub exitum ſexti ſæculi ad duos alios modos Patres confugerunt. Primus refertur in ſecondo Concilio Cæſarauguſtano, anno 592. celebrato, quod edicit igne probandas Reliquias ab Epiſcopis Arianis acceptas: *Reliquiæ de Ariana Hæreſi in quibuſcunque locis inventæ, delatæ ad Epiſcopos, igne probentur.* Tum etenim temporis exiſtimabant, oportere citius falſas Reliquias igni tradere, quam dubias publicæ venerationi proponere. *Ratio tertia.*

Experimentum hoc ſicum erat in veris Reliquiis habendis iis, quæ ignem evadebant; fallacibus autem cenſendis, quæ in cineres reſolvebantur. Porro cum probatio iſthæc ſingularis ſit, videaturque tentare Deum, atque ab illo mira facta repetere; fortaſſis *igne probentur*, ſignificat tantummodo, falſas Reliquias *in ignem conſumendas ejici* conſueviſſe. Gregorius certe Pontifex modo hoc altero uſus eſt. Cum etenim Reliquiarum tranſlatio in cauſſa eſſet, cur mendaces etiam haud raro fidelium cultui exhiberentur; Pontifex hic, conſultus de Reliquiis incerti Martyris cujuſdam, nomine Sixti, qui in Anglia colebatur, juſſit Sancto Auguſtino, Regionum illarum Apoſtolo, eas recondi, & nullo modo in publicum exponi. Cujus S. Doctoris reſponſum plura complectitur animadverſione digniſſima, quibus certiores efficimur, quot adhibitis cautionibus Sancti alicujus Reliquiæ tum admitterentur. Opus namque 1. erat, ut Miracula præceſſiſſent. 2. Ut teſtes fide digni confirmarent, illum Martyrem

* Habeto Decreti verba: *Secundum antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in Sancta Romana Eccleſia non leguntur Geſta Sanctorum Martyrum, quia & eorum qui ſcripſere nomina ignorantur, & ab Infidelibus aut minus apte, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur; ſicut rujuſdam Quirici, &c.*

eſſe.

eſſe. Æqui ſane & boni faciet, Lector, nos integrum hic Gregorii locum ſubjicere. *

Quarta Ratio. Apotheoſis. Non poterat autem Eccleſia accommodatiorem modum amplecti, ut falſis Traditionibus, & vulgi opinionibus frenos injiceret, quam novas condere Leges pro authentica Sanctorum receptione, utque eorum numero accenſerentur, quos cultu publico donare ſolet Eccleſia; quodque deinceps vocatum eſt *Canonizatio*.

In tres ætates partiri commode poſſumus ritum Eccleſiæ referendi homines in Faſtos Sanctorum. Prior perſeveravit ab eo tempore, quo Religioſus honor Martyribus conſtitutus eſt ad decimum uſque ſæculum. Secunda ad Ævum Alexandri III. qui in Petri locum ſuffectus eſt anno 1159. Poſtrema tandem ab hoc Pontifice ad nos.

Modus adſcribendi Sanctorum ordini ſimpliciſſimus erat primis Eccleſiæ ſæculis, facillimus, & modico confectus apparatu. Initio Martyribus tantum patebat, deque accuratione in rem hanc adhibita judicium habere poſſumus ex diligentia, qua Eccleſia Romana & Præſules colligebant nomina eorum, qui pro Chriſto martyrium ſuſtinebant, ejuſque adjuncta. Quare integrum non erat, collocare in Dypticis ſacris, neque memoriam colere Martyris alicujus in ſancto Sacrificio, qui vindicatus publice non fuiſſet, ejuſque cultus non probatus & ſultus auctoritate Epiſcopi, aut ejus Synodi.

Conſequentibus temporibus majora proviſa ſunt ad Sanctorum Apotheoſim. Pontifex in Aula Lateranenſi Concilium habebat Epiſcoporum Presbyterorum, Diaconorum, & Cleri Romani; legebantur Geſta & mira facta Viri ſancti concione frequenti; quod ſi prodigia extra omnem controverſiam poſita erant, & teſtibus occularibus confirmata, ex adſtantium votis Pontifex ſancti hominis memoriam conſecrabat.

Poſtremis autem diebus aliæ ſunt additæ ſolemnitates, quas inter eminet relatio in cœtum Beatorum. Hæc eſt proviſio quædam, aut diſpoſitionis genus ad generalem Apotheoſim, qua peracta licet nobis Sanctum virum, de quo agitur, cultu proſequi in Eccleſia quadam ſingulari, aut regione, vel Familia univerſa religioſa. In conſuetudinem pariter venit, ne agatur de Sanctorum Apotheoſi, niſi magno interjecto temporis ſpatio, ad veritatem certius inquiſitionibus ſeverioribus illuſtrandam. Quæ viæ & rationes expurgandi Divorum cultum in Eccleſia, non modo paullatim coercuerunt licentiam immoderatam augendi numerum Sancto-

* *Si corpus, quod a populo cujuſdam Martyris eſſe creditur, nullibi illic miraculis coruſcat, & neque aliqui ex antiquioribus exiſtunt qui ſe a parentibus paſſionis ejus ordinem audiſſe fateantur: Reliquia ſeorſim condenda ſunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obſtruatur; nec permittatur populus certum deſerere, & incertum venerari.* Greg. l. 12. Epiſt. 31. inter Mag. 9.

rum

rum Ignotorum; miracula & rumores populorum de ipsorum cultu; sed contulerunt etiam ad multorum falsitatem aperiendam, quorum memoria abolenda erat; atque ad plurimas Traditiones fabulosas a germanis distinguendas.

Emendatio Librorum Ecclesiasticorum.

Non satis tamen erat, Ecclesiam, aggere quodam extructo, Traditionum vulgarium torrentem cohibuisse, nisi Libros ejus usui designatos ab illis vindicasset, quæ in eos irrepserant sive temporum injuria, sive illorum negligentia, qui preces in Ecclesia recitandas digesserunt: id autem sapienter admodum præstitum est a prioribus Ecclesiæ sæculis. Statuit Concilium Milevitanum secundum Canone duodecimo, dicendas Preces esse, Orationes, Missas, Præfationes, Commendationes, & Manuum impositiones, quibus Concilii alicujus suffragium accesserit; cavetque ab aliis omnibus, nisi proponantur a Viris Doctis, & Synodo probentur; veritum ne imprudentiæ aut insciticæ causa, quid pium Fidei adversum in illas subrepat. *

Conc. Milev. Can. 12.

Idem provisum est in sæculis posterioribus, maxime vero in postremis, quæ majori excellucrunt studio ablegandi a Libris Ecclesiasticis innumeras mendaces Traditiones, rumoresque vulgi, quos barbaræ ætates invexerant. Extat præclara hac de re moderatio in Concilio Senonensi, habito anno 1528., in quo jubentur Episcopi diligentem ad trutinam revocare Breviaria, Missalia, Antiphonalia, & Legendas Sanctorum, ut queant inde vel supervacanea, & Ecclesiæ indecora summovere, vel quæ videbuntur, adjungere. **

Conc. Senon. c. 21.

Concilium Colonienſe anni 1536. Decretum sanxit satis simile Senonensi. *** Post Tridentinam autem Synodum Ecclesiæ peculiares incubuerunt, ut Libros Ecclesiasticos, quibus utebantur, expurgarent; vixque manavit Concilii illius imperium de reficiendis Breviario, Missali, aliisque Ecclesiasticis Libris, indicta statim sunt in Galliis & alibi non pauca Concilia Provincialia, quæ leges multas condiderunt, ut exterminarent a Libris Ecclesiæ quidquid precum Ecclesiasticarum gravitatem dedecebat.

Conc. Trid. Sess. 28.

* *Placuit etiam & illud, ut preces, vel orationes, seu Missa, quæ probata fuerint in Concilio, sive Præfationes, sive commendationes, seu manuum impositiones ab omnibus celebrentur. Nec alia omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractata, vel composita fuerint in Synodo: ne forte aliquid contra Fidem vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.* Conc. Milev. can. 12.

** *Diœcesani statim post dissolutum præsens Concilium diligenter visitabunt Breviaria, Missalia, Antiphonalia, ac Sanctorum Legendas: & quæ deprehenderint in illis superflua, aut non satis pro Ecclesiæ dignitate convenientia, ipsi continuo tollent, & resecabunt; & quæ viderint necessaria, adjicient.* Conc. Senon. cap. 21.

*** *Videbimur enim opera pretium facturum, si Missalia perinde, atque Breviaria pervideri curemus; ut amputatis tantum superfluis, & quæ superstitiosius inventa videri possunt, ea tantum quæ dignitati Ecclesiæ, & priscis institutis consentanea fuerint, relinquantur.* Conc. Colon. c. 11.

An-

Anno 1583. tria Concilia celebrata sunt, primum Rhemis, alterum Burdigalæ, tertium Turonis, quæ tamen præcesserat Rothomagense, anno 1581. congregatum, cujus sensa videntur consilii plenissima. *

Taceitus prætermitto Concilia Provincialia Brugense, Narbonnense, & alia nonnulla, quæ Decreta protulerunt Rothomagensi affinia. Ecce itaque rationes & viæ, quas temporibus universis adhibuit Ecclesia, ut vulgi Traditiones insectaretur, earum cursum reprimeret, Libros Ecclesiasticos expurgaret, easque a piis Fidelium opinionibus secerneret, quæ longe dissimili sunt ingenio.

DISSERTATIO II.

De pronunciatis, quibus usi sunt Viri Docti, ut fabulas a veritate separarent super Actis Martyrum, Gestis Sanctorum, multisque Sanctis Institutionibus.

ARTICULUS I.

De laudabili Criticorum recentiorum consilio, qui aggressi sunt ad redimendam Historiam Ecclesiæ a vulgi erroribus, falsisque Traditionibus.

§. I.

Quo pacto id consilium opere impleverint.

Gloriosum Sapientum facinus

NEmo sane poterat consilium animo versare Litterariæ Reipublicæ, atque Ecclesiæ commodius, quam aggredi ad extricandam aggestionem hanc Traditionum vulgarium, mendacium Prodigiorum, Historiarum fabulosarum de Actis Veterum Martyrum, Gestisque Sanctorum.

* *Hortamur nostra Provincia Episcopos, ut diligenter inspiciant, & examinent suarum Diœcesum preculas horarias, Breviaria, Missalia, agendas seu Manualia Curatorum, atque alios Libros Ecclesiasticos, ac ceremonias; ne quid contineant contrarium Doctrinæ Catholicæ, aut veris historiis Sanctorum, aut sortilegiis affine, aut aliquid, quod ad ædificationem Ecclesiasticæ disciplinæ, & morum pietatem non pertineat.* Concil. Rothom. cap. de Cultu Divino.

Quam

Quam juſtam indignationem eruditus quidam Præſul in eos oſtendit, qui ad perturbationes iſtas operam contulerunt, quamque nihil æquius fuit querelis, a Vives in eoſdem jactis; tam nihil eſt laude & grato animo dignius, atque ardor ſapientum ævi noſtri Criticorum, qui vigilias ſuas conſecrarunt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ a tot Factis ſuppoſititiis vindicandæ, & conſuetudinibus ſive haud recte conſtitutis, ſive ſuperſtitioſis, quas in eam populorum inſcitia, piorum hominum credulitas, hæreticorum malitia, fallaxque Scriptorum Catholicorum ardor invexerant.

Melch. Can. de loc. Theol. l. 11. c. 6.
Vives l. 5. de tradt. diſcipl.

Quo autem conſilium hoc opere impleretur, tres declinandi erant ſummi diſcriminis ſcopuli, in quos plerique ſapientum illiſerant. Primum habeo Politicam, peſſimamque ſagacitatem; alterum nimium credulam Simplicitatem; tertium Criticen immoderatam.

Tres ſcopuli vitandi.

Qui priore vitio laborarunt, ii populum ineptum exiſtimarunt, aut minus dignum, ut illi veritas traderetur; neceſſumque habuerunt, illum in iis omnibus opinionibus detinere, quas hauſerat obtentu Religionis, veriti ne futile oppugnantes, ſolidum concuterent. Vecordes iſti Politices ſtudioſi altius effodere non audent, videnturque pavere ſi quando antiquitatem ſcrutentur, obtrudentes aliis inſtar noſtrum vixiſſe veteres omnes: quaſi vero prodeſſe aliquando poſſet falli, aut veritas diuturna meditatione in falſitatem poſſet evadere.

Politica Scriptorum.

Scriptores plus ſatis fidem ſuam præbentes aliis, at leves ſimul & ſolliciti, ea non præſtabant virtute, ut turbæ veluti obſiſterent fabularum iſtarum infantiæ præjudiciis fultarum. Cum nanque iſti umbram quoque Religionis venerentur, nunquam ſatis ſe credere arbitrantur; partemque pietatis haud modicam in eo collocant, ut credant quiquid ab Scriptoribus Catholicis profectum eſt, & quidquid plebs indocta ratum habet & conſtans. Verum pietas ſolida in Religionis veritate & puritate diligenda poſita eſt.

Simplicitas nimium credula.

Porro certum eſt, Criticos eruditos aptiores fuiſſe, quibus proſpere cederet facinus hoc; niſi eorum plerique in illud exitium ſe præcipites dediſſent, in quod ſe commiſerunt Proteſtantes, qui Criticen eo compulerunt uſque, ut nihil relinqueret explorati. Eſt ſane cur dicamus, quod probro futurum erit Religioni, pravum Sapientiam oſtentandi ardorem nonnullis Catholicis in cauſſa fuiſſe, ut ad hæc immoderata traducerentur, qui non audent Miris factis aut viſis aſſentiri, ne ſimpliciores habeantur, atque in plebis credulæ, ſæpiuſque ſuperſtitioſæ vulgus inferantur.

Critice immoderata.
Fleur. in Præf.

Poſtremis autem temporibus iſtis prodire conſpeximus Sapientes plurimos cum perſpicaces tum moderatos, qui ſibi blandiuntur perinde ac ab extremis hiſce univerſis deflexerint, videlicet a vecordi piorum Po-

Sapientum labor.

litica, ab ſcrupuloſa aliorum credulitate, a critice demum immoderata & faſtidii plena ceterorum. Vehementer laborarunt in colenda Hiſtoria rudi admodum & congeſta, in Factis reſtituendis, in larva Scriptoribus detrahenda, in optimo grano a paleis ſecernendo, atque a tenebris lucem excutiendo, hoc eſt, in veritate ſtatuenda, fabulis expugnandis, ſenſuque exquiſito revocando.

Integritas illorum in ſcribendo.

Satis erit, ſi conjicias oculos in Proœmia, doctorum Criticorum iſtorum Operibus præfixa, ut de integritate voluntatis eorum judicium feras, cum primum ad ſcribendum de Hiſtoria Eccleſiaſtica exorſi ſunt. Aliquid ſane tum ipſorum animi ſtudio, tum imo quoque conſilio defeciſſet, ſi operam ipſi ſuam circumſcripſiſſent in conſtituenda antiquitate Religionis, exiſtentis perpetua quadam, & nunquam interrupta conſecutione populorum Fidelium, Paſtorum, & Miniſtrorum; ſelicique prorſus ſucceſſione doctrinæ, diſciplinæ, morumque optimorum: vel ſi nihil aliud propoſitum fuiſſet ſibi, quam tot Martyrum & Sanctorum exemplis nos ad pietatem virtutumque exercitationem excitare: Aliquid inquam, ſane ſuſcepto ab ipſis conſilio defeciſſet, ſi præteriiſſent Hiſtoriam Eccleſiaſticam a fictionibus fabuliſque expurgare, quibus deformatur, atque a Chriſtianorum animis tot narratiunculas, erroreſque populares depellere de vetuſtis Conſuetudinibus, Actis Martyrum, Geſtis Sanctorum, Miraculis, Reliquiiſque. Qua de re perſuaſum eſt adeo cunctis Doctoribus iſtis, ſe immane hoc Chaos extricaſſe; ut ex eo putent glorioſum laborum ſuorum fructum percepiſſe. Fac ergo illos audiamus.

Propoſitum ipſorum.

In ſpem non mediocrem, ajunt, inducimur fore, ut ſimpliciores homines, minuſque de diſciplinis ſolliciti, Sapientibus debeant, quod ſtudium contulerint ſuum ad expendendos quoſdam vetuſtos mores, atque Hiſtorias Sanctorum, quæ in Apocrypharum numerum detrudi merentur: quandoquidem hoc pacto germanæ hiſtoriæ certiores fiunt, & quo delectus hic accuratior eſt, eo majus Eccleſiæ comparat emolumentum. Teſtantur pariter, ſe id oneris ſubiiſſe, cum rem hanc Eccleſiæ gratam facere meditati ſunt, ut ab operibus ſuis, quidquid aperte falſum erat, delerent; ſique ipſis fides eſt, iis tantum ſe ſcripturos eſſe indixerunt, qui Religione, exquiſito Litterarum ſenſu, & ſtudio veritatis excellunt; qui propterea legunt, ut utilia documenta capiant, melioreſque fiant; qui Chriſtianitatem magnam ita ſolidamque, atque revera eſt, noviſſe amant; atque ab illa ſemovere, quidquid per ignorantiam & ſuperſtitionem temporum intervallo in eam irrepſerat. Contendunt denique, poſſe Litteratos viros, citraquam minore peccent in Traditiones obſequio, eas ad trutinam revocare, queis fides ſit adhibenda;

Baill. 4. Maii pag. 443.

Baill. in Adm. art. 6.

Fleuriau in Præf.

jm-

immo id debere, ne mendacium permixtione veris injuriam inferant. Alias fabulæ, quæ ſive ocius ſive ſerius, aliquando certe ſe prodent, anſam præberent, derogandi fidem omnibus, meliuſque confirmatas oppugnandi.

Multa Sapientibus iſtis debemus officia, qui conſtanter adeo vigilias ſuas in eo poſuerunt, ut a tot fabuloſis narrationibus, miraculis ſuppoſititiis, & ſuſpicioſis Reliquiis Hiſtoriam abstergerent. Nunquam igitur ſatis doctorum Criticorum iſtorum ſtudium & curam laudibus celebrare quis poterit; & pro certo habeant, eruditionem ſuam, laboremque ſingularem Poſteris eſſe tradendum; Eccleſiamque ipſam haud commiſſuram, ut non profiteatur, ſe ipſis æque debere plurimum, atque Litterarum Rempublicam: ſi modo rei exitus promiſſis eorum, publicæque expectationi reſpondeat, atque ipſi fines illos non ſint egreſſi, quos ſibi præſtituerant. *Gratias ipſis habet Reſpublica Chriſtiana.*

§. II.

Docti homines in explendo conſilio ſuo id prætergreſſi ſunt, quod ipſis propoſitum erat. Populorum ſuper hac re querelæ.

HÆreo in ancipiti, nonne Sapientes iſti granum omne bonum ſervaverint, dum in eradicanda zizania toti fuerunt: nonne inter vulgi rumores plurimas ſanctas inſtitutiones implicaverint; atque an ſatis feliciter errorem fabulam & mendacium a pia opinione, a re dubia & probabili diſſicaverint. Aſt certe cuique apprime certum eſt, has eſſe repetitas illas, quæ undique ſubaudiuntur, querelas. Quid quod videntur Critici noſtri præclariſſimi, tantum abeſt ut id inficientur, illud potius gloriæ ſibi & honori ducere. Porro ſi nihil erat, quod ſibi hac in re redarguerent, quare publicas accuſationes antevertere ſtuduerunt? Habeto qui loquatur Tillemontius. Non deerit fortaſſe, inquit vir iſte ſummus, pius aliquis homo, qui credat, nos animo laborandi in augenda pietate, eam ex adverſo labefactaſſe, fructumque ſuſtuliſſe, qui ab Hiſtoriis capi ſolet, dum ſallacem incertamque proponimus eorum partem, quæ pro more complectuntur; atque hinc univerſas in dubitationem adducimus iis, qui non ſatis ingenio & doctrina pollent, ut verum & ſallax internoſcant. *Critici modum exceſſerunt.* *Conqueſtiones populorum prævenerunt.* *Tillem. in Adm.*

Non levem autem veritatis ſpeciem habet, odoratum fuiſſe Fleurium Abbatem poſſe homines illi ſortaſſe crimini dare, quod ſecurim longius injecerit: cum dicit de excellenti ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica: „ Sane de- „ prehendo, Hiſtoriam hanc minus acceptam fore modicis hominibus, ad- „ dictis præjudiciis ſuis, paratiſque ſemper illos damnare, qui eos ab er- *Fleur. in Præf.*

„ rore revocare ſatagunt, aures a veritate removentes, ut eas ad fabu-
„ las admoveant, doctoreſque, qui deſideriis ſuis indulgeant, perquiren-
„ tes. " Eadem proſpexit Bailletus in Admonitionibus ſuis. Metuendum eſt, ait, ne non ſupervacaneæ ſint *Admonitiones iſtæ* ſtudioſis quibuſdam hominibus, aut ingeniis præoccupatis, qui haberi vellent tanquam auſum & impudentiam puniendam, libertatem illam, quam nobis vindicavimus, ut eos longius ducceremus, quam ferebant ipſorum Traditiones & præjudicia.

Baill. in admon. art. 8.

Nihil fecit Eccleſia vanas plebis querelas.

Quod ſi Litterati Viri iſti nihil ulterius ſuſceperunt, quam veritatem tueri, & mendacio bellum inferre: quorſum tot rationes habent? An ne laborabunt de vanis populi rudis querimoniis? Eccleſia profecto & Præſules, qui unaquaque ætate abripuerunt ipſi veluti e manibus tot mendaces Sanctorum Hiſtorias, Reliquiaſque ſpurias, non hunc ipſi morem geſſerunt: ſed a fallentibus prodigiis averterunt, qui ejus admirationem excitabant; detraxerunt plurimas inſtitutiones, mores, vetuſtoſque errores, per quos vel illuſioni obnoxius eſſe poterat, vel in cultum ſuperſtitioſum incidere: quin vereretur illum laceſſere, aut ipſi diſplicere.

Non eſt ferendus error vanus.

Quo pernicioſum ſemper fuit errorem ferre, eo commodius eſt illum coram aggredi, & aperto Marte oppugnare, qui a rudi indoctaque plebe minore animi proviſione complectitur. Ceterum pro rato habemus, præſto fuiſſe Fleurio Abbati momenta gravia, ut huic omnino adverſam viam & rationem iniret. „ Melior, inquit navus hic Hiſtoricus, contra
„ innocentes errores arma ferendi modus eſt, eos in lucem non proferre.
„ Nollem equidem, ſive concionem habens, ſive ſcribens, factum ullum
„ unquam enunciare, quod veritati conſentaneum eſſe non ducerem: at
„ nollem quoque in illud publice citra neceſſitatem decertare. "

Fleur. in Præf.

Ex quo Scriptor aliquis vigilias ſuas veritatis obſequio dicavit, aut illam populis pro concione aperire ſuſcepit, officio, quod remitti nequit, obſtringitur, ut apertum fabulæ & mendacio bellum indicat; & mirari ſubit, ſapientis hujus Abbatis Criticen tantum præferre ignaviæ notam a Proœmio ipſo; quæ tamen alibi undique aliquanto ſeverior eſt, & difficilioris compoſitionis. Quod vero extra aleam eſt, tum Eccleſia, tum Præſules hac animi facilitate innocentibus populorum erroribus non indulſerunt.

Eccleſia contra.

Nunquam reperies, integrum fuiſſe per Eccleſiam Fidelibus, ut conſuetudinibus ſuperſtitioſis, aut certe erroneis adhærerent, citra quam illas adoriretur, publiceque exterminaret; ſique aliquando diſtulit tantiſper in eas cenſuram ferre, propterea fuit, ut fructus in arbore, dixerim, matureſceret, & leniter decideret. Quam eandem animi cautionem adhibuit de Miris, Factis, ſuſpicioſiſque SS. exuviis: neque tamen video exem-

plis

plis firmare quem poſſe, Eccleſiæ Præſules non ſemper ſtrenue in falſa prodigia, mores ſuperſtitioſos, Reliquiaſque ſuppoſititias inſurexiſſe, ubi de illorum omnium falſitate certa documenta ſunt aſſecuti. Nihili duxerunt injuſtos populi queſtus, qui per ſeſe intercidere, cum primum neglecti ſunt; neque extat, quod noverim, exemplum in Eccleſiaſtica Hiſtoria niſi maxime rarum, Populum ſcilicet pertinaciter Sancti alicujus particulas honore afficere voluiſſe, ex quo ab illius cultu abſtinendum eſſe Eccleſia decrevit.

In quo germana pietas ſita ſit. Tillem. Baill. Fleurius.

Centies nos docent Critici noſtri præſtantes, nunquam emolumento futurum, ſe decipere; genuinam pietatem in veritatis, integræque Religionis amore conſtitui; & veritatem, non vero hominum errores, aut calumniatorum fictiones, viæ vitæque noſtræ loco habendam eſſe. Tum etiam addunt, quod ſæpius adeo ajebat Auguſtinus, pietatis noſtræ momentum non quidem in illuſione & mendacio collocari; inde nanque in ſuperſtitionem evaderet. Quæ cum ita ſint, mirari ſubit, Viros iſtos laboraſſe plurimum, ut ſe a futilibus multitudinis conqueſtionibus in tuto ponerent, perinde ac illam injuria affeciſſent, dum toti fuerunt in illæ erudienda, in vetuſtis erroribus ab ea extorquendis, in veritate & mendacio ejus commodis extricando: cum potius immortale hoc facinus honeſtorum hominum; ſapientum, Eccleſiæque univerſæ exiſtimationem ipſis acquirere debuiſſet.

Verum eſt ſane cur vereamur, Litteratos Hiſtoricos noſtros aliqua perſuaſum ratione habuiſſe, ne de ipſis conquereremur, non quod vulgares errores proſcripſiſſent, ſed quod funditus evertiſſent potius magnum ſanctarum inſtitutionum, piarumque Traditionum numerum, cauſſamque rei prætexiſſent inſtaurandæ Hiſtoriæ, atque ad unguem in omnibus caſtigandæ.

Argumentum querelarum adverſus Critico.

Quod germanum revera eſt, ſi rumorem undique fuſum in judicium vocemus, æquiſſimarum argumentum querelarum, non dicam multitudinis, ſed Virorum pietate & Religionis ardore præſtantium; Sapientum hominum, quorum animos non disjicit novitatis ſtudium; Prælatorum denique, totiuſque eruditæ plebis; ſi paucos excipias, qui honori ducunt a turba ſecedere. Non expoſtulant itaque eum eis, quod vlm reconditæ eruditionis omnem jactaverint, ut ſuffoderent errores, fabulas & figmenta; ſed quod contendant, ajunt, cultui Chriſtifidelium ſubtrahere ſuavia quædam objecta, quorum memoria ipſorum pietatem aliqua fovet ratione, minuſque moleſtam efficit piarum imaginum varietate, quas cum Chriſtianæ fidei lacte imbiberunt.

Nos ſane cœpiſſent, ſi feliciter Hiſtoriam iis omnibus expurgaſſent, quæ poſſunt illam in ſuſpicionem adducere; & ſeverioris Critices luminibus,

bus, pietatis rudis & immoderatæ momenta omnia & fulcimenta adeò deturbaſſent, ut nemo impoſterum Chriſtifidelibus portenta mendacia obtruderet; nulla objiceretur ipſis Reliquia ſuſpicioſa, aut Conſuetudo non ſatis firma, aut Factum Eccleſiaſticum levibus teſtimoniis innixum traderetur. Opus certe iſtud, ut ferunt, non minus Eccleſiæ, quam Litterarum Reipublicæ commodi afferret & utilitatis. Me præterit, quare tot ſanctos mores, innoxiaſque opiniones cum fabulis & ſuperſtitionibus implicarint, & vehemens ſtudium ſuum in pias illas Traditiones accenderint, quas non ſuſcipimus tanquam certas, & errori repugnantes, ſed utpote affectas non mediocri ſimilitudine veri, eademque omnino probabilitate, atque innumera Facta hiſtorica, quibus referſerunt Opera ſua, eorumque potiſſimam partem efficiunt.

Querimonia Fidelium. In hoc itaque poſita eſt genuina ratio, quare Fideles, hominesque pietate inſignes jure querelas deplorent. Æquum ne eſt, inquiunt, furripere nobis tot Acta vetuſtorum Martyrum, Vitaſque Sanctorum, obtentu calumniatorum, qui id genus aliquas aliquando confinxerunt; ſpoliare nos tot admirandis Hiſtoriis, Sanctorumque Reliquiis, quarum cultus rationi apprime videtur conſentaneus, propterea videlicet quod non ſemel mendaces pietatis profeſſores extiterint?

Æquum ne eſt, ſupprimere tot Facta hiſtorica, antiquos mores, ſanctaſque inſtitutiones, ab Eccleſia taeite ſaltem probatas, atque ab eadem in Libris, quibus utitur, Fidelium obſervantiæ propoſitas; quoniam ad ſalutem neceſſitatem non habent; licet illas accommodatas exiſtiment ad pietatem excitandam, virtutiſque exercitationem ineundam?

Aliquis denique ſolatio locus eſſet (eſt autem hæc acrior honeſtorum hominum querela, in horum omnium ſpoliatione) hilari quinimmo corde ſacrum hoc Depoſitum, a Patribus noſtris commiſſum nobis, deſereremus, ſi ſapientes iſti Critici id oneris in ſe ſuſcepiſſent, ut firmis rationibus errorem noſtrum depellerent, optimiſque argumentis confeciſſent, univerſas haſce Traditiones pias falſas eſſe, ſuppoſititias, atque inter vulgi errores tantummodo ablegandas.

Hactenus vero de his queſtibus piorum hominum. Si rectæ nanque haud reſpondent rationi, intererit eruditionis Virorum iſtorum, ut illarum injuſtitiam in apertum proferant; ſi vero ulla ſunt animadverſione dignæ, tanta fide pollent, ut eas flocci non ſint facturi, priuſquam conſilii ſui certiorem faciant Litterarum Rempublicam.

Ceterum illud ratum habere volo, ipſorum animis non inſediſſe, pias Traditiones proſcribere, quin ſolida preſto eis eſſent fundamenta. Poſtulat itaque res interea dijudicare, num ejuſmodi ſit laborum illorum fructus, ac ipſi fore ſperabant. De quo ut judicium feramus, ſatis erit, a-

ni-

animadvertere, qua nam ratione magnum consilium hoc opere impleverint; legesque ad trutinam revocare, quas ediderunt, ne hallucinarentur in delectu Historiarum germanarum a fabulis, utque discrimen habere possent inter utrasque Factorum, quæ probabilitatis fines haud egrediuntur, quæque media veluti sunt inter falsa & certa, inter veritatem & mendacium; atque inter sinceras testatasque Historias, & errores sermonesque vulgi.

ARTICULUS II.

Regula Generalis ad expurgandam a Fabulis Historiam Ecclesiasticam.

Non est admittendum Factum Historicum, quod ab Auctoribus, ejusdem aut ferme ejusdem temporis non confirmetur.

Incommodæ Principii hujus consecutiones.

REgula hæc, quæ solidum affert Critice in ea omnia fundamentum, in quæ jus suum ars hæc singularis exercet, principium jacit Criticis nostris sapientibus indubitatum, quo falsas Traditiones a veris expediant; tenebras discutiant ab hominibus, falsæ pietati addictis, de fide Miraculorum, Reliquiarum, Revelationum, multarumque institutionum dubiæ aut minus constantis originis; quove utantur, lydio veluti lapide ad Acta Martyrum, narrationesque Sanctorum minus castigatas dignoscendas.

Exploratum apud omnes Litteratos est, necessarium usui Critices esse Principium hoc; non constat autem de tempore Autoribus, res tradentibus, designando, ut ipsorum testimonium optimum argumentum sufficiat. Dupinus & Fleurius contendunt, nauci habendum quidquid novitius autor enunciat haud innixum testimonio veteris alicujus Scriptoris, qui rei gestæ ætate vel certe propiori, vixerit.

Dupinus de Doctr. Christ. c. 20. p. 639. & 641. Gall. Fleurius in Proœm. Hist. Eccl. Gall.

Nonnulli alii, quorum loca retulimus, tempus tribus aut quatuor generationibus circumscribunt; quidam centum annis, multi circiter ducentis.

Animad. in Reg. & Usum Crit. Dissert. II. 2. p. art. 5.

Quo vero Autoris, eadem ætate florentis, testimonium argumento sit, præstat examinare, an fidem mereatur; an indicia præbeat vanitatis, hebetis judicii, odii, alicujus in re compendii, sive alterius affectionis animi, quæ ipsius autoritatem extenuare possit: nonne optimis ingenii & cor-

cordis dispositionibus ornatus sit, quas in Autore flagitamus, ut ipsius dictis audientes simus, cujusmodi sunt sinceritas, accuratio, vacuus animus, probitas, aliæque intimæ qualitates, de quibus alibi multis disputavimus.

Vid. art. 6.

§. I.

Principium hoc iis omnibus suspicionem affert, quæ in medium attulerunt tum antiqui tum recentes Historici de veteris Testamenti rebus, in Sacris Bibliis haud enarratis.

Historia Josephi.

NEmo unus in controversiam vocabit, Josephum Judæorum Historicum sub titulo Antiquitatum Judaicarum, in hoc Opus intulisse

In Proœmio.

plurima, de quibus apud sacras Litteras altum silentium est. Tametsi profiteatur, se scripturum diligenter nationis suæ antiquitatem, hujus Reipublicæ formam, Historiamque quinque millium annorum in divinis Libris comprehensam; addatque, se ab eo non discessurum ordine, quem Scriptores sancti servarunt, nullis adscriptis aut demtis: nihilosecius satis compertum est, non modo Autorem hunc præteriisse multa in Sacris Bibliis relata, verum etiam, quod nostra interest, adjunxisse Historias, quæque ipsis adjacent, de quibus nulla in sacro Textu mentio fit. An non patet, Josephum plerorumque Factorum istorum sponsores haud afferre, neque posse nos indicare Scriptores ejusdem ævi, aut illius rei fontes, ut iis autoritatem afferamus, quæ Biblico contextui superstruxit eruditus hic Judæus? Et tamen cui nam hucusque in mentem venit, fabulis accensere tot additamenta, quamvis minime eatenus confirmata; ut magnum Criticorum nostrorum pronunciatum postularet?

Historia alia.

Quis erit exitus Historiæ Orosianæ; Annalium Ecclesiasticorum Baliani, Tornielli, & Spondani; Bibliothecæ sacræ Veteris Testamenti Schotani; Historiæ Sanctæ antiqui & novi Testamenti Talonii; Historiæ Veteris Testamenti Andillii, atque in universum omnium Operum aliorum Scriptorum, qui Biblicæ Historiæ dederunt operam; ne excepto quidem P. Alexandro. Unus ne tot inter Scriptores est, qui Facta aut adjuncta Facti bene multa non referat, sine ullo Autorum ejus rei Principum vade? Pro equitate nanque certum & constans habemus, eos nihil attulisse, licet haud semper indicent, quod e rerum fonte non manaret.

Enim vero quanquam ita ferret Doctorum istorum institutum, ut additamenta hæc omnia citius projicerent, quam a principio suo gratiosissimo deficerent, exulatumque mitterent inter fabulas vi legis hujus, quam veluti Critices universæ fundamentum suspiciunt; non video qui subduci poterunt, ne infra Traditiones populares, narratiunculasque pro libidine fa-

factas detrudant innumera, quæ Patres Eccleſiæ de Veteris Teſtamenti Hiſtoria Poſteris commendarunt, Facta quidem neque in Scripturis obvia, neque Autoris ejuſdem ævi teſtimonio roborata. Nolumus porro intelligi dicta noſtra de interpretationibus Scripturæ Sanctæ a Doctoribus item Sanctis appoſitis, neque de variis ſenſis, erutis e contextu, aut de explicationibus & animadverſionibus moralibus, quibus difficultates enodare, noſque inſtituere ſtuduerunt; loquimur etenim de Factis iſtis hiſtoricis, vel adjunctis, quæ tenere non poſſumus, niſi Textus ipſius præſidio, aut affirmantibus teſtibus fide dignis.

Evolvere ne poteris Tractationem S. Epiphanii de Vitis Prophetarum, Opus S. Iſidori Hiſpalenſis de Ortu & Morte Patriarcarum; quin deprehendas, Sanctos hoſce Patres facta quamplurima exequi narrando, ad Vetus Teſtamentum attinentia, de quibus ne veſtigium quidem in Sacris Litteris, vel Scriptoribus, qui Jeſu Chriſti adventum præceſſerunt? Neceſſum erit itaque, egregio Criticorum noſtrorum ſuadente Principio, quæcunque ambo Patres iſti hac de re tradiderunt, in fabuloſis narrationibus ducere. *S. Epiphanius. S. Iſidorus.*

§. II.

Si ſtandum eſſet Principio huic, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ pars corrueret.

NON indigeremus ſane magnitudinis tantæ Voluminibus, ut illis Hiſtoriam Eccleſiaſticam committeremus, ſi ex opinione Sapientum noſtrorum ineunda tantum ratio eſt probationum illarum, quæ a primariis Scriptoribus teſtimonium habent. Oporteret etenim inter facta rejicere, nulla prorſus fide digna, quidquid geſtum eſt ab aſſumta per Chriſtum carne ad interitum uſque SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quodque ab ſcriptoribus Eccleſiaſticis, a tertio ſæculo ad occaſum vergente florentibus, accepimus; neque in Novo Teſtamento legitur, neque Patrum vetuſtiorum teſtimonio fulcitur. Idemque dicendum eſſet de memorandis Factis pluribus poſt martyrium Principum Apoſtolorum in Eccleſia patratis, & poſteritati traditis a Sanctis Doctoribus quarti ſæculi ineuntis, quorum nihil prædeceſſores eorum meminerant.

Quæ non apparerent in Hiſtoria Eccleſiaſtica lacunæ, ſi Principium hoc tanta eſſet, quanta contendunt, ſoliditate? Quot adjuncta, Vitas B. Virginis, Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, Virorumque Apoſtolicorum, aliorumque Sanctorum attingentia; quæ Facta non minoris ad nos erudiendos, quam ad pietatem Chriſtianorum fovendam opportunitatis, exiſtimanda eſſent inſtar fabularum & Traditionum vulgarium, ſi in rem *Lacunoſa multa eſſent in Hiſtoria.*

eſſet cohibere ſe iis tantumodo ſuſcipiendis, quæ ab Autoribus uno vel duobus ad ſummum ſæculis a re diſtantibus, enarrantur?

Nullius frugis eſſet plerorumqi Patrum labor.

Supervacaneum erat ſane, Euſebium, Athanaſium, Epiphanium, Baſilium, utroſque Gregorios Nazianzenum & Nyſſenum, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Hieronymum, Cyrillos tum Hieroſolymitanum, tum Alexandrinum, totque alios Patres, Scriptoreſque Eccleſiaſticos celeberrimos, operam ſtudiumque ſuum conferre ad colligendos ſcriptis ſuis tot pretioſa fragmenta memorabilium verborum, illuſtrium Geſtorum, Hiſtoriarum exempli ſancti, piarumque Traditionum, quæ a primo Ævo ad eos uſque contigerant, atque animis duntaxat Fidelium ſervata fuerant. Supervacaneum, inquam, erat, Viros hoſce præſtantiſſimos ad Poſteros traducere hæc univerſa; quandoquidem hodierni Sapientes, per occaſionem dirigendæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, illa in fabulis numeraturi erant, neque calculum ducturi argumentorum de Factis hujuſmodi, præterquam ab Scriptoribus originariis. Inter hos autem recenſere non poſſumus Patres ſuperius citatos, quoad Facta priore ſæculo, vel altero incipiente geſta.

Intererit etiam ejuſdem monito rationis contemnere quæque inſequentium temporum Autores retulerunt ducentis circiter, poſtquam res acciderant, ſæculis; non ſecus atque adjuncta multa de Vita Scriptorum, quæ perſecuti ſunt in Indice Autorum Eccleſiaſticorum Hieronymus, Iſidorus Hiſpalenſis, Sigebertus Gemblacenſis, & Henricus Gandavenſis: nonnulli ſiquidem earum in vivis fuerunt ante annos, quam Bibliothecarum collectores iſti, ducentos.

Martyrologia fabulis redundarent.

Quodnam fatum erit Martyrologii quoque, S. Hieronymo tributi, aliorumque Bedæ, Uſuardi, Adonis, Notkeri, ceterorumque multorum? Quot nam de Sanctis ſermonem inſtituerunt Autores iſti, qui ſæcula multa præ ipſis ferebant; neque de illis verbum fortaſſe ullum aliis exciderat? Quot facta in vulgus educunt, nullo adhibito pro illis ſponſore? Nonne cogemur, indicta pœna nos inter fabularum ſtudioſos adſcribendi, nihili facere teſtimonium omnium Scriptorum iſtorum, quod nimirum e prima origine rem non hauſerint?

Alia item Martyrum & Sanctorum.

Si denique obfirmet animum Critice in contendendo, ut de vetuſtis omnibus Sanctorum Hiſtoriis judicium ex magni hujus Principii edicto feratur; uilæ ne vix ſupererunt authenticæ & ſinceræ, & pleræque nunquid non ut piæ fabellæ Romanenſes habebuntur? Liquet etenim, nos latere Scriptores Actorum quamplurimorum priſcorum Martyrum; neque minus compertum eſt, pleraque multis ab eorum morte ſæculis conſcripta fuiſſe. Haud abſimiliter dicito de Hiſtoriis Sanctorum. Quamobrem paucula admodum eſſent, quæ ſuperſunt, admittenda ex omnibus hiſce ſummi

ſni pretii monumentis, ſi firmum ſatis eſſet Sapientum noſtrorum principium.

Auctoritatem Patrum exterminat.

Quod ſi celebre pronunciatum hoc magnam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partem diruit, an non locus erit propugnandi, idem funditus evertere autoritatem Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum? Si nanque tot Facta litteris tradiderunt abſque vade Sancti Doctores iſti; atque audiendum ſit Eruditorum noſtrorum effatum, alterum tantum ex his tribus conſiliis reliquum nobis eſt, ut capiamus.

1. Sive affirmare, Patres cum per ſeſe res callere non poſſent, longo adeo priuſquam illas chartis promerent, tempore geſtas, neque eaſdem ab antiquioribus Scriptoribus depromſiſſent; eas neceſſario excogitaſſe, & merito nos de illis ſuſpicionem movere poſſe, quod facilius, ac par erat, vulgi rumores exceperint.

2. Si vero Critici noſtri ſatis obſequii Sanctis Præceptoribus iſtis præſtare velint, eoſque narrationum de arbitrio confictarum Autores haud inducere; neceſſum erit eos principio ſuo nuncium remittere, deque illius futilitate ingenue profiteri.

3. Sive demum aſſerere opus erit, Autores Eccleſiaſticos hæc accepiſſe Traditionis ore; & conſequenter agnoſcere, admitti poſſe citra nimiæ credulitatis notam multas Sanctas Inſtitutiones, piaſque Traditiones; etſi collectæ non ſint, niſi multis ab illarum origine evolutis temporibus.

§. III.

Opus eſſet, ſectantes hoc illuſtrium Criticorum noſtrorum principium detrahere ab ipſorum Operibus hiſtorica Facta quamplurima.

Critici leges condunt, neque ipſis parent.

HUjuſmodi profecto eſt inſtitutum hoc, cui prudentum hominum nemo aſſentiri poſſit: egregias regulas ſancire, atque ab omnibus deficere; in Proœmiis principia magna ſternere, eorumque in Operis contextu obliviſci. Nihil revera eſt, quod magis Lectoris animum antevertat, quam in fronte Librorum ſplendida hæc & perſtringentia verba offendere. „ Ego quidem in argumentis non habeo niſi Scriptorum rei „ Principum teſtimonia, eorum videlicet, qui vel eodem, vel propiori „ tempore ſcripſerunt. Memoria nanque Factorum abſque Scriptionis au- „ xilio diu ſervari non poteſt: extremum erit, ſi ſæculi intervallo perſe- „ veret. Facta, quæ per gradus multos ad nos deſcendunt, non eadem „ præſtant certa veritate. Quilibet leve aliquid de penu ſuo addit, ta- „ metſi imprudens addat. Idemque locum habet in Scriptoribus, qui de „ Factis memiuerunt, multis retro ſæculis actis; ubi etenim Autores non

Fleurius Hiſt. Eccl. in Proœm. Gall.

„ afferunt, ſuſpicari jure poſſumus, eos levius, quam par eſſet, vulgi „ rumoribus animum adhibuiſſe. „

Tillemontius. Bailletus. Dupinus.

Si e re foret citra judicium haurire quiquid Tillemontius, Bailletus, Dupinus, aliique Doctores nonnulli efferunt conſtantia tanta, contemnenda eſſe ea omnia, quæ Autoris ejuſdem ævi teſtimonium haud confirmat; facile perſuaſum haberemus, nihil induſtrios hoſce Criticos in Operibus ſuis poſuiſſe, ad hanc amuſſim regulam non exactum. Porro ſi oporteret, delere ab ipſorum Scriptis quæcunque Facta hiſtorica a primariis Autoribus non confirmantur, plurima ſane emergerent, quæ non poſſemus ad narratiuncula fabuloſas, vulgique commenta non amandare.

Delenda multa eſſent ab Eruditorum Libris.

Ne pigeat evolvere, quæ Launojus, Tillemontius, Bailletus, Thierius, Patres Thomaſſinus, Mabillonius, Alexander, aliique lucubrarunt de Hiſtoria Eccleſiæ, Actis antiquorum Martyrum, Geſtiſque Sanctorum: quot hinc lacunoſa in iſtorum Voluminibus non deprehendes, ſi Fabulas pronunciare volueris quidquid ab Autore ejuſdem ætatis haud proficiſcitur? Hujus rei tot alibi congeſſimus exempla, ut non vacet hic alia congerere. Id unum non præteribo, Tillemontium, quod ſane pro rata ratione de ceteris Criticis affirmari commode poſſet, in priore Monumentorum ſuorum Eccleſiaſticorum Volumine, quod explicit in morte Apoſtolorum, maximum ſtatuere Factorum hiſtoricorum numerum fide Scriptorum, qui ducentis, trecentis, quadringentis, quingentis, & ſexcentis annis diſtant ab illis rebus. Annon ad accurationem tanti Viri pene haud imitabilem ſpectaret, vel ſubducere a Monumentis ſuis tot narrationes, vel ab hoc Principio ſe abdicare?

Conjice, ſi libet, oculos in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Fleurii; expende primum & alterum prioris Voluminis Librum, qui complectuntur tantum ſeptuaginta annorum eventa, ab Aſcenſione ſcilicet Jeſu Chriſti ad Trajani Imperium: calculum certe in duobus hiſce Libris conficere poteris quamplurimorum Factorum, nullo alio pro ipſis ſpondente, niſi Autoribus quarti ſæculi, & deinceps. Idemque pro rata parte de aliis docti hujus Abbatis Operibus concludere erit.

Neceſſum itaque habebimus ſuccidere ab illius Hiſtoria tot Facta graviſſima, tot Acta Martyrum priſcorum, Geſtaque Divorum, quibus pars non mediocris Hiſtoriæ neque minus clara contexitur; ſive ipſius regulam abjicere? Nihil profecto medium eſt; ſi nanque Scriptorum iſtorum Eccleſiaſticorum teſtimonium *in argumentis non eſt habendum*; quoniam primarii non ſunt, *ſuſpicari jure poſſemus, eos levius, quam par eſſet, vulgi rumoribus animum adhibuiſſe*. Porro quibus oculis aſpiceret Abbas hic eruditus Hiſtoriam ſuam, omnium judicio rectam adeo, accuratam, atque ingenioſam, tot fabuloſis eventis conſarcinatam eſſe?

Fleur. in Præf.

No-

Novi equidem contendere Fleurium, *Euſebium in originariis Scriptoribus recenſeri quoad tria priora Sæcula; quandoquidem præſto erant ipſi Scripta plurima, a nobis deperdita, quorum ſæpe eadem verba recitat; atque ex iis, quæ extant, comperimus, eum fideliter teſtimonia proferre.* Ex hac argumentatione concluditur ne, alios Scriptores Eccleſiaſticos, Euſebio æquales, aut paullo poſt florentes, originarios nequaquam eſſe? Si ſunt, quare privilegium hoc uni Euſebio conceditur? Si contra ſentit, quare illos adducit, ut primi ſæculi Facta confirmet? Quidquid itaque inde deprompent, vulgi rumores exiſtimabimus, niſi vades proferant? *Ibidem.*

Verum præterquamquod perſpicax nimis eſt Abbas hic, quam ut omnia ab Euſebio narrata amplectatur; neque diffitebitur, lapſum fuiſſe multis Hiſtoricum iſtum, de quibus eum redargunt Sapientes, neque potuit purgare Præſes Couſinus: nunquid eſt in ancipiti, Euſebium non ſemper teſtes adducere? Fateor ultro, quoties Euſebius protulit vades, toties Fleurium eos in ora Libri ſui adnotaſſe: at quot ne loca alia profert, in quibus Euſebius neminem, qui pro ſe ſponderet, adhibuit? Quamobrem itaque integrum non erit attingere ſuſpicione, Euſebium proclivius ad narrationes iſtas animum convertiſſe? *Euſebius non ſemper adducit teſtes.*

Propterea, inquies, quia animadvertere licet, *Euſebium citare fideliter. Ubicumque autem gravis Autor vetuſtiores laudat, e quibus, quæ narrat, excerpſerit, fidem noſtram repoſcit, quamquam Scriptores illi perierint.* Æquiſſima animadverſio. Sed cum Euſebius non citat, uti contigit in Factis pleriſque, ab Abbate noſtro in Hiſtoriam ſuam traductis; tum juſne erit attingendi ſuſpicione Euſebium proclivius ad narrationes ſuas animum convertiſſe? Porro quot de rebus ſpoliandi forent priores duo Fleurianæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libri, ut alios præteream? *Ibidem.*

Tametſi Euſebius præſtaret fidem in citando, quoties appellat de nomine prædes ſuos, ecquis in ſe recipiet, illum haud referre multa, diſſipatis quibuſdam rumoribus innixa, quotics non appellat: ſiquidem fabulis aliquando non vacat, ubi illos in medium vocat, ut convenit apud aliquos? Deinde ſciſcitamur a Fleurio, qua de re ſtandum ſit Euſebii teſtimonio de primi Sæculi eventis, non concedendum autem privilegium iſtud Sanctis Cyrillis tum Hieroſolymitano, tum Alexandrino, Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Chryſoſtomo, Auguſtino, Ambroſio, Hieronymo, aliiſque multis, aut ejuſdem, aut non multo poſterioris ætatis? Si rei hujus in cauſſa ſit, quod appareat, Euſebium exquiſito ſenſu & intelligentia claruiſſe, fabuliſque inſenſum fuiſſe; verbum tantummodo reponere placet: nimirum ſi præclaræ dotes iſtæ certa efficere poſſunt quæ tradit tum etiam, quando teſtes non producit; ſique dotibus iiſdem non fuiſſe inſignitos Patres exiſtimet; adeoque nihili faciendum

eorum teſtimonium, niſi ab antiquiori firmatum : perſuaſum nobis eſſe eruditum Abbatem noſtrum æquum ſatis & rectum hominem haberi ut non fateatur, detrahenda neceſsario eſſe ab ejus Hiſtoria Facta quæcunque ab his duntaxat Patribus recitantur. Ecce quo, ut videtur, ducat acceptiſſimum Criticis noſtris principium.

ARTICULUS III.

Pronunciata alia paſſim Criticis probata, quibus piæ Traditiones ab opinionibus vulgaribus ſecernantur.

§. I.

Rejicere quædam Facta hiſtorica, aſſumta ratione; quod de illis non meminerint Sacræ Litteræ; aut contendere, ea ſatis eſſe refutata, ſi non excutiantur.

Quam prætexant rationem piis Traditionibus rejiciendis.

NIhil admodum eſt majori pietatis exemplo, ac demiſsum obſequium illud, quod Factis omnibus hiſtoricis, a Scriptura memoratis præſtant Critici noſtri. Altius adeo efferunt obſequium iſtud, ut velum inde efficiant, quo pias Traditiones univerſas, quibus non ſapit palatus eorum, contegere poſſint. Incidunt ne in priſcum inſtitutum quoddam, ſibi non probatum : ſtatuunt ne ad fabulas detrudere piam Traditionem ; eam oppugnare tacite, populiſque ſuadere, recipiendam non eſse ? totum illorum eſt in ſilentio Scripturarum perfugium.

Tillem. art. 4. de Jeſu Chriſto. Hoc pacto Tillemontius, ab iis diſsentiens, quæ nobis de Jeſu Chriſti Imagine fert Traditio, cauſsatur, „ ſi nobis neceſsaria futura fuiſset notitia „ iſthæc, eam ab ipſo traditum iri in Evangelio. „ Deque Virgine Deipara diſserens: „ Noſtrum, ait, non eſt laudes ejus fando proſequi, quæ „ ex omni æternitate in Dei, Verbique æterni Matrem electa, omnibus „ verbis humanis major eſt. Contenti erimus itaque, ea colligere, quæ „ apud Evangeliſtas de illa extant, cum difficile ſit, plura de geſtis ejus „ narrare, quæ certa ſint & teſtata. „

Art. 2. de Maria Virg. Bail. in ſerm. de Vit. SS. Poſtquam etiam retulit, quæ comparavit ex Evangelio de Mariæ Virginis origine, ſubjungit, cetera ad ejus Genealogiam & Parentes ſpectantia ſupervacaneam curioſitatem involvere. Denique mentione habita nonnullorum Feſtorum in ejus celebritatem inſtitutorum, concludit, eſse ſatis, quin aliis, quæ de ipſa feruntur, immoraretur, „ certo tenere, Ar„ changelo teſte, eam fuiſse dilectam a Deo, in oculis ejus, atque a „ Domino inhabitatam.

Quo

Quo poſito egregio pronunciato, non ii ſunt amplius Autores Eccleſiaſtici, qui audiantur, cum aggrediuntur aperire nobis Facta multa animadverſione digna de Chriſto Domino ejuſque Matre; quoties illa ſanctæ Litteræ ſilentio præterierunt.

Porro animi pendeo, an ſapientibus hominibus ratio hæc gravis eo videatur, ut ab Chriſtianorum mentibus depellat Traditiones pias, quas Eccleſiæ Patres ſuper his rebus nobis reliquerunt. Exploratum certe eſt Criticos iſtos manifeſte præceptis ſuis adverſari. Cum ſcribit Tillemonius. „ A quarto ſæculo invaluiſſe in Ægypto Traditionem, Chriſtum „ Jeſum in Thebaidem cum Maria & Joſepho veniſſe; eoque Templum „ Hermopolis ejuſdem Provinciæ Urbis ingrediente, omnia Templi illius „ Idola labefactata fuiſſe atque eliſa. „ Addit ſuper teſtimonio Sozomeni, „ dum portas Urbis Jeſus introiret, Malum Perſicum procerum, portæ „ proximum, & ſuperſtitioſis, ut apparet, honoribus cultum, ad ſolum „ uſque inflexiſſe ſe, ipſumque adoraſſe: ætate item ſua arborem hanc extitiſſe, proditumque fuiſſe, ipſius folia, corticem, & ligni particulas „ ægris admotas, eorum morbis, accedente fide, creberrime mederi, & „ incolumes reddere. „ Et eum dicit Bailletus, Theodoſium Cœnobitam in ſpeluncam ſeceſſiſſe, in qua tradebatur dormiiſſe Magos, dum reverterentur ab adoratione infantuli Jeſus, recens Bethleemi nati.

Tillem. Tom. 1. art. 4. de Chriſto Domino pag. 10.

Sozomenus l. 5. cap. 11.

Baill. Vit. SS. 2. Id. Januar.

Cum inquam Litterati Viri iſti pias Traditiones haſce firmant Autorum teſtimonio, qui multis poſt ævis vixerunt, æqui ne & boni faciens, aliquem ipſis exprobrare, quod injuria id genus rebus opera ſua conſarcinaverint? *Si nobis etenim neceſſaria futura fuiſſet notitia iſthæc, eam Chriſtus Dominus in Evangelio tradidiſſet.*

Cum Dupinus detrectat aſſentiri opinioni de Apoſtolis ad Simbolum edendum in unum coactis; ſique Jolius refragarur communi ſententiæ, de corpore ſimul & anima Virginis e mortuis excitatis perhibenti: uterque uno Lucæ ſilentio commoti hæc aſpernantur. Launojus quoque & Alexander ſæpe in ejuſdem effati fidem ſe recipiunt. Nihil magis accommodatum habet Fleurius, ut quos appellat innocentes errores ſtirpitus convellat. „ Nemo me interroget, inquit, quare in primo ſæculo pauca adeo de „ Deipara Apoſtoliſque retulerim; retuli namque quidquid certi & con„ firmati deprehendi. „ Exindeque in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica nihil prorſus narrat de Maria Virgine, præterquam perſeveraſſe illam in Oratione cum Diſcipulis Jeſu Chriſti, Epheſumque incoluiſſe cum Evangeliſta Joanne. Nunquid nihil aliud præter iſta de beatiſſima Virgine hae rati & conſtantis deprehendit Abbas noſter? An ne Evangeliſtæ Facti hujus narratores, multa alia de eadem non ſunt perſecuti?

Dupinus Diſſ. Præl. pag. 100. col. 1.

Jolius de verbis Uſuardi pag. 64.

In Præmio.

Fleur. Hiſt. Eccl. l. 1. p. 2. Item art. 25.

Verum enim vero, nonne adjuncta alia non callemus de Geſtis Deiparæ & Apo-

& Apoſtolorum, quæ in celebri hac Hiſtoria Eccleſiaſtica ſedem habere; & paginas ejus aliquas implere potuiſſent, præterquam in Evangelio comprehenſa? Adjuncta ne iſta minorem contuliſſent ſplendorem, minorem ſuavitatem aſperſiſſent, minus Fidelium pietatem excitaſſent, ac fabulæ multæ, quibus viſum eſt Autori locupletare Opus ſuum, communi tamen judicio emendatiſſimum?

Hiſtoria Apollonii Thianei.

Mirum profecto eſt, Fleurium accuratione tanta geſtis Appollonii Thianæi * conſcribendis incubuiſſe, deque ipſius ortu, parentibus, ſtudiis, officiis, itineribus, diſcipuliſque diſputaſſe: non preteriiſſe jactata ipſius oſtenta, mortis ejus adjuncta, ſymulacra recta, divinos honores collatos: utque nihil de calumniatoris hujus imagine deſiderari videretur, magnam ejus ingenii virtutem, corporiſque ſpeciem venuſtam deſcripſiſſe. Mirum inquam eſt, prudentem Hiſtoricum iſtum multas Operis ſui paginas occupaſſe, ** ut dicendo exequeretur tot narrationes de induſtria compactas de iſto Ethnico Philoſopho: dum ſibi perſuaſit, excludenda inde eſſe, & reticenda quæ Scriptores Eccleſiaſtici nos docuerunt de immaculata Virginis Conceptione, de Præſentatione in Templo, de Miris ejus, Reliquiis, glorioſa in cœlum Aſſumtione, aliiſque Geſtorum eum ejus, tum Apoſtolicorum adjunctis.

Fabulis redundat.

At enim retuli de Deipara, Apoſtoliſque, quidquid certi & confirmati deprehendi. Ita. Verum quæ de Philoſopho Thianæo ex Philoſtrato recenſet, certius ne eſt, quam quæ Gregorius Nyſſenus, Epiphanius, Gregorius Turonenſis, Joannes Damaſcenus, multique alii Patres de Virgine, Sanctique Doctores de preclaris Apoſtolorum facinoribus produxerunt?

Antecellet ne teſtimonium Sophiſtæ Philoſtratis tot Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis? Quicunque legit Librum Sophiſtæ hujus, ſtatim agnoſcit, quot fabulis redundet Hiſtoria iſta; quæ revera non eſt niſi mendaciorum, fabularum enormium, vulgarium ſermonum, & portentorum nunquam factorum ſtrues ***, ut idem Abbas compertum habet.

Interea non repugnamus, Philoſophi hujus Vitam commode fortaſſe

* Anno 1705. cuſus eſt Pariſiis apud Giffartium Liber inſcriptus Gall. *Hiſtoria Apollonii Thianai, falſitatis & calumniæ convicta*. Autor, qui Claravallenſis eſt, oſtendit, Hiſtoriam hanc carere teſtibus fide dignis, Romanenſem fabellam eſſe, & hujuſmodi ut non audiatur. Fatis ceſſit Apollonius nonagenario ſex annis major.

** Fleurius prioris Tomi Hiſtoriæ ſuæ paginas 20. 21. 22. 520. 121. 122. 213. 302. 304. 307. 315. 316. tribuit Hiſtoriæ Apollonii texendæ.

*** Tot mira patrantem Apollonium ſuum Philoſtratus induxit, ut quidam nomine Hierocles, ab Euſebio in Tractatione quadam in rem hanc facta refutatus, illum impie Jeſu Chriſto comparaverit. Imperator Caracalla calumniatoris hujus miris factis adeo captus eſt, ut illum in ſemideis collocaverit; & ſacrum iſi erigi ſimulacrum curaverit nomine *Herculis morbos depellentis*.

pagi-

paginas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ multas complere, multumque momenti habere ad Evangelii ſoliditatem illuſtrandam. Nihilo tamen ſecius doctus quidam Autor ait, ſe nolle, verſari librum ſuum in manibus adoleſcentum & ſimplicium hominum, qui plus æquo facti a natura ſunt ad præſtigiatorum & magorum narratiunculas imbibendas. Et tamen Romanenſem hanc Hiſtoriam non verentur tradere per manus omnium; ſibi vero ſcrupulum ingerunt in inſtituendis Chriſti fidelibus de multis optimi exempli factis, quæ de Geſtis Deiparæ Patres Eccleſiæ nobis ſervarunt.

Vallemontius in Elementis Hiſt. Tom. 2. l. 4. c. 6. Gall.

Simile vero ſatis eſt, ſtudioſos homines gratiam habituros Fleurio; quod per illum patuerit ipſis aptiſſima quædam ratio in invidiam & contemtum fidelibus adducendi Traditiones pias. *Melior* per ipſum *contra innocentes errores arma ferendi modus eſt, eos in lucem non proferre .... obſtinatior enim impugnatio nihil prodeſt, niſi ut illos confirmet*. Incommode ſane cadit, Launojum, Tillemontium, Bailletum, Thierium, Dupinum, Patreſque eruditos Thomaſſinum, Mabillonium, Alexandrum, alioſque Criticos non exiſtimaſſe ſatis tutam regulam iſtam ad vetuſtos errores de loco movendos, atque ad eradicandas ex animis Chriſtianorum pias Traditiones, quæ ipſis non arrident: eos inquam, qui omnibus Critices ſeverioris acuminibus in eo poſitis, ut ab illis Chriſti aſſeclas avocarent, non putarunt temporis jacturam facere, ſi Opera integra ad illarum aliquas peculiares exagitandas conficerent. Conſtans argumentum, pias haſce opiniones omnino contemtibiles, minuſque probabiles nequaquam eſſe. Veteres errores, & commenta narrationum gerunt ſemper notas perſpicuas adeo futilitatis ipſorum, ut ſupervacaneum fere videatur, ſummos hoſce Viros exegiſſe vigilias ſuas, vimque omnem robuſtioris Critices in illis oppugnandis expertos fuiſſe.

Altera ratio, qua in pias Traditiones inſurgunt. *In Præmio.*

Perſuaſum Fleurio fuit: „ urgere directo opiniones iſtas in quibuſdam lo„ cis, & coram aliquibus, offenſioni ipſis eſſe, illos exaſperare, & cha„ ritatem graviter lædere. Præſtat itaque opiniones iſtas ſuſtinere, taci„ tos illas tum ſcriptis tum ſermonibus prætereundo: ſatiſque habere „ ſi illas ſingillatim infectemus, ubi homines offenderimus, noſtris ar„ gumentis ſuſcipiendis appoſitos. „ Verum quid frugis eſt, ut pias Traditiones levibus affectati ſilentii armis aggrediamur? Nolumus, inquiunt, offenſioni eſſe quibuſdam; eos exaſperare; & charitatem graviter lædere. At enim numquam excellentius charitas exerceretur, atque in removendis hominibus a falſis moribus & inſtitutis, quæ ad illuſiones eos traducere, vel in errorem impellere poſſunt. Noſque ſpondere conſtanter non dubitamus, pias opiniones, quas Eccleſia vel patitur, vel probat, vereri magis Cricicen faſtidioſam, contemnentem, & alto in ſilentio jacentem, quam audacioris & ſeverioris Critices perſpicacitatem &

In Præmio.

Piæ opiniones cenſuram non metuunt.

vires omnes. Ad hoc Tribunal appellant, coram hoc judicium ſui ſubire volunt. Obſcuritatem & tenebras, quibus involvantur, non amant, neque credulos aut indoctos propugnatores. Non timent, ſe in mendaces evaſuras diuturna apud Rempublicam Litteratorum inveſtigatione: ſique metuendum quidpiam ipſis eſſet, illud eſſet, ne non vocarentur ad trutinam, atque ab acrioribus & inexorabilibus Criticis expenderentur.

§. II.

Contendere, propugnatores piarum Traditionum teneri, ut eorum fontes indicent, & auctoritatem oſtendant.

QUanquam ſtet animo, nullum Eccleſiaſticorum Factorum huic Tractationi propoſitorum aſſerere, quin per fuſorium veluti accuratioris Critices vas pertranſierit, nullamque ſuper hac re mihi poſtulem gratiam concedi: nihilominus haud moleſte Sapientes ferent, ſi dixero, hanc Hiſtoriæ a Vulgi erroribus expurgandæ rationem tantum abeſſe, ut effectum, quem jactant producere poſſit, ut potius minus recta & æqua iis videri debeat, qui de ea citra præjudicium omne pronunciabunt.

Non eſt neceſſe poſſeſſionis jus probare, quando juſtum eſt.

Conſilium ſane cum civili ſocietati injuſtum, tum legibus oppugnatum, adſtringere velle hominem, pacificum domus, agri, aut hæreditatis poſſeſſorem, ut tabulis authenticis, ſe legitime rem poſſidere conficiat. Ordo citius juſtitiæ flagitat, ut dejiciatur quis de poſſeſſione rei alicujus, in quam a tempore venerat immemorabili, opus eſſe optimis monumentis oſtendere, illum rem peſſima fide poſſidere. Quæ leges accuratæ & rectæ Critices principiis maxime reſpondent. In Republica nanque Litteraria Autor ille male acceptus eſſet, & de cauſſa ſine appellatione decideret, ſi Factum aliquod alteri in controverſiam vocaret abſque firmis argumentis, & repetens ab adverſario eorum, quæ aſſerit, probationes.

Injuſta Criticorum poſtulatio.

Habes quid conſilii ceperint præſtantes Critici noſtri. Ipſi ſunt qui adoriuntur pias Traditiones, in quarum poſſeſſionem a multis ſæculis pedes poſuerunt Chriſti Fideles: cumque ipſorum eſſet in eas ferri ſolidis rationibus, quæ illarum falſitatem aperire poſſent, exiſtimant jus eſſe ſibi opiniones haſce laude dignas rejiciendi, niſi ipſarum pateat origo, progreſſus, & diuturna poſſeſſio tabulis authenticis, & ab omni diſputatione remotis.

Voca in judicium viam & rationem Sapientum iſtorum, cum adverſus pias Traditiones bella movent, planeque perſpicies, ipſos plerumque ad Scriptorum ſilentium ſe conferre, ſeque circummunire dicentes, de ipſarum origine non conſtare. Verum quandiu non adducent ajentia teſtimo-

ſtimonia, & conjecturas firmas adeo, ut homines rationis compotes cogere poſſint ad æquitatem eorum cognoſcendam, haud inique ferant, nos vetuſtæ poſſeſſioni adhærere, quæ eum immemorabilis & legitima ſit, ſatis eſt, ut eam tueamur, poſſe nos iis, quæ contra objiciuntur, reſpondere.

Inter cetera Poſſeſſionis hujus privilegia, tria ſunt non mediocri animadverſione digna. Primum eſt ex hac poſſeſſione effici præſcriptionem quandam, adverſus quam nihil inſcribere poſſint; niſi monumenta præ manibus habeant, quæ poſſeſſionis hujus injuſtitiam oſtendant. Alterum eſt, tametſi jus Fidelium de ſanctis Inſtitutis iſtis evidens non eſſet, non poſſe tamen rectum Judicem ſecus facere, quin pronuncict pro illis: quandoquidem ubi jura utrinque æqualia ſunt, poſſeſſio antecellit: immo quoties etiam dubium jus eſt & incertum, quemadmodum contendunt eſſe illud Eccleſiæ & Chriſtianorum de piis Traditionibus, tum melior ſemper eſt conditio poſſidentis. Quanti igitur non erit poſſeſſio multorum ſæculorum, cujus confirmatum fuit jus conſuetudine perpetua, & Scriptoris alicujus teſtimonio: poſſeſſio, inquam, continenter pacifica, optimæque fidei, neque unquam gravi aliqua oppoſitione turbata ante poſtrema hæc tempora, in quibus Critice, ſulta quibuſdam locis communibus, argumentis negantibus, levibuſque conjecturis, eam perturbare, atque interrumpere conata eſt. Poſtremum poſſeſſionis hujus privilegium eſt eos, qui gaudent illo, cogi non poſſe, ut jus ſuum rationibus confirment. Ipſorum etenim eſt, qui de illo controverſiam movent, in medium adducere momenta conſtantiſſima, quibus poſſeſſio hæc, & juris legitimi inde orta præſumtio deſtruatur. Tantum tamen abeſt, ut hiſce modis æquitati conſentaneis ſe gerant Litterati homines noſtri, ut potius exigant, ut piæ opiniones iſtæ ſtatuantur, earumque origo demonſtretur. Via ſane & ratio non ſatis apta ad Hiſtoriam a fabulis vindicandam, atque ad pias Eccleſiæ Traditiones a vulgaribus erroribus dignoſcendas.

Privilegia Poſſeſſionis.

§. III.

Flagitant Critici a piarum Traditionum propugnatoribus argumenta certa, nec obnoxia falſitati.

QUo vituperanda imprudentia eſſet, Factum haud diſcuſſum ſuſcipere, quoties non omnes habet notas exploratæ veritatis; eo teſtatiſſimam injuſtitiam dixerim, contendere, ut argumentis, quæ res pati non poteſt, roboretur. Cum affirmo, Hiſtoriam aliquam eertam eſſe Phyſice, Metaphyſice, aut Moraliter, tum nemo tenetur inniti

Argumenta debent rebus reſpondere.

verbo meo, niſi afferam probationes, illi firmitatis congruentes modo, in quo Hiſtoriam illam conſtituere geſtis. Cum vero aſſumo tantummodo, Factum una probabilitate & veri ſimilitudine præditum eſſe, non eſt cur quis jure poſtulet a me, ut illud ita conſtanter aſſeram, perinde ac eſſet veritas nec falſitati nec diſputationi obnoxia.

Autoribus, qui pro piis Traditionibus ſuffragium tulerunt, perſuaſum ſemper fuit, eas neque Fidei firmitate, neque demonſtrationis claritate fuleiri. Fideles item Chriſti, qui ſanctas haſce Inſtitutiones receperunt & coluerunt, eas nunquam ſectati ſunt, tanquam veritates, ab autoritate aliqua falli neſcia definitas. Eccleſia ipſa, quæ illas in Libris uſibus ejus conſecratis proponit, opinionum inſtar ipſis aſſentitur. Nihilo ſecius eas aſpernantur Critici, propterea quod facta certa non ſunt, & ab omni prorſus errore non abhorrentia.

Qui exiſtimant, Conſtantinum Magnum baptiſmate lotum fuiſſe a Pontifice Sylveſtro, ii partim ſententiam ſuam roborant Actis Liberii Papæ: verum monumentum hoc, ait Alexander, non eſt *certæ & inconcuſſæ veritatis*. Alio quoque loco tuetur, autoritatem Breviarii Romani *non cenſeri debere exploratæ & inconcuſſæ veritatis* ad oſtendendum lapſum Sancti Pontificis Marcellini, ejuſque in Concilio Sinueſſano retractationem.

Alex. Hiſt. Eccl. ſæc. 4. Diſſ. 23.
Ibidem ſæc. 3. Diſſ 20. de lapſu Marcell.

Tillemontius iis occurrens, quæ ſibi objecerat de Virginis Mariæ Aſ- „ ſumtione. „ Integrum nobis, inquit, per veritatem non eſt, in rebus „ certis dicere ea, pro quibus neque autoritas, neque ratio tutos nos ef- „ ficit. „ Animadvertit Baronius, Catenam S. Petri Hieroſolymis Romam tranſlatam, eum alteri ibidem aſſervatæ admota fuiſſet, ſtatim in unam catenam miro modo coaluiſſe. Verum his credere non poſſumus, ſubjungit Tillemontius, niſi clamantibus teſtimoniis ab omni controverſia remotis. Bailletus iiſdem vocibus centies utitur, quod aliis item Criticis familiare eſt. Habes facilem brevemque rationem, qua pias Fidelium opiniones in contemtum addueas; ſi dixeris jejune, teſtimonia, quibus nituntur, certæ non eſſe & inconcuſſæ veritatis.

Tillem. notat. 10. de Mar. Virg.

Tillem. notat. 45. de S. Petro.

At enim nonne Sapientes iſti nihil produnt ſcriptis ſuis, quod certum & inconcuſſum non ſit? Nonne oportebit quæcunque narrant hiſtorica Facta, *tanquam inconcuſſæ & exploratæ veritatis admittere?* Quod ſi ratum habent, Hiſtorias omnes ab ſe recitatas certæ & exploratæ veritatis inſigne non gerere; & tamen moleſte ferrent, niſi admittendæ exiſtimarentur: quare eandem animi facilitatem non præſtabunt plurium Traditionum defenſoribus, qui eas tantummodo opinantes producunt? Si vero jactant, Opera ſua narrationum certarum & teſtatiſſimarum complexionem eſſe: quid eſt quod Tillemontius publicum judicium an-

Multa tradunt Critici minime certa.

Tillem. in admon. pag. 11.

tever-

tevertit his verbis. „ Fortaſſe petiiſſent homines veritatis ſtudioſiores, „ ne adhiberem monumenta præter illa, quæ locus eſt certa omnino & „ firma exiſtimandi. Nihilo tamen minus profiteor ingenue, me non „ mihi hoſce limites circumdediſſe, ſed uſum aliis fuiſſe, quæ omnino „ autentica non videntur. Verum providimus diligenter, ut hæc a prio- „ ribus ſecerneremus; atque judicium eorum habendum, ne pietatis ob- „ tentu hæc eadem pietas Fidelium deciperetur, ſive in contextu, ſive „ in adnotationibus collocavimus. „ Quæ Critici hujus perdocti proviſio prudentiſſima eſt; neque enim Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſimilem Operi Dogmatico facere debemus, in quod non liceat nobis immittere niſi certa & probata. Eadem ferme ſentiunt Bailletus, Fleurius, Alexander, aliique.

In Hiſtoria plura ſunt Facta probabilia, quam certa.

Conſtans autem eſt, non potuiſſe illos alia jacere Principia; niſi ſe in detrahenda majori Operum ſuorum parte implicarent. Quæ nanque Hiſtoria Eccleſiaſtica hactenus prodiit, in qua potiſſimam partem non impleant dubia facta & incerta? Sibi quidem placent Scriptores accuratiores, cum ſpoponderint, ſe nihil in Opera ſua iliaturos, quod e fontibus non manaverit: verum, quantumvis inviti, coguntur tamen ea pluribus dubiis & ſimilibus vero, quam certis, & errori non patentibus eventis referre. Teſtimonia, quibus hærent, vel non ſatis aperta ſunt, vel ex autoribus decerpta, quorum autoritas alicubi nutat. Hiſtoriæ teſtatiſſimæ ab aliis Scriptoribus impetuntur; quoniam adjuncta, quibus afficiuntur, partim fidem certam ipſi aſtruunt, partim deſtruunt. Denique ad exiguum numerum redactis puris antiquitatis fontibus, vel interpolatis, vel ſublatis injuria temporum, ſufficere ſemper nequeunt ſolida momenta, ut omnia Facta hiſtorica ſine hæſitatione retineamus. Quapropter neceſſitate ipſa urgemur, ut pretioſa antiquitatis fragmenta colligamus, dummodo probabilitatem aliquam, verique ſimilitudinem afferant: alias eſſet Hiſtoria veluti informis, ſine nexu, ſit venia verbo, ſcarificata, & pauciſſimis voluminibus comprehenſa.

Expende porro animo vacuo Monumenta Tillemontii, Geſta Sanctorum Bailleti, Hiſtoriam Eccleſiaſticam Alexandri, Opera Launoii, Thierii, & Dupini, necnon aliorum ſapientum Virorum; paucissima quidem orientes Facta morali ratione certa, vel ex dicto Alexandri, *certæ exploratæ & inconcuſſæ veritatis*. Reliqua omnia narrationum dubiarum, incertarum, & probabilium fines non tranſgrediuntur.

Poſt hæc interrogamus Litteratos iſtos, an æquo animo aſſentirentur, neque argumenta querelarum habere putarent, ſi ut ad fabulas amandaremus eventa omnia tantummodo probabilia, & Operibus ſuis admixta, ſatis eſſet nobis cauſſari: *ea non eſſe inconcuſſæ & exploratæ veritatis*?

ritatis ? Eccur igitur confugiunt ad viam & rationem iſtam, parum adeo Critices accuratæ legibus conſentaneam, ad auctoritatem ſanctis moribus derogandam, eoſque inter narratiunculas & figmenta detrudendos : nimirum pias iſtas opiniones certas nequaquam eſſe & errori minime repugnantes.

§. IV.

Ad trutinam revocantur Principia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Fleurii.

FLeurius Abbas a Præfatione ipſa hoc magnum principium ſtatuit: „ Capto ſemel ſuper re aliqua conſilio, ut verum protuli, quod „ mihi viſum eſt ſatis teſtatum, illud ſimpliciter enarrando : appoſui „ *fertur* iis, quæ dubia fore exiſtimavi, quoties rei intereſſe duxi illud „ apponere, ſæpius nanque omnino reticui vocem hanc. „ Enim vero non video, qui proviſio hæc ſatis recta poſſit haberi ; per quam a factis dubiis, incertis, & probabilibus Hiſtoriam ſuam Fleurius vindicaret; neque illam propterea magis refertam eſſe poſſe eventis certis & inconcuſſis, quam ceterorum Criticorum Libri, ſi de hoc judicium ferendum ſit ex modo, quo legi huic ſuæ obtemperavit.

Quid intelligatur voce *verum*.

Si vero id nobis integrum fieret per illum, eruditum Abbatem noſtrum hoc pacto percontari auderemus. 1. Quid intelligit hac voce *verum*. Species certe non levis eſt, eum, niſi evertere malit principium ſuum, habiturum vocem iſtam, tanquam ſynonimam *certi*, indubitati, inconcuſſi; & tanquam oppoſitam falſo, ſuppoſititio, inter quæ medium obtinet locum, probabile, dubium, & incertum. Nos manet alibi demonſtrare id, quod vocat Flerius *verum*, hujuſmodi non eſſe omnibus numeris, ſed probabilius tantum, habita ratione illius quod minus probabile eſt ; videlicet *verum* hoc medium eſſe inter moraliter certum, & falſum ac ſuppoſititium. Quod ſi Abbas noſter ita *verum* ſuum ſignificare negat, conſequens plane erit, facta omnia quæ refert, quibuſque non adjungit *fertur*, futura certa moraliter, quod certiſſime propugnare nemo poterit ; quandoquidem pleraque eventa, non ſignata hoc verbo *fertur*, dubia ſunt & incerta.

Quid ſignificet ſatis teſtatum.

2. Aſſerit Fleurius ſe *ut verum proferre, quod ſibi viſum eſt ſatis teſtatum*. Non crediderim, voces iſtas *ſatis teſtatum* ſenſum alium ipſi efferre poſſe, ut ex ipſius Opere conſtat, præterquam confirmatum uno aut duobus teſtibus, quos ejuſmodi putavit, ut eorum fidei nos concredere poſſemus, atque iis, quæ perhibent, tanquam veris aſſentiri. Aſt ne capiamur, & *verum* cum *dubio* permiſceamus, id prudenter cau-

tum

tum ab ipso est, ut subjiceret, *fertur*, *creditur*, sicubi factum incertum & dubium est. Hinc pereipimus quousque pervenerit industrii Historici hujus accuratio; quoniam religioni duxit, in vasta hac Historia vel unum Factum dubium pro vero venditare; utque errori locus non esset admonuit, ejus generis eventa indicium ostensura *fertur*, ut a *veris* internoscantur.

His habitis animadversionibus, persuasum nobis est, Factum historicum *ut verum proferri non posse*, atque adeo *satis testatum videri*; 1. Quoties ab uno tantum vel duobus autoribus describitur. 2. Quoties eadem autoritate Scriptores illud in controversiam vocant. 3. Quoties eorum nititur testimonio, quibus standum non est, vel levissimis argumentis roboratur. 4. Quoties Facta ista pro *veris* inducta nihil præseferunt, unde ab iis distinguantur, quæ in dubiis habent, & nota *fertur* inurunt. Denique quoties testium productorum autoritas, ex iisdem eorum, qui citant, principiis suscipienda non est.

1. Narrator eventi alicujus considerandus est ut autor, atque ut homo. Ut autor, ponitur ille optima fide elarere, aliisque dotibus, quæ assensionem nostram requirunt. Ut homo, sæpe falli & decipi potest. Hæc duo complectitur fides humana. Quo fit, ut testimonium ab hisce Scriptoribus comparatum, probabilitatem tantummodo affert dubitantibus semper, nonne hallucinentur. *Autoris unius testimonium Factum aliquod minime efficit verum.*

Nunquid cogere nos possunt, ut Factis historicis *veris* & *certis* accenseamus illud, quod Josepho testante in medium attulit Fleurius, Imperatorem nimirum Caligulam Agrippæ, novo Judæorum Regi concessisse, ut Regnum suum peragrare posset; ipsique consuluisse, ut loco itineris per Syriam passim triti, aliud per Ægyptum institueret: vel quod tradit Eusebii verbo, Flaccum scilicet potestatem fecisse populo Alexandrino subvertendi Synagogas Judæorum, quarum aliquæ dirutæ, aut igne absumtæ sunt, in ceteris vero erecta symulacra Caligulæ, qui flagrabat amentia tanta, ut numinis instar se adorari juberet? Universa Historia ipsius nihilo magis confirmata est; nimirum in illa sæpissime unum solummodo sponsorem adhibet, aliquando duos, & raro plures. *Histor. Eccl. l. v. art. 15.*

Porro cui nam in mentem venit, ut diceret, Factum aliquod, ab uno vel duobus autoribus nunciatum, *verum* esse & *certum*. Si modo vocibus istis *verum* & *certum* expliees narrationem multa veri similitudine affectam, cui assentiri possumus absque nimiæ credulitatis & imprudentiæ vitio; quoniam ingenua Autoris fides postulat, ne abjiciamus testimonium illius, quin presto sint gravia deceptionis ejus momenta: fatemur, hoc intellectu appellari posse *verum* & *certum*, quod ab uno vel duobus autoribus enarratur. At non est quidem hæc germana *veri* & *certi* notio, ut

in pri-

in prima a nobis edicenda regula demonſtrare curabimus, atque hujuſmodi explicatio Fleurii Principium funditus concuteret.

Fleur. Hiſt. l. 3. art. 21.

2. Affirmat Fleurius, Hæreticos, a S. Petro in altera Epiſtola ſua memoratos, quoſque Balaami diſcipulis comparat, Nicolaitas eſſe, qui nomenclaturam a Nicolao ex ſeptem Diaconis Hieroſolymitanis uno acceperant: additque heterodoxos iſtos ſub Diaconi iſtius nomine delituiſſe, perinde ac ipſorum ſectæ princeps fuiſſet. Quanquam Abbas hic Factum iſtud venditet tanquam *verum*, ipſique *fatis* teſtatum videatur Irenæi, Clementis Alexandrini, atque Euſebii teſtimoniis; nihilo ſecius non parum ipſi concederemus, ſi rem hanc uti dubiam, immo multo minus ac adverſa opinio probabilem ex autoritate Patrum cenſeremus. Præterquamquod enim Euſebii locus apertus non eſt, patet inſuper Irenæum *, Tertullianum, Epiphanium, Hilarium, Hieronymum, Philaſtrium, Auguſtinum, Caſſianum, Iſidorum Hiſpalenſem docuiſſe, Nicolaum ex ſeptem Diaconis unum Nicolaitarum Hæreſi facem prætuliſſe. Qua itaque ſententia melius conſtituta, qui poſſunt nobis Factum *verum* obtrudere, eum S. Clementis ſuffragium, & ſi placet, Euſebii quoque, levem ipſi tantum probabilitatem adjicere poſſit?

Factum in diſputatione poſitum.

Non liquet, utrum Petri & Pauli quæſtio fuerit ex compacto. *Fleur. l. 1. art. 33.*

Tametſi ſimilimum vero ſit, non fuiſſe Petrum Antiochiæ a Paulo ex conventione inter ipſos habita reprehenſum; nihilominus celebris inter Auguſtinum & Hieronymum inde orta concertatio non ſinit, Factum iſtud *verum & certum* exiſtimare. Potuiſſet itaque Hiſtoriæ huic Fleurius addere, *fertur*; potius quam certo affirmare, Apoſtolos iſtos hac in re nihil pactos fuiſſe. Quod ſi Auguſtini ſententiam amplexati ſunt Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Alexandrinus, & S. Gregorius Magnus; in veſtigiis certe Hieronymi ſteterunt Origenes, Didymus, Apollinaris Laodicenus, Alexander, Euſebius Emiſſenus, Theodorus Heraeleotes, S. Joannes Chryſoſtomus: noviſſime vero Baronius. Virorum itaque tantorum judicium aliquas ſaltem ipſorum ſententiam probabilitate afficere poterit; & rectam efficere probationem, qua conſtat, licere nobis dubios eſſe, num duo illi Apoſtoli ſuper ea re invicem convenerint.

ad annum 51.

3. Nunquam Critici dabunt ultro Fleurio, quædam Facta hiſtorica in *fatis teſtatis* adeoque *certis & veris* numeranda eſſe, quæ alios ſponſores non habent præter Libros apocryphos, aut perditi nominis, aut ambiguæ intelligentiæ. Verumtamen quot ne Facta repetit a Libro Conſtitutionum, Apoſtolis tributarum; a Synopſi nomen Sancti Athanaſii ferent-

* *Unum ex illis, qui ad curam inopum gerendam una cum Stephano ab Apoſtolis conſtituti fuerant Miniſtri; feſta ſua auctorem jactabat.* Euſeb. l. 3. Hiſt. cap. 39. *Nicolaita magiſtrum habent Nicolaum, unum ex ſeptem, qui primi ad Diaconatum ab Apoſtolis ordinati ſunt.* Irenæus l. 1. c. 27.

te, a

te, a Talmude ipſo Judæorum? * Quamquam Petri cum Simone Mago certamen non ſine obſequio recipi mereatur, quod nimirum ab Arnobio, & S. Cyrillo Hieroſolymitano relatum ſit, queis adjungere poterat Fleurius Legatos Liberii Papæ, Ambroſium, Auguſtinum, Iſidorum Peluſiotam, Theodoretum, alioſque multos; non putamus tamen interdictum nobis de iis omnibus, quæ Simonis lapſum attingunt, in ſuſpicionem venire; quandoquidem convenit inter doctos, quæcunque de his feruntur, plerumque a Libris apocryphis, hoc eſt ab Autore Conſtitutionum Apoſtolicarum, & falſo Marcello proficiſci. Nos vero alibi oſtendimus, pronunciantes de Facto iſto ex Legibus Criticorum, poſſe illud hiſtoriis ſuſpicioſis accenſere. *Fleur. l. 2. c. 23.* *Animad. de Reſtit. & Uſu Critic. Tome 1. Diſſ. 3 art. 11.*

Mirari ſubit, eruditum Criticum iſtum tanquam verum & conſtans Factum exequi narrando, quod S. Joannes Zebedæi filius in Aſiam Minorem tranſmigraverit, Epheſumque præcipue cum Virgine Matre incoluerit; eum nullum appellet teſtem præter locum quendam Concilii Epheſini, cujus ſenſa, quippe ſine verbo, ſuſpenſos nos tenent, & diſſimili plane ratione interpretari queunt, quod ſatis eſt movendæ legitimæ dubitationi. *Fleur. Hiſt. l. 2. art. 25.*

4. Lubentiſſime certior deinde fierem, quamobrem collocet in Factis veris tria ſequentia, quibus accedere alia centena poſſent. Primum ab Joanne Chryſoſtomo traditum, indicat Judæos Bereenſes meliore ingenio fuiſſe, quam Theſſalonicenſes, magnaque animi affectione Evangelium ſuſcepiſſe, atque in dies ſingulos Sacras Litteras ſcrutari conſueviſſe, ut cognoſcerent, an ipſis reſponderent, quæ dicebantur. Alterum ab Oroſio depromtum nos docet, fame Hieroſolymas depopulante, Fidelibus Judeæ ab Antiochenis Chriſtianis ſubventum fuiſſe &c. Tertium autore Caſſiano ſert, Sancti Marci ætate extitiſſe Chriſtianos multos, quos ſingulare perfectionis vitæ deſiderium in agros Alexandriæ proximos tranſtulit, atque ipſis in domibus concluſit. Tria Facta incerta pro germanis exhibita. *Fleur. l. 1. art. 25.* *Ibidem art. 27.* *Idem art. 8. libri 2.*

Nunc autem ab illo quærimus, cur dubium eſſe prædicet, quod narrat S. Hieronymus de Lucæ Evangelio, opinionem nimirum obtinuiſſe, iſtud eſſe, quod ſuum nuncupat D. Paulus in Epiſtolis: atque de illis anceps hæreat, quæ Gregorii Nazianzenus & Nyſſenus, Epiphanius & Ambroſius ſcriptis reliquerunt: Paulum videlicet inſtituiſſe & ad bonam frugem convertiſſe illuſtrem Virginem Theclam, ut jam Viro elegauti, diviti, nobili, & ex Civitatis proceribus deſponſa, a nuptiis ſe abdicaverit, & Virginitatem amplexata fuerit: quo facinore concitatum ſponſum *Fleur. l. 1. art. 38.* *Ibidem art. 30.*

* Libro 1. art. 3. art. 11. art. 25. art. 45. art. 50. multiſque aliis ſequentium Librorum locis citationes reperiuntur, ex autoribus nihilo majoris famæ traductis.

eam accuſaſſe, Ferarumque morſibus damnandam curaſſe: has vero cohibuiſſe ſe, ne illam laniarent, præſertim Leones: denique eandem miro modo flammas evaſiſſe, & ſexus ſui Protomartyrem appellari.

Non teneo quare tria priora Facta hiſtorica certa & germana credantur, interim dum alia ſuſpicioſa habebuntur? Iccirco ne eſt quod illa melius iſtis teſtata ſint? Quanquam utraque ab autoribus Eccleſiaſticis ejuſdem ferme ætatis proferuntur. Autoritas ipſa poſtremorum minoris facienda non eſt ac priorum; omnibuſque rite ponderatis, fieri poſſet, ut teſtimonium pro dubiis Factis allatum accommodatius eſſet ad illa in certis collocanda, quam ſuffragium Patrum, quo germana eſſe conſtituent. Neutra ex his hiſtoricis Factis ſunt aliis magis incredibilia; neque ullam capi poſſe conjecturam crediderim, quæ illa veris, hæc dubiis Factis adnumeraret. Quapropter periculo non vacat, ſapientis Abbatis noſtri principium in Præfatione illius ſedem poſuiſſe, in libri vero contextu non apparere.

Ex duobus Factis, ejuſdem ponderis argumentis confirmatis, alterum dubium eſt.

Qui vero longius rem intendere malet, a Fleurio ſciſcitari poſſet, quamobrem de duobus Factis, quæ ſimilia omnino videntur, atque ab iiſdem Autoribus referuntur, alterum *ſatis teſtatum & verum* futurum ſit, alteri nota *fertur* appingenda erit, illudque in dubiis rejiciendum? Nihil non probatum prætereamus.

Fleur. l. 3. art. 25. Euſebius *l.* 5. *Hiſt. c.* 10. autor eſt, Sanctum Bartholomæum in Armeniam majorem ſe contuliſſe, & conſtare functum illum munere Apoſtolico in ea Indiarum parte, quæ nobis propior eſt, ibique Evangelium *Ibidem art.* 32. Matthæi, ante alia conſcriptum, ſecum tuliſſe. Epiphanius *Hær.* 28. teſtatur, Cerinthum, falſum fratrem, falſumque Apoſtolum, turbas Antiochiæ concitaſſe, & Chriſti fideles voluiſſe, non Circumciſioni tantum; *Ibidem art.* 28. ſed univerſæ Legi Moſaicæ ſubjacere. Sanctus Auguſtinus *de Conſ. Evang.* l. 1. c. 2. cenſet, Sanctum Marcum Græcis Litteris exaraſſe Evangelium ſuum; quod ſcilicet Lingua illa totus Oriens commercia iniret, Romæque adeo comunis eſſet, ut illa mulieres quoque uterentur. Ecce tres Hiſtorias, ab Abbate noſtro in veris recenſitas: dum tres ſequentes, ab iiſdem Autoribus depromtas dubias eſſe contendit, & ne ſit errori locus, *fertur* indicio deſignat.

Ibidem art. 32. Ferunt Philonem principem Legatorum Judæorum, qui Alexandria venerant, legiſſe Romæ, ſenatu frequente, Legationis ſuæ, & Caii inſaniarum narrationem, quibus eam nominis famam adeptus eſt, ut ejus Opera in Bibliothecas illata fuerint. Hæc habet teſte Fleurio Euſebius *Ibidem art.* 5. *l.* 11. *Hiſt. c.* 17. Apponit quoque verbum *fertur* iis, quæ de S. Joanne Epiphanius nos docuit *Hæreſi* 29. *Ferunt*, eum in dignitatis inſigne auream laminam in fronte geſtare ſolitum. Narrante Auguſtino *ſerm.* 32.

de

de diverſ. de Martyrio S. Stephani, & de lapidibus, quibus oppetitus fuit, veritus Fleurius ne Patris hujus dicta Factum efficerent exploratum, ea his ſenſis efferenda euravit. *Perhibent* etiam, Chriſti fideles ſervaſſe lapides, quibus obrutus fuerat. Si quis Facta hæc omnia hiſtorica circumſpecta lance ſuſpenderit, plane deprehendet minimum inter illa intereſſe, neque minimum iſtud ſatis videri, ut duobus Factis ab eodem Patre recitatis aſſentiamur, alteri quidem tanquam *vero*, alteri tanquam *dubio*; neque ut Patris alicujus autoritas hic amplificetur, alibi violetur. *Ibidem art. 6.*

Poſtremo ſi Fleurius illud unum *verum* judicat, quod ſibi viſum eſt *ſatis teſtatum*, admirationem habet, illum Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſuam auxiſſe adeo; quandoquidem ex præcepto principii ſui magna illius pars detrahenda eſſet, quam ſatis probatam cenſere non poſſumus. Neque enim vim habet niſi in autoritate Euſebii, Cyrilli tum Hieroſolymitani, tum Alexandrini, Gregorii Nazianzeni & Nyſſeni, Athanaſii, Joannis Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Epiphanii, S. Gregorii Papæ, Caſſiani, Oroſii, Sulpicii Severi, Rufini, Sophronii, Philaſtrii, Theodoreti, Adonis, aliorumque a ſæculo III. florentium. Porro quoniam *in argumentis non habet niſi Scriptorum rei Principum teſtimonia*, teſtimonium iſtorum nullo numero eſſe debet, cum intereſt Facta multo ante ipſos geſta confirmare. Cum itaque horum omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum dicta uſurpaverit Fleurius, ut ſtatueret quæcunque complectitur primus Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Liber, qui deſinit in adventum Pauli Romam, nimirum in annum 61., omneſque Patres iſti ſeculo IV. & inſequentibus vixerint; *ipſorum teſtimonium in argumentis habere non poteſt*. Ne igitur *vera* jactet in priore hoc Libro, quæ ipſi retulerunt; neque eadem Facta, ipſi *ſatis teſtata* videantur. Pauca facta ſunt ſatis teſtata.

Quo autem firmamentum afferat aliis Factis in hoc Libro comprehenſis, ſe confert ad teſtimonium Joſephi, Philonis, multorumque Scriptorum profanorum ejuſdem revera, aut proximioris ætatis. Verum facile admodum conveniet, ſatis illis honoris & ponderis collaturum illum, qui probationem, eorum verbis innixam, probabilem exiſtimaret, abſque eo quod pro *veris* quidquid locuti ſunt venditaret. Idem dicito de Papia, de Herma, deque nonnullis aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis Apoſtolicorum temporum, aut non multo poſt. Scriptores, qui argumenta optima non ſuffi-ciunt.

Pleraque item Facta hiſtorica in aliis Hiſtoriæ ſuæ Libris ab iſto Abbate recitata fundamentum habent. 1. In teſtimonium unius aut duorum Scriptorum. 2. Sæpe oppugnantur ab Autoribus ejuſdem fidei & dignitatis. 3. Ducuntur ab Operibus ſuſpicioſis, & momentis minus ſolidis muniuntur. 4. Sæpe numero autoritas Scriptorum, quibus ajentibus facta ut *vera* producit, non eſt major aut firmior autoritate illorum, Quibus teſtimoniis pleraque Facta confirmet.

quorum fide tuetur, Hiſtorias tantummodo dubias eſſe. Denique non multum de ſua lege ſollicitus, in bonis argumentis enumerat Autorum dicta, qui primarii non ſunt, quique nec eodem nec propiori tempore, ſed ſæculis haud paucis elapſis ſcripſerunt.

Judicium, quod de Fleuriana Hiſtoria ferre quis poſſit.

Aliorum judicium eſto, an hæc Hiſtoria Eccleſiaſtica aliis Criticorum hiſtoriis caſtigatior & accuratior ſit; vel Fleuriana præcepta ſatis tuta ſint, ut Hiſtoriam a popularibus opinionibus redimant, eaſque a piis Eccleſiæ Traditionibus ſecernant. Quandiu etenim alia fundamenta non ponet, jus erit nobis ſemper delendi partem quandam Hiſtoriæ ipſius, pro qua ſpondent Autores non originarii, quorum teſtimonia in argumentis habenda non ſunt. Fateatur demum neceſſe eſt, *verum* non eſſe illud, quod hujuſmodi declarat; quoniam ſatis teſtatum eſſe non poteſt, quin oſtendat, Autores ab ſe laudatos antiquiores alios commemorare: alias per ipſum *ſuſpicari jure poſſumus, eos levius, quam par eſſet, vulgi rumoribus animum adhibuiſſe*.

Fleuri in Præf.

Quod ſi velit doctus hic Abbas, Autores a ſe in teſtes productos, quanquam Facta ſeculis multis vetuſtiora poſteris mandaverint, fidem mereri, aut certe ipſorum ſuffragium narrationi probabilitatem afferre: quare licitum nobis non erit, pias Traditiones tueri, eas cum innoxiis erroribus non miſcere, & admittere veluti opiniones, magna veri ſpecie affectas; ſi modo ſtuduerimus eas erigere ſuper teſtimonio Autorum priſcorum nihil minus a fonte remotorum, quam ii, quos appellat Fleurius; etſi nobis perſuadere velit, ipſum *vera & ſatis teſtata* proferre, quæ Scriptores iſti ſine ſponſoribus enunciant, & poſteritati commiſerint Facta ipſis antiquiora tribus, quatuor, quinque, ſex, ſeptem, & octo ſæculis.

§. V.

Critici diſcrimen non habuerunt inter Hiſtoriam ſimilem veri & fabulam; inter Traditiones probabiles, & errores plebis.

NUllum ſuſcipi poterat conſilium aptius, quo removerentur animi a ſanctis moribus omnibus & inſtitutis, huic diſputationi propoſitis, atque illud implicandi eas inſtrue figmentorum, fabularum, & ineptiarum, quæ ab ineunte Eccleſiæ ætate tot librorum molem ingentem auxerunt propter minorem Scriptorum plus æquo credulorum accurationem, quæ aliqua ſaltem ratione deſpicatui duxere Hiſtoriam Eccleſiæ quoad facta quædam, Acta nonnullorum Martyrum, Geſta Sanctorum, Miracula, & Reliquias.

Quamquam narrationes fabuloſæ, quibus quorundam Autorum ſcripta con-

conferta ſunt, partem illorum principem conſtituant, quæ ceteris tenebras offundit; vel ſint umbrarum inſtar, quæ hue illucque diſperguntur: nihilo tamen minus conferunt ratione aliqua ad veritatem aperiendam, atque in majori luce collocandam; claritatem immo aliquam afferunt locis minus illuſtribus, ut demum nullius pene negotii ſit tenebras a quacunque vel leviori luce disjungere, nimirum vulgi errores a piis opinionibus. Traditiones iſtæ obſequio dignæ, cum nihil præter opiniones ſint, medium obtinent locum inter Facta certa & ſuppoſititia; & propterea licet ſanctæ conſuetudines faces veluti magnæ non ſint, ſunt ſaltem leves ſplendores modicique radii, qui ſatis fulgorem habent, ut e tenebris diſpiciantur. Hiſtorici, qui diligentiori accuratione ſcripſerunt, non ſunt obliti dividere in claſſes ſuas probabilia & dubia ab erroribus manifeſtis; ſique narrationes fabuloſas ſuſtulerunt, non tamen Facta hiſtorica, aliquam veritatis ſpeciem gerentia neglexerunt, ſed ea in Operibus ſuis rite ſedem habere poſſe exiſtimarunt.

Non multi negotii eſt fabulas inter veritates etiam minimas dignoſcere.

Conveniat neceſſe eſt, Hiſtoriam collectionem eſſe Factorum hinc certorum & germanorum, illinc probabilium & incertorum; immo ſæpe mendacium & confictorum. Utinam autem hæc omnia poſtrema rejici poſſent. Sed Hiſtoria ea, qua nunc extat, ratione nos cogit, ut in illa patiamur Facta duntaxat probabilia; & poſtulat ne iſta cum narrationibus de arbitrio compactis permiſcamus.

Hiſtoria collectio eſt Factorum certorum & incertorum

Nihilo ſecius non deſunt Scriptores, qui ut circumſpectionem ſuam ſuper hac re oſtentent, ſibi ipſis perſuaſere, neceſſum eſſe, ut Hiſtoria a fabulis omnibus expurgaretur, eas miſcere cum vetuſtis moribus, piiſque omnibus Traditionibus, quæ ſibi non arrident, ſimulque univerſas ſub inviſo *Traditionum popularium, errorum innocentum &c.* nomine repudiare: in ſpem inducti, fore, ut hoc pacto aſpernarentur illæ, mendaciumque ab Chriſtianorum animis depelleretur.

Non adhibuerunt diſcrimen inter verum & falſum.

Quo autem proſpere cederet ipſis conſilium iſtud, Critici, qui religionem affectare cupiunt ſuper quibuſdam antiquis Factis, quæ amandare longe ab hiſtoria vellent, ab ipſis Proœmiis ſtatim edicunt, ſibi unice veritatem perſpectam eſſe: D. Paulum juſſiſſe probare omnia & expendere, ut bonum eligatur: veritatem viam eſſe vitamque noſtram, non vero errores hominum, & calumniatorum commenta: Denique pietatem noſtram, ut ait Auguſtinus, poſitam non eſſe in hallucinatione & mendacio; unde ad ſuperſtitionem potius deflecteret.

Quæ profeſſi ſunt Critici.

Tillem. in Proœm. pag. XII Baill. in Adm. Fleur. in Præf.

Egregiis iſtis pronunciatis freti Sapientes noſtri, obtentu nihil admittendi quod non prius penſitaverint, licere ſibi putant, pias Traditiones cum Hiſtoriis fabuloſis confundere. Qui non adnumeraret iſtis piam Fidelium ſententiam de Jeſu Chriſti Conceptione octavo calendas Aprilis,

& Or-

& Ortu octavo calendas Januarii, de Regia Magorum dignitate, aliasque hujuscemodi, ab Ecclesia propositas, atque a Patribus traditas; ubi audierit Bailletum, qui Facta ista a narrationum figmentis non separans, immo ut omnia simul involveret, audacter & nulla exceptione pronunciat:

Baill. ferm. de Oft. SS. art. 2. „ Historiam de Gestis Jesu Christi, a Matthæo conscriptam, Ebionitas &
„ Nazareos interpolasse. Alios deinde periculum fecisse, ut novas alias
Tillemont. „ vulgarent, in quibus undique veritas prodebatur: Quos tamen impu-
„ dentes conatus perdidit omnino Evangelium S. Lucæ. Verum erexit ca-
„ put multo audacius, quam antea, calumniator; & visa est Ecclesia pri-
„ mitiva falsis Evangeliis, Apostolorum nomine venditatis, inundari. E
„ vivis sublato Joanne Evangelista, falsa Hæretieorum Evangelia emerse-
„ runt, quælibet secta suum peculiare habere volebat, atque ex eo nor-
„ mam sibi Fidei pro libidine effingere „.

Multa accepimus per Traditionem. Præter ea, quæ ab Evangelio de Virgine Deipara didicimus, Traditio & Patres pia multa, atque exemplo virtutis futura, nobis reliquerunt de Conceptione ipsius immaculata, de Præsentatione in Templum, morte, in cœlum Assumtione ec. Verum quonam pacto pias hasce opiniones ab infinitis fabulis, super hac re confictis, segregare? sive potius cui non persuasum erit, eas in eodem ordine cum istis esse collocandas; ubi hæc legerit apud Bailletum? *Baillet. ibid. art. 3. Tillem. art. 2. de Virg. Mar.* „ Nihil perspectum habemus de Vita Deiparæ Virginis præter illud, quod placitum Deo fuit nobis in Sacris Litteris
„ aperire . . . . . Verum non est visum falsariis, debere ipsos his tan-
„ tum esse contentos; atque aggressi sunt ea supplere, quæ deerant nobis
„ scitu digna de Gestis illius ante Christi Conceptionem ad usque ejus in
„ Cœlum ascensum „. Deinde affert Bailletus Opera multa mendaciis opleta de genere, ortu, infantia, atque obitu Virginis: quasi vero nihil ad nos perveniset de rebus ad beatissimam Feminam istam spectantibus in Scriptorum Ecclesiasticorum Voluminibus, quod ex venenatis his fontibus non manaverit.

In Proœmio. Fleurius autem nos in anteactis monuit, se nihil de Maria Apostolisque dixisse præter illud, quod ratum certumque cognovit. „ Plura alia,
„ subdit, a Metaphraste, Nicephoro, ceterisque recentioribus commemo-
„ rata, quicumque in ipsorum autoritate conquiescit, recipiat: quod mea
„ interest, non mihi visa sunt tanti facienda, ut iis, quæ ex Actis & E-
„ pistolis Apostolorum depromsi, adjicerentur „. Porro nunquid testes alios & vades non habent piæ de Virgine & Apostolis Traditiones præter Metaphrasten, Nicephorum, aliosque recentiores? Quare omnia a Patribus nobis concredita, atque ab Ecclesia proposita cum iis miscere, quæ ab hac origine suspicios descendunt? Certe nos jamnunc ratum facere possumus Abbati huic erudito, nunquam futurum, ut in Græcorum Scriptorum

Pro piis Traditionibus no-

rum

rum iſtorum autoritate tantum ponamus, ut ex ipſis Traditiones impoſterum excutiendas haurire velimus: Sique ipſe ſibi placuît, dum eas cum Fabulis implicavit, quæ vitio vertuntur Metaphraſti, Nicephoro & id genus aliis; nos contra, ut ſperare juvat, apud Veteres reperturos teſtimonia minus ſuſpecta, ad quæ in confirmandis narrationibus ſuis ſæpe ipſe confugit.

biliores alii teſtimonium dicunt, quam Metaphraſtes.

Quo in loco animadvertere eſt circumſpectionem Fleurii: *Quod mea intereſt, non mihi viſa ſunt tanti facienda, ut iis, quæ ex Actis & Epiſtolis Apoſtolorum depromſi, adjicerentur*. Aſt quæ depromſit e Talmude, ex Autoribus profanis, e Philoſtrati Romanenſi fabella, tanti ne facienda erant, ut iis, quæ ex Actis & Epiſtolis Apoſtolorum depromſit, adjicerentur? Ecce quam verum ſit, Criticos noſtros omnem moviſſe lapidem, ut piarum Eccleſiæ Traditionum exiſtimationi derogarent; eaſque popularibus erroribus admiſcerent; non proſpicientes in quot ſcopulos impingant, neque dubitantes concutere ab imis Hiſtoriarum ſuarum partem; dummodo gloriam aſſequantur, ſe a turba paſſim plus æquo credula ſemotos eſſe.

Circumſpectio Fleurii.

Sum neſcius, anne ſatis recta videbitur Abbatis hujus præſens argumentatio, qua ſe purgare ſtudet, quod de Virgine Deipara narrando proſecutus ſit ea tantummodo, quæ optime conſtituta deprehendit; atque ut nobis obtrudat, univerſa alia, quæ recitari mos obtinuit, inter Metaphraſtis paraphraſes, Nicephorique narrationes eſſe rejicienda. His loquitur verbis: „ Etiamſi Doctores omnes ad hanc diem viventes una voce af„ firmarent, Deiparam quinque ſupra ſeptuaginta annos attigiſſe, opinio „ hæc neque verior fieret neque probabilior; quandoquidem nullum ha„ bet poſitum in antiquitate fundamentum, & Facta diuturna argumen„ tatione non conjiciuntur „. Liceat mihi hanc animadverſionem his attexere. Ut planum faciat Fleurius fabulis redundare quæcunque de Virgine Deipara feruntur, Factum ſingulare in medium affert, quod uti ſapientiſſime animadvertit, omni caret antiquitatis ſuffragio. Verum hinc ne conſequitur, alia de Virgine Maria non extare, quibus robur validiſſimum antiquitas ipſa non conferat? Rite ne probaret ille, Fleurianam Hiſtoriam fabulas tantum & figmenta complecti, qui diceret: *Etiamſi Autores omnes ad hanc diem viventes una voce affirmarent*, Facta ab ipſo e Talmudiſtis & Sophiſta Philoſtrato decerpta, hominum non eſſe deliramenta, *opinio hæc neque verior fieret, neque probabilior*. Eapropter quanquam verum ſit, Abbatem iſtum multa a Talmude & Philoſtrato comparaſſe fabulam olentia; non eſt tamen conſequens, Hiſtoriam ſuam haud conſtare plurimis Factis optime conſtitutis, quæque aut certa, aut maxime probabilia cenſeri poſſunt. E quibus omnibus illud facile conficere poſ-

Fleurii argumentatio examinatur.

ſu-

ſumus, etſi pateat, nullum eſſe Veterum præſidium in opinione de quinque ſupra ſeptuaginta annis a Maria Virgine exactis; immo etſi pura puta fabula eſſet, non tamen inde colligi, multas alias ſententias ab Eccleſia nobis de Virgine Matre propoſitas magna non affici probabilitate, & non innici graviſſimis, ut res patitur, e Veteribus ſumtis argumentis.

Baill.ibid.art.4. Ita plane ſe gerit Bailletus de Geſtis Apoſtolorum. „ Quid exploratum „ eſt, inquit, de rebus Apoſtolorum, præter illa de quibus certiores nos „ fecit Evangelium, in Actis a D. Luca conſcriptis reperiuntur . . . . . „ Item ſermonem de aliquibus tantum inſtituunt, quibus præcipue facer „ autor attendit ex eo tempore, quo invicem disjuncti ſunt. Id autem „ latiſſimam provinciam reliquit Hæreticis, in qua quæcunque maluerint „ figmenta propagarent „. Verum Traditio, & Scriptores Eccleſiaſtici ad poſteros non traduxerunt multa animadverſione digna de beatorum iſtorum Jeſu Chriſti diſcipulorum Geſtis egregiis, adjunctiſque ad eorum vitam, mortem, & oſtenta pertinentibus? Non crediderim hæc inficiari poſſe Criticos noſtros. Nonne ipſi quoque hiſtorica Facta multa ex Eccleſiæ Patribus collegerunt, quæ in Evangelio, in Actis D. Lucæ, & Epiſtolis aliis deſiderantur? Eccur itaque ablegare contendunt ad res a Procoro, & mendaci Marcello excogitatas, necnon ad commenta Abdiæ, pias Traditiones, quas Eccleſia nobis obtulit, & ab Eccleſiaſticis Patribus ad nos derivavit? Generali hoc conſectario; *ſilentium ſcilicet Lucæ latiſſimam provinciam Hæreticis reliquiſſe, in qua quæcunque maluerint, figmenta propagarunt.*

Sanctæ Litteræ non omnia, quæ Apoſtolos attingunt, tetuleruut.

Piæ Traditiones ſaltem probabiles ſunt.

Verum enim vero ſi Critici noſtri ſeveri, qui jactant, ſe non admiſſuros narrationem ullam, quin rigide ante magnæ ipſorum artis Tribunal diſcuſſa fuerit, ponderibus non præjudicatis libraſſent fundamenta, quæ id genus opinionibus recipiendis anſam præbent; non poſſent non profiteri, eas, ſin minus ita firmæ non ſint, ut in certis habere poſſimus, ſatis tamen probabilitate & ſimilitudine veri affectas eſſe, ut ab erroribus vulgaribus ſecernantur, neque inter fabuloſas calumniatorum narratiunculas, falſaſque Heterodoxorum Hiſtorias permiſceantur.

§. VI.

Pleraſque Traditiones pias aſpernantur, quod ſcilicet partæ ſint a nimia quinque aut ſex ſæculorum, quæ duo poſtrema anteceſſerunt, credulitate.

Launojus, Melch.Canus, Tillemont. Bail Nat. Alex., Dupinus, Fleurius, Thierius &c.

HIC profecto eſt ubi triumphum canuut Sapientes noſtri. Sæcula iſta, quæ barbara nuncupant, maximæ viſa ſunt ipſis opportunitati, ut in iis oriri facerent fabulas pleraſque, quas ſeveritate tanta & contem-

tu

tu petunt. Hæc ſunt tenebricoſa tempora illa, in quibus, ajunt, ſive ignorantia ſive malitia populorum credulitate abuſa fuit, atque innumeros peperit errores innocentes. Ad hæc obſcuritatis ſæcula aſcendunt, ut detegant vafros homines illos, qui ſe periculo tanto committebant, ut conſutas Hiſtorias excogitarent. Accuſatio in Monacos delata, quod nimirum magnam mendaciorum illorum partem compoſuerint, quæ irrepſerunt in Miracula, Reliquias, Acta Martyrum, & Vitas Sanctorum, ſatis firmum fundamentum poſuit in temporum barbarie, atque in incommoda neceſſitate exprimendi exemplaria fallacia, quæ ob defectum Critices perſpicacis vitare non poterant: *Baill. ferm. num. 12. Thiers.*

Nihil porro deerat ad perficiendam horridam temporum ignorantiæ iſtorum imaginem, quam illa in publicam rectam indignationem inducere; adverſus ea laudabile Criticorum ſtudium excitare; atque in illis fingendi artem, via & ratione traditam, reperiſſe. Bailleto autem debemus inventum tantum: in his nanque obſcuritatis temporibus Epocham ſtatuit excogitantium narrationes fabuloſas. Quo vero terribilis hæc criminis ſpecies malitiam hinc calumniatorum exaggerat, eo commoda multa illine declarat, quæ jactant Critici attuliſſe ſe rei hiſtoricæ; eum falſum & verum feliciter internoſcere conati ſunt. *Baill. ibid n. 12.*

Nemini itaque in mentem veniat, Chriſti fidelibus tot opiniones pias male adeo conſtitutas proponere. Proſpiciant impoſterum diligenter, ne citra delectum magnum fidem habeant miris factis & prodigiis, quæ Dei famulis tribuuntur; neque ſe ulterius implicent, niſi proviſione & circumſpectione multa adhibita, in propugnandis tot Sanctorum exuviis, quæ Chriſtianorum venerationem auxerunt. Si nanque iſta vel ex parte vel in univerſum Criticis noſtris non ſapiunt, nihil ſtatim erunt niſi monſtroſi barbariei partus, quinque vel ſex ſæculorum intervallo dominantis, in quibus falſariorum fraude, populorum ſimplicitate abutentium, exorti ſunt. A nono ſæculo deinceps gloriari revera poterant homines, ſi Bailletus audiendus, licentiam falſorum Actorum & corruptarum hiſtoriarum ad eam creviſſe magnitudinem, ut nihil ſupra. Miraculorum & Reliquiarum fama populorum vel pietatem vel curioſitatem excitabat, qui eum ſæpe numero ipſum Sanctorum nomen ignorarent, flagitabant ut hiſtoriæ conſcriberentur, & merita paterent eorum, quorum obſequium ſibi commendabatur. En quibus utantur anfractibus, ut expurgent Hiſtoriam ab iis omnibus, quos errores plebis appellant, eoſque oppugnent, atque e Chriſtianorum animis depellant. Fabulæ temporibus barbaris exortæ ſunt. *Baill. ibidem art. 11.*

Poſtquam Viri iſti Litterati adhibuerunt, ſponſores veluti eorum quæ perhibent, nimium nonnullorum Monachorum, credulitate magis quam doctrina preſtantium, ſtudium; falſas Pontificum Decretales; Donationem

Conſtantini; Hiſtorias S. Urſulæ, Joannæ Papiſsæ, & Lacrymæ Vindocinenſis; Legendam auream Jacobi de Voragine, aut Speculum Vincentii Bellovacenſis; Acta vel a Metaphraſte, vel ab aliis Autoribus profecta, qui ea ætate floruerunt, in qua Hiſtoriæ veritas variis vulgi Traditionibus, atque haud raro mendaciis de induſtria confictis corrupta erat: Poſtquam, inquam, iſti Critici centies hæc exempla, aut his ſimilia refricarunt, exiſtimant ſe ſatis omnibus perſuaſiſſe, pias opiniones, mores antiquos, ſanctaque Inſtituta ipſis propoſita, nullo fundamento ſolido confirmari, quo ab erroribus popularibus internoſcantur; ratumque habent ita defunctos ſe eſſe munere ſuo, ut probationes aliæ non requirantur, cum fontes contaminatos indicaverint, & nonnulla exempla retulerint quarundam Traditionum, quæ vel partim vel uſquequaque propugnare non poſſumus, quæque ingeniis vel minimum rectis manifeſte diſplicebunt.

Legitima non eſt hæc conſecutio.

Verum quorſum recidet argumentatio iſta, ſi pias opiniones impoſterum examinandas, ſive mentio de illis facta ante ſive poſt ſæculum IX., conſtituamus ſine præſidio *Legendariorum* iſtorum, quos inſimulant de tot fabularum Romanenſium inventis, quæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam deformarunt? Conſequetur ne pariter, hæc univerſa contemnenda eſſe, & narrationibus pro libidine excogitatis accenſenda; quia videlicet in barbaris ævis illis extiterint, qui ſive per calliditatem ſive per ignorantiam narrationes mendaces ediderunt, aut hiſtorias ipſis traditas interpolarunt? Si oporteret hac ſe gerere ratione, licitum eſſet quoque inſurgere adverſus ea omnia, quæ feruntur ab ortu Eccleſiæ ad ea tempora, in quibus barbaries exulavit, propterea quod tum non defuerint calumniatores & falſarii. Immo in ancipiti pendeo an plures & impudentiores ex illuſtriori Eccleſiæ ætate, quam ex obſcuritatis ſæculis emergent. Sæculum eum noſtrum tum præteritum, in quibus Criticen meridiana luce claruiſſe volunt; fœlix ætas iſta ingeniorum fortium, exquiſitorum, & modicæ credulitatis, vacat ne falſariis de re hiſtorica? Neque vero loquor tantum de Scriptoribus iſtis vulgaribus, qui exiguæ eruditionis vitio, oblivione veluti obruti ſunt; ſed de iis etiam, qui in Litteraria Republica Magiſtrorum nomenclaturam ſortiuntur. Conſilium certe iſtorum, qui illuſtri hoc ſæculo florucrunt, vituperatione dignius fortaſſe videbitur, quam illorum conſilium, qui tenebricoſis temporibus vixerunt. Habeto porro quid interſit meo judicio inter utroſque. Hi, quos vocant Metaphraſtes, iccireo tantum peccarunt, quod *in incommoda fuerint neceſſitate exprimendi exemplaria fallacia, quæ ob defectum Critices perſpicacis vitare non poterant.* Quapropter mirum non eſt, eos fabuloſas hiſtorias obtrudiſſe. At excuſationes iſtæ non proſunt Sapientibus noſtrorum temporum, qui Criticen ad ſummum

Deſtruit Hiſtoriæ partem.

Quo differant falſarii priſci & recentiores.

Baill. in Serm. art. II.

num perfectionis faſtigium evexerunt. Cum limatum judicium, accuratio, & recta intelligentia debuiſſent, ut mihi videor, Litterariam Rempublicam ab iſtis fabularum compoſitoribus expurgare; quot ne diebus noſtris venierunt? quot nullius certe fidei leguntur in Scriptoribus primi ordinis? Nos alibi hujuſce rei exempla multa congeſſimus. Quare igitur ferantur impetu tanto in falſarios ſæculorum illorum, tenebris involutorum, interim dum ipſorum laboribus proficiunt? Præclare ſane in eos urgent Sapientes noſtri, non poſſe ipſos evadere, quin in Opera ſua importaverint Acta multa antiquorum Martyrum, Geſtaque Sanctorum, quæ per manus Metaphraſticas ad nos uſque delata ſint. Quot hujus generis non reperies in Actis ſinceris Ruinartii, in Monumentis Tillemontii, in Vitis Sanctorum Arnaldi Andillyacenſis & Bailleti, in Hiſtoria Eccleſiaſtica Fleurii, atque in aliorum Operibus Criticorum.

Animad. de Reg. & Uſu Crit. Diſſ. II. art. 4. & ſeq.

Ibid. Diſſ. II. p. 2. art. 4. §. 2.

Quidquid extat de Hiſtoria Eccleſiaſtica collegerunt Autores, qui Sæculum IX. vel præceſſerunt, vel ſubſecuti ſunt. Si præceſſerunt; me, quæſo, doceant Critici noſtri, qui fieri potuerit, ut Opera hæc ad nos perverenerint incorrupta, licet per tot ſæcula inerudita deſcenderint, & tot illa manus impudentes & peſtilentes volutaverint? Cui dubium erit, tradita fuiſſe quinque aut ſex ſæculorum intervallo monumenta iſta cuſtodiæ horum, quos jactant, calumniatorum; ipſoſque ea exſcribendo nobis ſervaſſe? Abſque ipſorum diligentia & labore nunc omni prope Hiſtoria, & pleriſque Patrum Operibus careremus. Quod ſi Hiſtoriæ, quæ ſuperſunt, barbaris iſtis temporibus lucubratæ fuere, qui fidem illis habebimus? Quis ſpondebit, ex calumniatorum iſtorum penu haud prodiiſſe, vel ab iiſdem depravatas non fuiſſe? Si nanque religione nulla prohibiti ſunt, quin ſe tanto comitterent periculo, ut Sanctorum ipſis prorſus ignotorum Geſta componerent; quis inducit in animum, eos religioſos fuiſſe quoad novas hiſtorias, neque impudentia tanta flagraſſe ut fabuloſas alias conſuerent, aut genuinas interpolarent?

Ii, qui falſariis appellant, nobis fabulas plerolque ſervarunt.

Baill. ſerm. ubi ſupra.

Quaſnam incredibiles perturbationes in Hiſtoriam non inferrent terribiles iſtæ conſecutiones? quæ tamen natura ſua e Sapientum noſtrorum principiis ducuntur. Unum ſane ex gravioribus Critices Virorum iſtorum vitiis eſt, eos proprias regulas diruere, atque in incommodos ſcopulos impingere, cum omnes conatus exerunt ſuos in piis Traditionibus oppugnandis. Excedunt nanque, dum alios ab iis, quos innocentes errores nuncupant, detrahere ſtudent: & propterea in medio accurate non conſiſtentes, ad adverſum extremum delabuntur. Quod quidem illos, niſi prejudicatis opinionibus moverentur, adducere deberet, ut vel in piis Traditionibus aliquam veritatis ſpeciem agnoſcerent, vel principia ſua repudiarent, quod pluries animadvertimus, & nunquam ſatis animadvertemus.

Conſecutiones incommodæ, quæ e Criticorum pronunciatis emanant.

Quid reſpondere poſſint Critici.

Non eſt autem cur diſſimulem duo vel tria reſponſa graviſſima, quæ in nos urgere poſſunt Sapientes noſtri. Primum eſt, non deeſſe monumenta authentica & vetuſtiſſima, quæ ante ſæcula barbara confecta ſunt, atque in inſequentibus ad nos uſque corruptionem nullam ſubierunt. Alterum, Acta Martyrum, Geſta Sanctorum, eandem Eccleſiæ Hiſtoriam, temporibus iſtis Litteratorum ſtudio & Critices ſubſidio ab innumeris fabulis vindicata fuiſſe. Denique poſtremis ævis iſtis ad Archetypos aſcendiſſe Viros eruditos, atque e purioribus antiquitatis fontibus veritatem hauſiſſe. Quibus adjumentis blandiuntur ſibi, priſcos Autores redintegraſſe, & quamplurimas fabellas ſuſtuliſſe.

Rationes iſtæ diluuntur.

Verum enim vero ſi codices aliqui ſuperſunt IX. ſæculo vetuſtiores, reliqui ſane in falſariorum manus inciderunt? Eos ipſi poſteris exſcribendo ſervarunt: at cui certo conſtat, eos multa non detraxiſſe vel addidiſſe? Quanquam etiam antiqua MSS. integerrime cuſtodiviſſent, cum hæc pauciſſima ſint, incaſſum jactant Viri noſtri ſapientes, Monumenta vetuſta multa penes ſe habere, neque unquam corrupta, e quibus conficiant hiſtorias ſuas. Quantumvis etenim hæc poſſideant, neceſſario tamen fatebuntur, pleraque Operum ſuorum fundamenta ad ſe per manus Metaphraſticas perveniſſe. Quare primum ipſorum reſponſum principio ſuo non ſuffragatur.

Cum vero perpetuo prædicant, ætate noſtra Hiſtoriam Eccleſiæ expurgatam fuiſſe, id nihil aliud ſignificat, niſi Criticos eruditos, qui rebus iſtis ſtudia ſua contulerunt, ex ea deleviſſe, quæ palato ſuo non ſapiebant, aut minus credibilia videbantur: habes autem quid ſermone ipſorum ſit, Vitas Sanctorum emendatiores exhibere, & quibus finibus circumſcribant laborem ſuum Arnaldus Andillyacenſis, Boſquetus, Fleurius, Comanvillæus, Choiſius, Mabillonius, aliique, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inſudarunt. Metaphraſticarum tamen Hiſtoriarum rem intimam intactam ſemper ſervarunt: tametſi Facta plerumque non afferat magis incredibilia, quam ea, quæ leguntur in Libris Autorum multorum, qui in prioribus Eccleſiæ ſæculis Scripta ſua protulerunt, uti Sancti Clementis Papæ, S. Barnabæ, Hermæ, & aliorum.

Tillem. Baill. Fleurus. Gallice.

Occurrunt ſæpe in fronte Operum Sapientum noſtrorum præclara hæc ſenſa: *Monumenta pro Hiſtoria, purgata Autorum Archetyporum citationibus. Vitæ Sanctorum confectæ ex iis, quæ ſuperſunt magis authentica & certa in ipſorum Hiſtoria ... Depromſi Hiſtoriam Eccleſiaſticam ex Autoribus archetypis.* Verum Archetypa iſta comperta fuerunt corruptoribus iſtis, necne? Pretioſa hæc antiquitatis fragmenta nonne in ipſorum manus venerunt? nonne ſæculorum multorum ſpatio ea cuſtodierunt? Qua de re incontaminati iſti antiquitatis fontes, e quibus jactant Critici hauſiſſe

res

res ſuas, ad nos uſque per cœnoſos calumniatorum canales derivarunt. Ecquis itaque in fidem ſe conferat hominis falſarii, audacis, impudentis, novitatis ſtudioſi, qui ſive fraude, ſive ſimplicitate quadam præſtantiora antiquitatis Chriſtianæ de Actis Veterum Martyrum & Geſtis Sanctorum monumenta, ſi animum adhibeamus Criticis noſtris, adulteravit? Ecquis nos certos efficiet, eum peſtiferas manus ſuas non extendiſſe ad ceteras Hiſtoriæ partes, aut ad Operum Patrum loca, quibus mandarunt Traditiones pias, Acta Martyrum & Sanctorum Memoranda, ipſorum mira Facta & prodigia?

Falſas haſce, inquies, Hiſtorias ætate iſta Critices luminibus inſtauravimus. Non diffiteor magnæ Artis hujus præceptorum ſubſidio multa refici potuiſſe. At res intima ſemper perſeverat; neque mihi videor fieri poſſe, ut Critice in Codicibus manu exaratis, quos a barbaris temporibus accepimus, id internoſcat, quod primitus ſcriptum fuit, quodque poſterum additum. Ecce itaque quam verum ſit, ſapientum Litteratorum ſtudium eos longius quam par erat traduxiſſe: & propterea argumenta ipſorum nihil minus principia ſua, quam pias Traditiones convellere. Aſſumta ab ipſis ratio, eas nimirum prodire cœpiſſe temporibus barbaris, ipſos in eundem laqueum inducit; unde difficilius ſe expedient illi, quam nos pias Traditiones tueri & propugnare poſſimus.

ARTICULUS IV.

Critici obſtruxerunt plerarumque piarum Traditionum fontes.

TRaditiones paſſim ab ipſa origine litteris commiſſæ non ſunt. Ab uno nanque ad alium viva voce deſcendunt, in animis hominum hærent, donec de ipſis Scriptor aliquis mentionem facit. Fontes autem piarum Traditionum appello Autores Eccleſiaſticos, qui nobis illas tradiderunt, *Martyrologia*, *Breviaria*, alioſque Libros Eccleſiæ uſui delectos. Porro hi ſunt fontes, quos illuſtres Critici obſtruere curarunt, ſuſpicionem in Scriptores & Patres ipſos, qui ad nos derivarunt illos, excitantes, & Martyrologia & Breviaria de Autoritate dejicientes.

§. I.

In eo laborarunt, ut attingeremus ſuſpicione teſtimonium Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui pias Traditiones nobis reliquerunt.

Criticorum pronunciatum

PRonunciatum eſt & conſuetudo Sapientibus quibuſdam familiaris, priſcorum Patrum teſtimonium falſitatis inſimulare; quoties ſenſis & opinionibus illorum adverſatur. Firmior hæc eſt Criticorum recentiorum oppugnatio, ut ſanctarum Inſtitutionum, quæ hujus Operis faciunt argumentum, murum ab imo ſuffodiant. Qua vero ratione fieri poſſet, ut earum pleraſque tutaremur, ubi Patrum Eccleſiaſticorum teſtimonium de dignitate decidat, qui vetuſtarum Traditionum celeberrimas nobis cuſtodierunt?

Accuſare ſolent Patres, quod e contaminatis fontibus hauſerint.

Tertio quoque verbo repetunt, extitiſſe Scriptores Eccleſiaſticos, qui e Libris ſuppoſititiis & apocryphis multa promſerunt; eos nimia credulitate peccaſſe; atque Opera ſua non paucis fabulis referſiſſe. „ Fuerunt ex „ antiquis Patribus, ait Bailletus, uti Clemens Alexandrinus, qui men- „ dacium Evangeliorum autoritate uſi ſunt ſuper capitibus de Vita Jeſu „ Chriſti. Non defuerunt item temporibus inſequentibus alii, inſtar Gre- „ gorii Nyſſeni & Epiphanii, qui non dubitarunt e mendoſis Genealogiis „ deducere, quæ libris ſuis commendarunt de genere & infantia Deiparæ „ Virginis: non ſecus atque alii temporum ſucceſſione, nimirum Gre- „ gorius Turonenſis, & Joannes Damaſcenus, qui ab Hiſtoria fabuloſa „ *de Obitu Virginis*, adjuncta mortis ejus, quæ nobis venditarunt, de- „ cerpſere.

Baill. inſerm. de Vita Sanctorum art. 30.

Quod plus æquo credulí fuerint.

Aliquando etiam in cauſſa ponunt, quare pias haſce Fidelium Traditiones ſcriptis tradiderint, nimiam nonnullorum Scriptorum Eccleſiaſticorum credulitatem. „ Extiterunt quidam ſancti Viri, qui tantum abeſt, „ ut alios in errorem inducere vellent, ut potius de ceterorum ingenio „ ſecundum naturam ſuam pronunciarent; & plena hac ingenuitatis fide „ a flagitioſis & mendacibus hominibus decepti, contulerunt, invito licet „ animo & imprudenti, ad decipiendos alios, qui ipſorum teſtimonio „ acquieverunt „. In quorum numero collocat Beatum Theodoretum, Gregorium Magnum, Gregorium Turonenſem & Sanctum Sulpicium Severum. „ Quod eſt S. Joannis Damaſceni, inquit Tillemontius, tempus „ quo vixit, ejuſque ad hauriendas quaslibet hiſtorias pronus animus, in „ cauſſa ſunt quare non magna floreat autoritate .... Juvenalis, Euthimius, „ & An-

Baill. in adm. art. 7.

Tillem. tom. 20. & 15. in Dorm. Virg. Lamojus.

„ & Andreas Cretenſis, eorumque ſectatores *, ejuſmodi non ſunt, ut Fa-
„ ctum aliquod nobis aſſerere poſſint. Autor Libri de Divinis nominibus,
„ ſe ſimulans Sanctum Dionyſium Areopagitam, cetera quoque Facta, ut
„ merito præſumere poſſumus, ſimulavit „. Si Viri iſti Litterati imitari ſtuduiſſent Melchioris Cani laude dignam moderationem, in hæc profecto immoderata ſenſa non incidiſſent. **

Alia vitia Patribus tributa.

In medium ne profers Hegeſippum, Juſtinum, Athanaſium, Joannem Chryſoſtomum, Auguſtinum, Hieronymum, S. Leonem Pontificem, Venerabilem Bedam, alioſque Patres, ut ex piis iſtis Traditionibus aliquam confirmes? Si nequeant perdocti Critici noſtri eos producere tanquam Autores, popularibus ſermonibus animum attendentes, aut tales, qui e vitioſis fontibus rem deduxerint: teſtimonium certe ipſorum, ſi fidei virorum iſtorum hærere velimus, depromtum erit ab opere aliquo, fabulis & rebus incredibilibus conſerto: opus illud falſo ipſis adſcriptum erit; vel aperte reſpondebunt, eos erraſſe & fabulis omnino non carere. Quod vero ipſis familiare reſponſum eſt, & videtur majorem Patribus morem gerere, in eo vim facit, quod Patres Facta iſta non ſatis expenderant. Deinceps ejus rei exempla non pauca ſubjiciemus.

Quæ poſſint eſſe Sanctis Patribus excuſationi.

Nemo inficias iverit, pleroſque Autores Eccleſiaſticos, qui rebus Eccleſiæ conſcribendis ſe dediderunt, ſive conſulto, ſive obiter, non ſemper ea facultate præſtitiſſe; (aut tempore, aue optimis monumentis aliquando indiguiſſe) ut res ſumma cum accuratione recitarent. Verum ratum nobis & conſtans facere poteſt eorum virtus, eos nunquam oculos ſubduxiſſe a duabus illis legibus præcipuis, in quas ſemper hiſtoricus aciem intendere deberet. Prima eſt, ne mentiatur unquam; altera, ne veritatem reticeat.

Quod autem plurimum contulit Hiſtoriæ corrumpendæ, gratificatio fuit, qua Hiſtorici aliis indulgebant, vel affectibus ſuis ſerviebant. Atqui ſimile facis vero eſt, abjecta hæc cogitata a Patrum animo longe fuiſſe remota, neque aliud conſilii habuiſſe, cum tot nobis pias Traditiones reliquerunt, quam ſervare Depoſitum ſacrum ſibi commiſſum, atque illud ad poſteros Chriſtianos, ut eorum pietatem alerent, propa-

* *Eruditorum nemo eſt, qui memoratos Autores in diligentia vitio laboraſſe, judicii acrimonia non valuiſſe, multa ex Libris apocryphis deſumſiſſe, & omnia promiſcue, & ſine ullo, vel certe parvo delectu, in ſuos jeciſſe commentarios, ignoret.* Joann. Laun. Append. ad Diſſ. neg. arg. animad. 14.

** Sapiens hic Epiſcopus de Sancto Gregorio Papa, & Vener. Beda diſputans, qui hiſtorias aliquas ſpecie tenus non admodum tutas afferunt, obſequium indicat Sanctis iſtis Doctoribus præſtandum, quod ad alios quoque Patres referre poſſumus. *Sed quoniam modeſte & circumſpecto judicio de tantis Viris pronunciandum eſt, ne in his quidem duobus rejicienda ſunt plurima. Pauca enim in eis poſſis arguere; quamvis Hiſtoriam Eccleſiaſticam ad ſeveriora judicia revocare contendas. Ac ſi neceſſe eſt in alterum peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari malo.* Canus de Loc. Theol. l. 11. c. 6.

gare.

gare. Ea itaque ſimpliciter retulerunt, quæ acceperant; quin amor aut odium, ſpes aut timor ipſorum calamum dirigeret. Ac ſi proſpectis his omnibus, nihilo ſecius ſuper Facto aliquo peculiari aliquando hallucinati ſunt, culpæ iſtæ vitio vertendæ ſunt humanæ infirmitati, non vero animo incompoſito, aut modicæ intelligentiæ: & propterea nihil inde de ipſorum autoritate detrahendum.

Nemo Scriptorum eſt, qui non aliquando lapſus fuerit.

Ecquis nam Eccleſiæ Pater gloriari poterit, ſe nunquam credulitate nimia laboraſſe, nihil e corruptis fontibus hauſiſſe, falſis monumentis fidem non adhibuiſſe, & accurationem tantam in omnibus Operibus ſuis ſervaſſe, ut nihil ipſi de re tantummodo hiſtorica exciderit, quod fabulam redoleat? Ex his igitur mendis, cuilibet tum Eccleſiaſtico tum profano ſcriptori communibus, anſam arripiemus eos in judicium vocandi, atque inter narrationes fabuloſas, quæcunque recitant, eventa detrudendi? Integrum ne erit, Euſebii, Joannis Chryſoſtomi, Auguſtini, aliorumque teſtimoniis refragari, quod nimirum aliquando Patres iſti exceſſerint in credendo, Libris apocryphis uſi fuerint, aut fabulas nonnullas retulerint? Conſecutio hæc Hiſtoriam Eccleſiæ funditus convelleret. Præterquamquod cur ad loca hæc communia ſe recipiunt, ut Patrum iſtorum autoritatem frangant, ubi potius agitur de piis Traditionibus, quam de ceteris? Lectoris ſit id æquis ponderibus examinare. Interea nos diſſimulare non poſſumus, viam hanc & rationem ſcribendi non ſatis obſequii Sanctis Patribus deterre.

Autores profani fabulis non carent.

Poteſt ne quis verſari in ancipiti, inhoneſtum atque impium hominem bonum hiſtoricum nullatenus fore? Hac ſane de cauſſa exiſtimat P. Rapinus, Tacitum egregio alias ingenio hominem famam ſuam violaſſe.

Rapinus in Inſtruct. ad Hiſtor. Gall.

„ Tacitus, inquit præclarus hic Jeſuita, in morali doctrina nutat, ex„ cellens ſimulator eſt, & cor perditum præſtantiſſimo obtegit ingenio. „ Præterquamquod ſiniſtre de aliis ſentit: nullam pietatis notam indi„ cat cum de Diis ſermonem habet ..... adeo difficile eſt, iniquum „ hominem bonum hiſtoricum eſſe; uterque enim iiſdem ferme nititur „ principiis „ *.

Xenophon.

Contra vero ſi Xenophon inter perfectos hiſtoricos enumeratur, propterea eſt, ajunt, quod eluceant in ejus Libris religionis ardor, & Deorum veneratio; noſque moveant, ut illi omnia credamus: rati, non

* Quanquam ſuſtinendum non ſit, iniquum hominem ad hiſtoriam ſcribendam ſe traducere: cum fieri nullo modo poſſit, ut Opus ejus de animi corruptione nihil contraxerit: attamen contra accidit in Salluſtio, qui bonus revera hiſtoricus eſt. Afficitur nanque indole præſtanti, accurato ingenio, intelligentia admirabili, peſſimis licet ſit moribus dehoneſtatus: quodque ſatis lepidum in ipſo eſt, vehementiſsime crimina illa infectabatur, quorum ille præ ceteris reus erat.

poſſe

poſſe mentiri hominem, qui pietatis ſtudium alte adeo gerat in pectore.

Religio conferre poteſt, ut Scriptori dicenti aſſentiamur.

Quod ſi profanæ Religionis, fallaciſque pietatis amor nobis perſuadere poſſunt, Paganum hominem non eſſe ad prodendam veritatem compoſitum: quare præclari Critici noſtri privilegium idem non tribuunt Autoribus Eccleſiaſticis, quorum Religio admodum pura eſt, & Sanctitas morum Eccleſiæ toti perſpecta? Non contendimus quidem fidei ſplendore & claritate effici Scriptorem, de re hiſtorica erroribus haud obnoxium, neque virtutis exercitationem principem eſſe Hiſtorici alicujus facultatem: non nos fugit, oportere præditum eſſe illum, judicio ſingulari, inſita probitate, exquiſito rerum ſenſu, aliiſque partibus hujuſmodi. At illud unum monere volumus, ſi pietatis & religionis ſtudium non parum facit, ut Ethnico homini dicenti aures præbeamus, quanquam res haud magnam veritatis imaginem referant: idem quoque præſtare debere quod attinet ad Sanctos Doctores; etſi narrationes eorum omnino fide dignæ non viderentur obtutu primo; ſive quia adjuncta aliqua taciti præterierint, ſive non admodum aperte mentem ſuam explicaverint; noſque lateant multa, quæ Factum minus redderent haud probabile: niſi tamen argumentis indubitatis, non vero dictis generalibus, efficiamus, illos revera hallucinatos fuiſſe.

Præter pietatem alia in Hiſtorico deſiderantur.

§. II.

Magis tribuunt teſtimonio Autorum Gentilium de re hiſtorica, quam autoritati nonnullorum Patrum de piis Traditionibus.

Hiſtorici Profani paucioribus vitiis non inficiuntur, quam Eccleſiæ Patres.

ECquis unquam Litteratorum hominum in animum induxit, ut detraheret de exiſtimatione Herodoti, Thucididis, Dionyſii Halicarnaſſæi, Titi Livii, Taciti, aliorumque præſtantium Hiſtoricorum Græcorum & Latinorum ex antiquitate Pagana, utque Reipublicæ Litterariæ ſuaderet, eorum autoritatem nullo fere numero, nulliuſque pene frugis eſſe ad Factum aliquod ſtatuendum? Et tamen celeberrimi Hiſtorici iſti minori ne credulitate ducti ſunt, ac Eccleſiæ Patres? Emergunt ne pauciores fabulæ in illorum, quam in iſtorum, voluminibus: ſique exprobant Sanctis Doctoribus iſtis, eos narrationes ſuas ſumſiſſe a Libris ſuppoſititiis & apocryphis, nonne exemplis innumeris poſſumus roborare, Paganis Scriptoribus iſtis ſubſidio fuiſſe monumenta falſa, quibus errores admiſerunt, in rudioribus etiam acriter animadvertendos: uti nos docet Melchior Canus. *

* *Quadam in Livio eſſe, quadam in Salluſtio, quadam in Cornelio Tacito, quadam in Trogo quorum fides manifeſtis teſtimoniis labefactari poſſit. Flavius*

Herodotus. Magnificis, quantum lubet, effer verbis Herodoti merita, * quem aſſerunt præſtare ſinceritate ſingulari, recto guſtu, magnoque judicio, & præter dictionem caſtam, ſuavem, leniter fluentem, gratam & elegantem, iis dotibus omnibus prædictum eſſe, quæ glorioſum *Patris Hiſtoriæ* nomen ipſi compararunt. Nihilominus redundat autor hic fabulis multis, ut errata præteream, quæ parum cavit ſive diligentiæ vitio, ſive monumentorum corruptorum impedimento. Idque eo demum creſcit, ut multi negotii ſit, veritatem cognoſcere; itemque non deprehendere, fabulis omnia compacta eſſe, quæ de Gentilium Oraculorum origine perſequitur. Quis credat, ſerio loqui Autorem hunc, atque inſtar prudentis hominis, veritatiſque ſtudioſi, cum aſſerit in quarto Libro, *Melpomenes* inſcripto: Duas Virgines olim in Græciam veniſſe, quo detulerunt parva quædam Sacella, frumenti paleis involuta, quæ in Inſula Delos magno cultu & veneratione profecuta ſunt? eumque itinera multa Virginibus ipſis ingredi fecit, gloriam demum ipſis confert, quod Oracula Jovis Ammonis conſtituerint?

Dionyſius Halicarnaſſæus. Dionyſius Haliearnaſſæus prodit in Libro de Antiquitatibus Romanorum ſenſus, doctrinæ, & ſermonis profunditatem ſingularem. Habent etiam paſſim illum Scriptorem accuratum, diligentem, ingenioſum, Tito Livio veraciorem, & magno numero hominem. Quæ tamen omnes egregiæ dotes, quæque fidem prorſus Hiſtorico adſciſcunt, non obfuerunt quominus *de la Mothe le Vayer* hanc credulitatis indolem Dionyſio objiciat, qua narrationes ab omni veritatis ſpecie abhorrentes obtrudit, videturque omnium vulgarium rumorum coagmentatio fuiſſe, & bona fide miracula, quæ venditat, hauſiſſe. Quod ſi pauci hiſtorici naviter obſtiterunt ſtimulis efferendi hiſtoriam ſuam narratione rerum, quæ mira facta atque oſtenta complectuntur, eſt ſane cur dicamus, hunc ultro incitamentis illis agitatum, traductumque fuiſſe.

Dio Caſſius. Dio Caſſius bis Conſularus honore donatus, defunctuſque multis gravibuſque Imperii muneribus, aptior eſſe omnibus poterat ad Hiſtoriam ſuorum temporum conſcribendam; quandoquidem de eventis loquebatur

Vopiſcus veriſſime dixit (In vita Aureliani) *Nihil ergo fidei Ethnicorum Hiſtoriis habendum eſt, utpote qui nullam habeant non modo certam, ſed nec probabilem quidem autoritatem*. Meleh. Can. de Locis l. 11. c. 3 verſ. fin.

* Cicero Parens Eloquentiæ Herodotum appellat *Hiſtoriæ Patrem*. Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis *in Hiſtoria ſua Univerſali* eum magnum hiſtoricum, atque ingenioſiſſimum vocat. Multa eum ſinceritate præſtare affirmat Rapinus. De la Mothe le Vayer, Ryerius, Gallicæ Academiæ membrum, aliique ſummis hiſtoricum iſtum efferunt laudibus. Contra vero Manethonius Herodotum carpit, quod aliquando mendacio laboraverit propterea, quod antiquitates Ægyptiacas non calleret: idemque in eum jacit Diodorus Siculus l. 1.

teſtis

teſtis oculatus, & Imperii adminiſter. Quot tamen hiſtoricus hic res extraordinarias ſine delectu narrat? tantumque abeſt ut veritati adhæreat, ut ſæpe numero ab ipſa veritatis ſpecie recedat, v.g. cum libro 66. Hiſtoriæ ſuæ teſtatur, Veſpaſianum, expuendo in oculos cæci, viſum ipſi reddidiſſe.

Alii Hiſtorici profani.

Nihil dico de Appiano, Diogene Laertio, & Zoſimo, qui eaſdem culpas in ſe admiſerunt, de quibus Sancti Doctores noſtri redarguuntur. Silentio prætereo Joſephum, Procopium, alioſque Hiſtoricos Græcos, *magnos Concionatores* appellatos, non ſecus atque Thucididem, & Xenophontem, qui ab Homero acceperant hanc concionandi conſuetudinem, veritati hiſtoricæ plerumque adverſantem. Concliones omnes, quas habuiſſe inducuntur, præſertim illuſtres Viri, non rectum ſui ſpecimen ingerunt. E quibus nanque monumentis illa eruere potuerunt? Præterquamquod miles perfecti Oratoris inſtar perorare non conſuevit.

Titus Livius fabulis ſcatet.

Inter omnes Latinos Hiſtoricos unum ſeligo Titum Livium, de quo paucula ſubtexam; quoniam infinitus pene numerus eorum eſt, qui hiſtoriam ſuam in cœlum evehunt; affirmantque, eum hiſtoricorum omnium abſolutiſſimum, & præclaris eorum dotibus præditum uſquequaque. Cogitata elegantia, dictio nobilis, guſtus exquiſitus, atque elegantia admirabilis præſtantiſſimum hominis ingenium efficiunt. At enim hic magno vir ingenio innumeros vulgi rumores in ſuam hiſtoriam tranſtulit; eamque prodigiis referſit. Modo Bos locutus eſt, modo Mula concepit; aliquando Homines, Galli, & Gallinæ ſexum mutarunt. Pluunt ſæpe lapides, caro, creta, ſanguis, & lac. Symulacra Deorum loquuntur, plorant, ſangulne ipſo manant. Quot ſpectra viſa, exercitus in cœlo congreſſuri, lacus & flumina ſangulnolenta leguntur?

Autores Eccleſiaſtici tot gravibus mendis non afficiuntur.

Deprehendes ne tot fabulas & commenta apud Autores ſanctos, eoſdemque *Legendarios*, qui Litteris tradiderunt Acta Veterum MM., Geſta Sanctorum, quibuſque pias Traditiones acceptas referimus? Dicendum ſane erit, ipſos eo uſque credulos fuiſſe, uti pleriquc profani Hiſtorici iſti fuerunt, e fontibus adeo cænoſis res hauſiſſe, monumenta æque mendacia conſuluiſſe, totque populares narratiunculas collegiſſe? Nihilominus Ethnici iſti pleriſque Sapientibus admirationi ſunt, ipſorum teſtimonium obſequio proſequuntur, eorumque Opera, quamvis tot fabulis conſarcinata, nihil tamen detrimenti cæperunt. Quid quod non defuere, qui in eo laborarent, ut mendaciis Herodoti & Xenophontis excuſationem prætexerent; neutrum ſcilicet animo decipiendi ea protuliſſe? interim dum pleroſque *Legendarios* criminantur, perinde ac ex animo nobis imponere voluerint.

Baillotus in Sem. art. 4.

Satis autem apparet, Litteratos homines conclamaturos, ſi priſcorum

Hiſtoricorum iſtorum autoritas abjiceretur, aſſumta ratione, quod prō-nioris fidei fuerint, fabulaſque in vulgus ediderint; ſique ſine firmis argumentis, id auſi cujuſdam genus aggrederemur. Non itaque moleſte ferant Critici noſtri celeberrimi, quandiu in univerſum tantummodo dicent, nonnullos Patres e Libris ſuppoſititiis res depromſiſſe, ad pias Fidelium Traditiones ſpectantes; aut ſine probationibus affirmabunt, eos nimia credulitate laboraſſe, atque ad hujuſmodi loca communia confugient: tandiu nos obſequio & veneratione colere Sacrum Depoſitum, a Patribus noſtris acceptum, & Eccleſiæ non improbatum.

§. III.

Exterminantes quidam autoritatem Martyrologiorum & Breviarii, putarunt nocere quamplurimis piis Traditionibus.

Critici oppugnarunt Martyrologia.

ECcleſia de iis ſemper ſollicita, quæ pietatis exemplum filiis ſuis aſſere poſſunt, nihil eorum omittit, quæ virtutem iſtam in Fidelibus ſovere ſolent. Amantiſſima mater proponit ipſis, in voluminibus ejus uſui deſignatis, quædam facta, mores, piaſque Traditiones, ut myſteriorum multorum, quæ ad ipſas ſpectant, memoriam excitet.

Critici vero noſtrorum temporum cum in id intenderint, ut Patrum de piis iſtis opinionibus autoritatem convellerent, nihil præterierunt, ut e Martyrologiis & Breviariis ductas probationes enervarent, in quibus vetuſtæ iſtæ Traditiones ſervatæ ſunt: præ ceteris vero vires ſuas eo contulerunt, ut de Breviarii Romani dignitate derogarent, quod ipſis dignius viſum eſt objectum ſtudii ſui. Quod autem eſt Factorum, quæ in Martyrologiis referuntur, facile poſſumus conjicere, quanta ſint apud ipſos in exiſtimatione; quandoquidem animadvertimus, dum in trutina verſabatur acceptiſſimum ipſorum principium, contemnenda nimirum eſſe eventa omnia, quæ primariorum Autorum teſtimoniis fulta non ſunt. Hic itaque agere duntaxat eſt de Officio Eccleſiæ, & Breviario Romano.

Contendunt, Breviarium Romanum fabulis conſertum eſſe.

In Breviariis, quibus utitur Eccleſia Romana, aliæque particulares, Acta & Geſta Sanctorum in varias Lectiones diſtributa ſunt; cumque Actorum & Geſtorum iſtorum Autores, ut plurimum ignoti ſint, ſæculiſque multis recentiores, ac Sancti illi, quorum Martyrium vel Hiſtoriam executi ſunt, ipſorum teſtimonium non videtur magnopere Sapientibus noſtris exiſtimandum. Nonne extant, ajunt, Acta multa ſincera Veterum Martyrum, Hiſtoriæ veritatis exploratæ, egregiæ apud Scriptores Eccleſiaſticos Homiliæ, quibus Officii Divini Lectiones conficiamus,

ut

ut ſupervacaneum ſit fontes iſtos corruptos adire, unde ad nos pleraque in Breviario Romano comprehenſa manarunt.

Conſpicimus aliquando Viros iſtos, ut prætexant rationem aliquam adumbratam iis, quæ de Breviario Romano minus officioſe loquuntur, ſeveram Criticorum perſonam deponere, iſtamque moralis doctrinæ, ad pietatem erudientis, ſententiam promere. „ Viri in aliis diſciplinis egre„ gie verſati, religioni ducunt iis adhærere, quæ in Eccleſiæ Officio ſe„ dem tantummodo habere videntur. Verum Eccleſia ipſa integrum no„ bis aliquando facit, ab ejus verbis recedere, animumque ſectari, at„ que in rebus hiſtoricis iis aſſentiri, quæ ad Leges hiſtoricas exacta, con„ tinent veritatem „. Quibus anfractibus utantur ut Officium Eccleſiaſticum deturbent. *Tillem. not. 9. in Jeſum Chriſtum.*

Baronius e Breviario Romano quoddam deduxit ex argumentis ſuis, ut Virginem Deiparam in cœlum cum corpore aſſumtam oſtenderet. „ Por„ ro ſi Baronius, reponit Tillemontius, innititur officio Eccleſiæ, non „ verebor ipſum monere, perſpicuum eſſe quanta illud ſit in re hiſtorica „ autoritate. „ Eccleſia Feſtum Converſionis S. Pauli celebrat octavo Ka- lendas Februarii: Verumtamen ex dictis Tillemontii „ neque Breviaria „ hodierna, neque Martyrologia Uſuardi & Adonis eo ſunt momento, „ ut nobis in re tam vetuſta vim facere poſſint „. *Tillem. not. 16. in Vit. Simeonis, Launojus.* *Tillem not. 5. in S. Paulum.*

Bailletus ipſe non omiſit animadvertere, Breviaria mendis oppleta eſſe, totque aſpergi Romanum ipſum, quot aliud quodcunque. Quod præſtirerunt, ait, ut in exemplar aliorum evadere poſſet, Eccleſiæ Romanæ majeſtati & Sanctitati non reſpondet. Immo addit, honorem tanto nomini habitum aliqua ſaltem ratione errores Facti, qui in illud irrepſerunt, conſecraſſe. *Baill. in Serm. art. 17.*

P. Alexander locis haud paucis ſeſe nullo expedit negotio ab iis, quæ uno Breviarii Romani teſtimonio firmantur. *Nunquid autoritas Breviarii Romani*, ait, *efficere poteſt, ut fabulæ in hiſtorias evadant* *? Launojus Thierius, Simonius, Lamius, & alii ſunt ab hac ſententia de Martyrologiis, & officio Eccleſiaſtico, & tertio quoque verbo ea inculcant Tillemontii verba: „ *Collecta* S. Catharinæ fert aperte, Angelos ipſius corpus „ in Sinai Montem tranſtuliſſe; neque nobis cautum eſt de hoc dubitare. Attende quæſo animum, Lector, Animadverſionibus, quæ ſequuntur. *Tillem. not. 26. in Deip.*

Prima eſt, mirari nos non ſine cauſſa, Eruditos iſtos Martyrologiorum & Breviariorum autoritatem in ſuum cenſum referre, quoties aliquo ipſis futura eſt emolumento; & nullius ponderis eſſe docere, cum piis Traditionibus ſtatuendis opportunitatem habet. Animadverſiones in hoc Criticorum conſilium.

* *Nec conſeri debere explorata & inconcuſſa veritatis quæcunque Breviario ſunt inſerta; quod multis exemplis pro-* | *bare facile eſſet*, Alex. Sæc. 3. Hiſt. Diſs. 20.

Alte-

Altera, nunquam in hac Eccleſiam opinione fuiſſe, ut traderet, in Martyrologiis & Breviariis errata non eſſe, eum identidem expendendum & emendandum curaverit, ſi quid, ipſa invita, in eadem irrepſiſſet.

Tertia eſt, neſcire nos, qui perſuaſum habere poſſint Critici præſtantes, ſecundum magnæ artis ſuæ documenta ſatis eſſe, ut Officii Eccleſiaſtici autoritas labefactetur, in univerſum dicere: *Non eſt cautum nobis dubitare* de iis, quæ in illis reperiuntur, quod nimirum Facto aliquo peculiari conſtet, quod maxime dubium aut certe falſum eſt. Ecce itaque modos aliquos non ſatis accommodatos, quibus a piis Traditionibus hiſtoriam expurgant; quandoquidem iſti ipſi modi, ſtrictim accepti, fundamenta eorum omnia radicitus convellunt.

ARTICULUS V.

Breviarium Pariſienſe expenditur ſecundum Regulas Generales, quibus utuntur Sapientes, ut Hiſtoriam a piis Traditionibus vindicent, & ſingillatim ſecundum Tabulas Criticas Bailleti.

Accommodantur Regulæ Criticæ Breviario Pariſienſi.

POſtquam operam noſtram in eo poſuimus, ut oſtenderemus, quam parum rectæ & accuratæ ſint Leges, quas adhibuerunt Critici ad detergendam a ſordibus piarum Traditionum, de quibus agimus, hiſtoriam; quamque incommoda principia inde conſequantur: ut levitatem eorum perſpectam ulterius faciamus, ſcopuloſque, quos vitare nequeunt, adeoque in eos impingunt Sapientes noſtri, indicemus; operæ pretium duco, viæ & rationis eorum collationem facere cum Libro quodam Eccleſiaſtico, qui pias Traditiones quamplurimas in ſeſe continet. Hic autem Liber eſt Breviarium Pariſienſe, quod eo libentius feligo, quo ratum habeo, Criticos noſtros ſingulari plane veneratione proſequi Librum, ab Eccleſia Pariſienſi, ipſorum matre colenda, ipſis concreditum, ut preces Eccleſiaſticas recitent. Antequam autem ad id judicium accedo, juvat in apertum producere, ad quod perfectionis faſtigium adductum fuerit Breviarium hoc poſt ultimam inſtaurationem, juſſu Cardinalis *de Noailles* factam anno 1697. *

* Perefixius Archiepiſcopus Pariſienſis emendationis hujus conſilium cœpit. Concivit itaque cœtum Sapientum & præſtantium virorum, quibus Legatos ſuos, ut una inſudarent, Canonicorum ordo deſignavit. Seſs. 1. habita eſt die poſtrema Julii 1670. Hanc conſecutæ ſunt ſeptemdecim aliæ ad obitum uſque Præſulis iſtius, qui anni inſequentis die

§. I.

De Perfectione Breviarii Parisiensis, ut modo est.

FAcile admodum constabit de perfectione, ad quam deductum fuit Breviarium Parisiense post extremam ejus emendationem, si animadvertamus: 1. egregias hac de caussa regulas adhibitas fuisse. 2. quantum studii & laboris impenderint, ut Breviarium hoc conficeretur ex purioribus antiquitatis fontibus, tum quod attinet ad Dogma, Moralem Scientiam, Disciplinam Ecclesiæ, & Gesta Sanctorum, tum ad Traditiones pias. Denique studium & accurationem Virorum sapientum illorum, qui laborarunt, ut Ecclesia Parisiensi, totque præclarissimis, quos complectitur, Viris dignum redderetur. Quid fecerint Breviarii Parisiensis instauratores.

Quanquam in Opere Animadversionum de Regulis & Usu Critices sermo inciderit, de Legibus ad retractandum Parisiense Breviarium adhibitis; nihilominus mihi visus sum, eas hoc loco congruentius recitatum iri. Confectæ nanque sunt accuratione & intelligentia multa, & maximo esse possunt emolumento Ecclesiis aliis, quæ in Breviariorum suorum emendatione Parisiensem imitari vellent. Quare species est, æqui bonique facturos omnes, huc eas afferri, tum quod universam rationem & operis summam vel consilium ob oculos ponant, tum quod rebus Articuli hujus elucidandis adjumenta non modica suppeditabunt.

REGULA PRIMA.

Mysteria Religionis exponere locis & dictis Sanctorum Patrum, præsertim ex prioribus sæculis. Regulæ adhibitæ pro instauratione Breviarii Parisiensis.

REGULA II.

Non modo vitare ea, quæ manifesto sunt apocrypha, sed *dubia* * quoque, atque illa omnia, quæ inter Litteratos disputationes ferere possent: cum precum natura a controversiarum litibus abhorreat.

prima contigit. Harlajus, Perefixio suffectus, emendationem urgeri voluit, additque Legatis Ordinis Canonicorum Abbatem Beniaminum Vicarium Generalem suum, & Assessorem; Loiselum Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, & Parochum Sancti Joannis; Gaudium item Vicarium Generalem; & Decanum. Congregationes denuo fieri cœperunt qualibet die Martis a 17. Septemb. 1674. ad 30. usque Aprilis 1675. Anno demum 1697. denuo emendatum fuit *paucissimis immutatis*.

* Hac voce *dubia* crediderim, Censores non intellexisse *probabilia*. Certum nanque est, eos in Breviario plura reliquisse, quæ probabilitatis fines non excedunt. Quare hoc verbo *dubia* significarunt manifesto id, quod solidum fundamentum non habet, omnique caret veritatis specie, aut levissimam duntaxat affert.

RE-

REGULA III.

Anteferre quidquid Patres & Sancti Dei homines de Divis aliis hominibus commemorarunt, lucubrationibus illis, quæ tanta non ſunt, quanta opus eſt, autoritate, aut quanta ſunt Patrum Opera, vel Acta, quæ adhibuerunt.

REGULA IV.

Teſtimonia indubitata producere miraculorum illorum, quæ referuntur, & Sanctis Viris intercedentibus patrata fuere.

REGULA V.

Non præterire, quæ Patres, præcipue primorum ſæculorum, magnificentiora & graviora de Virgine Deipara tradiderunt.

REGULA VI.

Inquirere diligentiſſime monumenta omnia magis authentica ad confirmandam autoritatem Eccleſiæ & Sanctæ Sedis.

REGULA VII.

Certis argumentis oſtendere antiquitatem cultus Sanctorum & pietatis erga Defunctos.

REGULA VIII.

Proferre quæ attinent ad Diſciplinam Eccleſiæ, eaque ſolidis probationibus fulcire.

REGULA IX.

Venuſtates Sacrarum Litterarum ſcrutari, in bono lumine collocare opé elegantiorum Patrum Homiliarum; & divinum hoc Sanctumque pabulum Eccleſiaſticis præbere, quo ipſi repleti, Fidelibus ceteris illud diſtribuere poſſint.

Accuratio Regularum iſtarum.

Hæc ſunt præcepta, quæ videntur accuratiſſima, ut per ea conſilium reficiendi Breviarium Pariſienſe implere poſſent, neque pariter meliora quis conderet, ut a Traditionibus vulgi, quæ aliquando in ipſum irrepſiſſent, expurgaretur. Inferius collationem inſtituemus Legum iſtarum cum illis, quas ediderunt Critici ad detrahendum de piis Traditionibus.

Fontes unde derivarunt, quæ in Breviario iſto ſunt poſita.

Nullos plane puriores in Eccleſia reperias fontes, quam Stripturæ, Traditio, & Patrum Opera. Ut ex Breviario Pariſienſi conſtanter efficeretur, Jeſum Chriſtum perfectionem attuliſſe Legi univerſæ, & figuras omnes

nes ad veritatem perduxiſſe, quæ ab exordio mundi deſcriptæ ſunt ; ſelegerunt e Sacris Litteris Libros & Hiſtorias, quæ ad hæc explicanda magis ſpectant: depromſerunt argumenta præcipua de Divinitate Jeſu Chriſti, de fructibus & effectibus Incarnationis, de iis, quæ attingunt tum Altaris Sacramentum, tum cætera, obſequium in Deiparam, cultum Sanctorum, aliaque Religionis Myſteria ; eaque omnia ab Operibus Sancti Ignatii, S. Polycarpi, S. Irenæi, aliorumque celebriorum Eccleſiæ Patrum, & maximi apud eandem teſtimonii.

Cenſores ſimiliter, in exemplar Breviarii Romani, multum operæ ſtudiúque poſuerunt, ut Sanctorum Patrum Sermones anteferrent priſcis *Legendis*, quæ haud raro Sanctorum Hiſtoriam, ratione quadam a veritate remotiſſima, narrabant. Miracula quoque & Prodigia munire contenderunt autoritate Patrum & Sanctorum, qui temporibus vixerunt haud ſuſpicioſis, quique de illis ita teſtati ſunt, ut nullus futurus fuerit locus, illa in dubium revocandi. Nihil denique in egregio Breviario hoc reperitur, quod decerptum non ſit e viſceribus eorum, quæ ſuperſunt in Eccleſia digniora veneratione, & luce conſpicua ; quandoquidem in unum pretioſiora antiquitatis monumenta collegerunt.

Nihil producunt non optime confirmatum.

Ut autem paucis conjicere poſſimus immanem laborem, a Viris iſtis ſapientibus impenſum Breviarii hujus inſtaurationi: ſatis erit ſi dixerimus, eos accuratione ſumma valuiſſe. In conſilium vocarunt homines cujuſvis Ordinis & Inſtituti eruditiſſimos, cum intra Regnum, tum alibi, ſuper his, quæ dubitationem aliquam afferre poterant. Negotium ſatis moleſtum ſuſceperunt evolvendi in præcipuis Bibliothecis publicis privatiſque Codices, eorumque varias Editiones ; unde ſingulares notitias, penituſque neceſſarias compararent. Epiſtolas dederunt Eccleſiis multis intra & extra Regnum, uti Mediolanenſi, Metenſi, Senonenſi, Rothomagenſi, Antuerpienſi, Auguſtomagenſi, & ſæpius Romanæ. Itinera multa ingreſſi ſunt, ut plura cognoſcerent, de quibus certiores ſingillatim fieri cupiebant ; denique nihil omiſerunt, quod ad operis hujus perfectionem conferre poſſet, quod quidem tot vigiliarum, tantæ contentionis, & multorum annorum honorificentiſſimus fructus eſt.

Quam adhibuerint in hoc perficiendo conſilio diligentiam.

§. II.

Referuntur nonnullæ Sapientum noſtrorum Regulæ, & Breviario Pariſienſi, ut poſt emendationem eſt, accommodantur.

NON eſt neceſſe omnes hic Leges lance ſuſpendere, quæ uſus afferunt Criticis ad propulſandas ab Hiſtoria Eccleſiaſtica Traditiones pias. Satis erit quaſdam illarum huc traducere, per quas Breviarium Pa-

Accuratio Breviariorum Pariſienſis & Senonenſis.

riſienſe, quod ex accuratiſſimis & elaboratiſſimis operibus unum eſt; quæ prodierint a Critice inſtaurata, cenſebitur quædam ſtrues fabularum & opinionum vulgarium. Quæ quidem pronuncіata, ſi ad Eccleſiæ Senonenſis Breviarium exigeremus, non paucioribus ſane mendis, quam Pariſienſe, afficeretur: tametſi Opus hoc poſt ultimam Editionem anni 1702. plurimi fiat, probetur omnibus, atque ils, qui negotium idem aggreſſi ſunt, exemplar fuerit. Immo non deſunt Diœceſes aliæ, quæ illud, ad mores ſuos & inſtituta compoſitum, omnino adoptaverint. Quod ſi utrarumque nobiliſſimarum Breviaria Eccleſiarum, quæ in exemplum nobis proponimus, quæque principem locum obtinere poſſunt inter ea omnia, quæ extant ſuper hac re acuratiora & emendatiora, vitiis non vacant, ſi ad immoderatæ Critices tribunal expendantur: quid dicendum erit de Breviariis aliarum Eccleſiarum, quæ minore fortaſſe ſtudio confecta ſunt? Oportebit ne tot egregia opera ſupprimere, aut ex Criticorum noſtrorum præſcripto ea reſtituere? Non mihi videor videre, conſilium primum ſuſceptum iri; neque ſibi blandiri debent Critici fore, ut ſtent alteri, videlicet ut ipſorum monita, rejectis illis, quæ tradit Eccleſia, conſectentur. Hæc itaque præcepta ſunt, quibus Cenſores Breviariorum Pariſienſis & Senonenſis diligenter obtemperarunt in duabus poſtremis Librorum iſtorum Eccleſiaſticorum Editionibus. Facile poterimus judicium ferre ex ratione, quam qui Breviario Pariſienſi incubuerunt, non ſunt prætergreſſi.

In Epiſt. Paſtorali Archiep. Senonenſis 1725. Gall.

Si vero Eruditi homines, ad hoc reficiendum Breviarium delecti, minus compoſuiſſent operam ſuam ad ingenium Conciliorum, quæ de Librorum Eccleſiaſticorum correctione ſollicita fuerunt, & præ ceteris Tridentini; magiſque propendiſſent ad audienda Criticorum noſtrorum effata, non adhibuiſſent profecto quamplurimos Patrum Sermones, quibus uſi ſunt ad conficiendum Breviarium iſtud, quæque Officii Divini partem conſtituunt; adeoque ſuſtuliſſent, quæ narrat

Non prætermiſſæ ſunt Patrum Homiliæ

De S. Polycarpo S. Hieronymus.

De S. Ignatio Martyre idem Pater.

De Cathedra S. Petri Antiochiæ S. Innocentius I. Pontifex, S. Joannes Chryſoſtomus, & S. Gregorius Magnus.

De S. Marco S. Hieronymus.

De S. Joanne ante Portam Latinam S. Hieronymus.

De S. Irenæo Epiſcopo, & ſociis MM. S. Hieronymus, & S. Addo:

De commemoratione S. Pauli S. Joannes Chryſoſtomus.

De SS. Proceſſo & Martiniano S. Gregorius Papa.

De Octava Apoſtolorum Petri & Pauli S. Hieronymus.

De S. Apollinare Epiſcopo & Martyre S. Petrus Chryſologus.

De

De S. Hippolito Præfecto, deque S. Concordia & Sociis Romæ S. Gregorius Turonenſis.

De S. Matthæo Apoſtolo S. Hieronymus, S. Epiphanius, & S. Joannes Chryſoſtomus.

De S. Theela S. Ambroſius.

De S. Luca Evangeliſta S. Hieronymus.

De S. Simone & Juda S. Hieronymus, & S. Addo.

De S. Martino Epiſcopo Turonenſi S. Bernardus.

Poſtremo tuliſſent de medio Lectiones multorum aliorum Sanctorum; quæ a Scriptoribus Eccleſiaſticis, neque minus antiquis, neque minus illuſtribus, mutuarunt.

Cui autem veroſimile ſit, excellentis Breviarii hujus Cenſores illud conferturos fuiſſe tot Lectionibus horum Eccleſiæ Doctorum, ſi attendiſſent animum ad præceptum Criticis noſtris acceptiſſimum, videlicet: *flocci faciendа eſſe, quæ traduntur ab Autoribus, qui Factorum ætate, aut illi proxima non vixerunt*; *hoc eſt, in argumentis non habendum, niſi quod firmatur teſtimonio autoris primarii, ejuſdem, aut propioris ævi.*

Via hæc & ratio opponitur Regulis Criticorum *Launojus. Tillemontius. Thierius. Mabillonius. Baillet. Fleurius. Dupinus &c.*

Porro extra aleam eſt, neminem ex Patribus paullo ante memoratis haberi poſſe inſtar Autoris primarii, & ejuſdem ætatis; cum Facta, de quibus meminerunt, geſta ſint vel tribus, antequam ſcriberent, ſæculis, aliqua etiam quatuor, aut quinque. Non liquet pariter, eos alium appellaſſe, qui pro ipſis ſponderet. Propterea reliquum eſſet, eos adducere in ſuſpicionem, quod rumoribus vulgaribus pronius, quam par erat, aures præbuerint, nobiſque loco Factorum piorum fabulas venditaverint. Viri autem iſti evadere non potuiſſent notam, quod Breviarium Pariſienſe hiſtoriis fabuloſis repleverint. Contra vero qui ad judicandum præjudicatis opinionibus non dueuntur, eorum accurationem laudibus afficiunt; quod nimirum ea prætulerint, quæ apud Sanctos Patres reperierunt, aliis lucubrationibus, quæ Sanctorum hiſtoriam modo quodam referunt, a veritate abhorrente: abſque eo quod laborarent, utrum necne conſilium iſtud Criticorum recentiorum placitis reſpondeat.

Conſilium Cenſorum laude dignum.

Cadit quoque perincommode, rei hujus Curatores collegiſſe pretioſa fragmenta quorundam adjunctorum de Vita glorioſæ Matris Dei, quæ Patres Eccleſiæ poſteritati religioſe commendarunt: ſiquidem per Criticos noſtros, *ſi cognitio iſta nobis neceſſaria futura fuiſſet, illam Jeſus Chriſtus in Evangelio nobis reliquiſſet*. At prudentes Cenſores noſtri noncrediderunt, ullo ſe adſtringi pacto, ut vel huic, vel præcedenti regulæ parerent.

Qua de re licet Evangelium Deiparæ parentum nomina reticeat, perſuaſum habuerunt, ſtatuere poſſe Joannis Damaſceni fide, Beatæ hujus Virginis Patrem Joachimum, Matrem vero Annam appellatam fuiſſe. E-

Traditiones petitæ a S. Joe Damaſceno.

juſdem Sancti Doctoris teſtimonio exploratum nobis eſſe voluerunt, eandem Virginem infantulam in Templum oblatam fuiſſe, Virginitatemque Deo voviſſe; uti habet octava Lectio Officii Præſentationis, a S. Auguſtino depromta *.

Nihil pariter reperies in Novo Teſtamento de Corpore Mariæ a mortuis exeitato; & tamen religioni non duxerunt, in Breviario piam hanc Traditionem Dei Matri glorioſiſſimam inſerere, nobiſque S. Joannis Damaſceni **, & S. Bernardi voce illam committere. Quanquam autem verum eſſet, ut contendit Tillemontius, Lectiones ſcilicet a Damaſceno ſumtas, *ſive Reſſurrectionem non exprimere, ſive modo in primis obſcuro illam indicare*; conveniat certe neceſſe eſt, Cenſores dediſſe operam, ut Corpus Mariæ in Cœlum delatum oſtenderent, uti palam fecit eruditus Autor *Reſponſi ad Animadverſiones in Novum Breviarium Pariſienſe*; neque certius rei hujus momentum præbere poterant, quam cum non abſtulerunt Collectam *Veneranda &c.*, quæ abeſt ab ipſo Breviario Romano, & citra omnem dubitationem refert: *** *neo tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ &c.*

Tillem. notat. 15 in Deip. Virg.

pag. 122.

Non multum gefſerunt morem aliis Criticorum Regulis.

Denique ſi Breviarium Pariſienſe, necnon Senonenſe ad alias Criticorum noſtrorum Leges exigeremus, multa ſane in illis emergerent, quæ non poſſumus non parum certa judicare, atque inter errores innocentes, populique rumores amandare. Quo nanque pacto poſſemus *indicare originem, & authenticam veritatem probare*, ut poſtulant Critici noſtri, tot piarum hiſtoriarum, quarum fit mentio in duobus iſtis Breviariis, earumque a multis ſæculis obſtructi ſunt fontes, & quæ collectæ ſunt remotiſſimorum duntaxat autorum teſtimoniis, aut monumentis ignoti Scriptoris, atque ævi multo ſequioris?

Fieri non poteſt, ut ſervent ur ſuper hac re Criticæ præceptiones.

Secundum hæc ſi Cenſoribus noſtris neceſſum fuiſſet, nulli hiſtorico Facto in Breviario Pariſienſi locum dare, quod *certis & inconcuſſis probationibus non muniretur*, ut fert aliud Criticorum documentum, magnum

* *Jam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant illa verba, quæ ſibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit. Quomodo, inquit, fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quod profecto non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet.* Auguſt. l. de Virg. c. 3.

** *Hodie ſacra & animata arca Dei viventis, quæ ſuum in utero concepit Creatorem, requieſcit in Templo Domini.* S. Joann. Damaſc. Orat. 2. de Dorm. B. V. M. Non poſſumus autem verba hæc de ſola Virginis anima interpretari; neque enim fas eſt dicere, animam *animatam* eſſe, in utero concipere: ideoque germano ſenſu de corpore animæ adjecto intelliguntur.

*** „ Facile eſt, ait Tillemontius „ *notat.* 15. *in Deip.* alium *Colle&a* „ huic explicatum dare .... Ut „ ut tamen ſe res habeat, *Colle&a* „ communis Sanctæ Catharinæ aper„ te tradit, Angelos in Montem „ Sinai Corpus ejus tranſtuliſſe; ne„ que iccirco puto, cautum eſſe no„ bis de hoc dubitare .. Eccequantam loca hæc communia Criticis noſtris afferant opportunitatem!

qui-

quidem Lectionum numerum detrahere debuiſſent, quæ rebus conſtant probabilitatis fines non excedentibus. Non video pariter quid religioſior accuratio hac de re majus conari potuiſſet. Illud certe perſpicuum eſt, vires ingenii omnes, eruditionemque magis exquiſitam (ſumta Hiſtoria ea, qua nunc eſt, ratione, quibuſque munitur præſidiis) non poſſe Breviarium inſtaurare, hinc ſervando Lectiones, tum ab Actis Sanctorum, tum ab Autorum Operibus ductas, illinc omnia certis & ineluctabilibus argumentis confirmando. Nihilominus hac nos adſtringere conditione Critici volunt, cum pias Traditiones in medium proponimus. Sique caſte & integre eam non cuſtodiamus, jus eſſe ſibi putant, illas erroribus innocentibus, & vulgi erroribus adnumerare.

Quibus poſitis apparet, alterum inde conſequi neceſſario: ſive Criticorum noſtrorum principia longius tendere, quam par ſit; ſive Breviarium Pariſienſe poſt tot emendationes multis adhuc Factis hiſtoricis parum tutis, narrationibuſque a veritate alienis redundare: de quo homines aliqua imbuti eruditione nunquam convenient. Quod autem veritatis amore, omniumque confeſſione ſatendum eſt, non ſinit diſſimulare nos, Criticos iſtos præclaros piarum Traditionum propugnatoribus jugum in cervicem imponere velle, quod ne ipſi quidem ferre poſſent. Suæ nanque Leges, quas ipſi ante alios tranſgrediuntur, non modo immoderatæ ſunt, & ſtare nequeunt; ſed, quod alibi animadvertimus, ab imo diruunt Breviarium Romanum, Pariſienſe, Senonenſe, Martyrologia, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam univerſam. Quamobrem donec alias non ſanciant Leges, quibus ab erroribus vulgi Hiſtoriam Eccleſiaſticam expurgemus, nos ſine ulla dubitatione judicabimus, Breviarium Pariſienſe, ut in præſens refectum habemus, Opus eſſe dignum Eccleſia Urbis Regalis, eruditione inſuper, judicio limato, & accurata diligentia tot præſtantiſſimorum Sapientum, qui ſunt ex clarioribus ipſius ornamentis.

Inconmodæ conſecutiones, ſi Criticorum regulæ tenendæ eſſent.

Itaque tot iſtis Criticis animadverſionibus aliam liceat hic ſubtexere, quæ ad moralem doctrinam pertineat. Critici noſtri eruditi conſiderant prudentiſſime, veram pietatem ſitam eſſe in veritate & integritate Religionis, atque in iis implendis, quæ Tito & Timotheo Paulus cordi eſſe volebat, nimirum ut ineptas & aniles fabulas devitarent; obſervantiam precum veritate inniti debere, quoniam veros Legis Evangelicæ adoratores adorare oportet in ſpiritu & veritate; & proponenda eſſe pietati Fidelium argumenta digna præſtantia & pulchritudine Eccleſiæ, ejuſque ingenium referentia. Ad extremum extant, ajunt, quamplurima Acta ſincera Veterum Martyrum, *Legendæ* certæ, egregiæ in Autoribus Eccleſiaſticis Homiliæ, ut inde Lectiones Officii conficiamus; abſque eo quod confugere opus ſit ad fontes corruptos, qui aniles duntaxat

Animadverſio Moralis. Fleurius in Hiſt. Præf. Bailletus. Tillemontius.

xat narratiunculas afferunt, a precibus Eccleſiaſticis omnino remõvẽdas.

Criticí, dum orant, Regulis ipſi ſuis non obtemperant.

Quis egregia hæc Criticorum noſtrorum pronunciata non laudet? Enimvero, qui adeo religioſi ſunt, dum ſpeculantur, reſpondent ne ipſi ſibi, dum agunt? Orantes ne ſequuntur principia illa, quæ ſcribentes ſtatuerunt? Quid ſane reſponderent Launojus, Bailletus, Thierius, Tillemontius, aliique multi, ſi in vivis adhuc eſſent, quorum Criticæ faſtidioſa ſæpe Martyrologiorum fidelitatem, & Breviariorum accurationem aggreſſa eſt? Quid Fleurius etiam, Dupinus, aliique moroſi de falſis *Legendis* Critici dicerent, eum ipſis palam faceremus, Actorum incertorum, & Hiſtoriarum falſarum lectione altos illos & nutritos? Conſecutionem hanc inficiari non poterunt, quandiu ſtabunt principia ſua.

Eruditi noſtri non orant ex Spiritu Eccleſiæ, ſi audienda ſint illorum præcepta.

Eccleſiaſtici iſti perdocti in dies ſingulos vi præcepti Officium Divinum recitant, quo ritu a Diœceſi Pariſienſi, vel alia digeſtum eſt. Verum in omnibus Breviariis iſtis quot ſunt Lectiones, quæ ab Autoribus originariis, aut ejuſdem temporis non ſunt depromptæ? Nonne teſtimonio Patum multa de Virgine Maria poſita ſunt, quorum in Evangelio nullum veſtigium eſt? Hi precum libri oſtendunt ne fontes & vetuſtatem piarum omnium Traditionum, quæ Officii Divini partem componunt? Denique, ne omnes Criticorum noſtrorum regulas perſequamur, deprehendunt ne in Breviario Factum aliquod, quod certum & inconcuſſum non ſit?

Satis præſtant ingenio Eruditi iſti, ut adverſam partem tueri audeant. Interea ſi per eorum principia ad falſas narrationes ableganda ſunt Facta Eccleſiaſtica, & piæ Fidelium Traditiones, quæ regulis eorum repugnant: videmur non poſſe ſuſtinere aſſenſionem noſtram, ut inde colligamus, Eruditorum Eccleſiaſticorum pietati objectas eſſe res multas, quæ amplitudini, elegantiæ, & Spiritui Eccleſiæ conſentanea non ſunt. Quandoquidem in Breviario, quod ſingulis diebus Eccleſiaſticorum munere recitant, innumera ſunt, quæ parum tuta, & minus vera cenſere opus eſſet ex principiis, quæ inſtaurandæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ poſuerunt, utque illam ab erroribus innocentibus, vulgaribuſque Traditionibus expurgarent.

Ullus ne unquam Criticis noſtris ſuper hoc ſcrupulus injectus eſt? Si perſuaſum habent, Regularum ſuarum monito, *Legendas* Breviarii erratis plenas eſſe, quæ Eccleſiæ amplitudini non congruunt; quare Breviarium aliud non proferunt ipſi ritu ſuo, & ex pronunciatis ſibi probatis, ut ſe e turba, quæ per ipſos in Spiritu & veritate non orat, diſtinguant? Si, quod ſcribunt, ſentiunt, in Breviario ſcilicet Pariſienſi extare multa non modo dubia, ſed falſa & fabuloſa, videntur non poſſe illi alterutrum non præſtare: vel aliud Breviarium conficere, vel illud Eccleſiæ ſuæ minime recitare.

Quod

Quod ſi nihil de hoc animus ipſos redarguit, ut veroſimile ſit, qua de re principia ſtatuunt, quæ a fundamentis ſubvertunt Libros majori veneratione dignos, precibuſque Eccleſiaſticis deſignatos, quas in dies ſingulos recitare tenentur? O accurationem ſuperſtitioſam, & fortaſſe hactenus ignotam! Sollicitos eſſe, ne in Hiſtoria Eccleſiaſtica relinquant Factum ullum, quod Legibus, in Proœmiis aliquibus conſtitutis, non reſpondeat; atque in Officii recitatione, in qua Divini cultus ratio eſt, eaſdem *Legendas* adoptare, quæ in Libris proſcripſerunt.

§. III.

Collatio nonnullarum Legendarum Breviarii Pariſienſis cum Tabulis Criticis Bailleti.

PRæſtans iſte Vir immanem laborem ſubivit edendi Tractationem abſolutam de Geſtis Sanctorum, quæ aſſerit ſe depromſiſſe ex certiſſimis & magis authenticis, quæ in Hiſtoria extent, monumentis. Non circumſcripſit ſtudium ſuum in colligendis Actis Martyrum, & *Legendis* Sanctorum, quæ undique nota ſunt, tanquam certa & indubitata; aggreſſus eſt quoque dubia, & falſa, vel ſuppoſita internoſcere. In Tabulis præſertim Criticis, quas in univerſum habet loco monumentorum & probationum Operis ſui, judicium affert de qualibet re, ejuſque Autore. Eapropter præter Criticas Leges, Sapientibus omnibus communes, quibus ad expellendas ab Hiſtoria Eccleſiaſtica Traditiones pias uſi ſunt, peculiares ſuas condidit Bailletus, ut Actorum ad Geſta Sanctorum ſpectantium delectum faceret. Labor Bailleti in Geſtis Sanctorum. Baill. in adm.

Quo autem compertum Lectori ſit, Leges iſtas minus accuratas eſſe; quippe, ut plurimum, e locis communibus, & dictis generalibus deductas; quamque exceſſerit Bailletus, & rectæ moderationis fines præterierit; mihi viſus ſum operæ pretium facere, ſi conferrem regulas ſuas cum quibuſdam *Legendis*, quæ ad hanc diem in Breviario Pariſienſi recitantur. Hinc ponam nomen Sancti, diemque quo colitur, & locum unde *Legenda* depromta eſt. Illinc ſimpliciter afferam judicium Bailleti de monumento illo, quod ad Lectiones conficiendas adhibitum eſt.

Bre-

	Breviarium Parisiense.	*Tabula Critica Bailleti.*
9. Eutropius.	Die xxx. Aprilis. S. Eutropii Episcopi & M. Lectio est, in qua breviter Sancti Gesta rediguntur in pauca.	Nihil habemus de S. Eutropio, quod certum sit, ne illis exceptis, quæ de ipso retulit S. Gregorius Turonensis, præter ea quæ ad cultum & Reliquias pertinent.
8. Honoratus.	Die xvi. Maii. S. Honorati Episcopi Ambianensis. Lectionem posuerunt, ut species est, ex Actis ejus decerptam.	Acta S. Honorati autoritate carent, videnturque conscripta non fuisse, nisi quinque aut sex post ejus interitum ævis. Mendis item plena sunt.
SS. Agoardus & Agilbertus.	Die xxv. Junii. Ecclesia Parisiensis Officio S. Joannis Baptistæ adnectit commemorationem SS. Agoardi & Agliberti MM. Nona Lectio de Sanctis istis agens, ab eorum Actis petita est.	Acta Sanctorum istorum a Surio edita nullo sunt pondere; quippe non vetusta, & pauca Facta complectentia, eaque incertissima, & maxime suspiciosa.
S. Turiasus.	Die xiii. Julii. S. Turiasi Episcopi in Britannia. Secunda & tertia Lectio quædam narrant mira Facta, ab ejus Actis deducta.	Sancti hujus Vita, a quodam MS. *Abbatiæ* S. Germani Pratensis exarata, ab ignoto homine descripta, non magni momenti est; & ab exitu Sancti illius Viri trecentis annis confecta.
6. Praxedes.	Die xxi. Julii celebratur Festum S. Victoris; sed apposita est nona Lectio pro S. Praxede, ex ejus Actis depromta.	Acta Sanctæ Praxedis Virginis Romanæ aut falsa, aut supposititia sunt.
S. Jacobus Apostolus.	Die xxv. Julii. S. Jacobi Majoris, Apostoli. In quinta Officii Lectione extant hæc verba: *Corpus ejus Compostellam translatum fuisse tradunt Addo & Usuardus.*	Nemo, inquit Bailletus, nos ad hanc diem in Apostoli hujus Vita docere potuit, unde & quo tempore Compostellam translatum sit: neque item ullum superest monumentum, quod tanti fiat, ut persuadere nobis possit, Corpus hoc S. Jacobi potius, quam alterius Sancti fuisse.
S. Cucuphatius.	Eadem die xxv. Julii colitur commemoratio S. Cucuphatii Martyris in Hispania. Nona Lectio educitur	Acta S. Cucuphatii, conscripta ix. sæculo a quodam Monacho S. Dionysii, nulla florent autoritate. Au-

e Mar-

e Martyrologio Addonis, in quo exequitur dira tormenta, quæ paſſus fuit Sanctus hic, & pertenta nonnulla, quæ ad ſolandum ſervum ſuum patravit Deus. Diem obiit anno 304.

tor autem audiendus non eſt, præterquam cum teſtatur de Translatione Reliquiarum ejus. Addo vero & Uſuardus hæc Acta legerunt, & ſecuti ſunt.

Die v. Auguſti. S. Ivonis Præsb. & M. Diœceſis Pariſienſis. In Lectione ducta ab illius Actis mentio fit de prædicatione & Martyrio ipſius. Sanctus hic vivebat tempore Sancti Dionyſii primi Epiſcopi Pariſienſis.

Acta Sancti hujus, quæ IX. ſæculo, aut X. exordiente antiquiora non ſunt, nihili ſiunt, & mendaciis redundant. Atque in Vita Sancti ſubdit Bailletus: Hiſtoria Martyrii Sancti Ivonis magis ignota nobis eſt, quam Vita S. Mengii Chabillonenſis; quodque ſcripſerunt pro ipſius illuſtratione multo magis recentius eſt, & a veri ſimilitudine remotius. S. Ivo.

Die XXIV. Septembris SS. Andochii, Thyrſi, & Felicis MM. Officii Lectio ex Actis ipſorum compoſita fuit.

Acta Sanctorum iſtorum non ſunt authentica, nihilque certi in ſe continent; non magis atque Acta S. Benigni Divionenſis, aliorumque, in quibus de his ſermo fit. SS. Andochius Thyrſus, & Felix MM.

Die XXV. Septembris fit Officium S. Firmini, primi Epiſcopi Ambianenſis & M. Lectio ab Actis illius originem habet.

Acta S. Firmini habentur ſatis gravia, ſed minoris autoritatis. Prolixi ſermones, quos habent qui in illis loquuntur, ſatis ſunt, ut in ſuſpicionem evadant. Præterea ſingularia quoque adjuncta alia in illis reperiuntur, parum fide digna. S. Firminus.

Die IX. Octobris. Sancti Dionyſii Apoſtoli & primi Epiſcopi Pariſienſis, & ſociorum MM. Tres Lectiones ſecundi Nocturni ab Actis decerptæ ſunt.

Acta hæc exigua ſunt auctoritate, quippe ex Traditionibus & rumoribus vulgi confecta. Addit quoque Bailletus in Vita Sanctorum iſtorum: Autor Actorum iſtorum proditur fuiſſe a Sancti noſtri ætate longe remotus, & ipſius confeſſione Monumentis omnibus, Libriſque vetuſtis caruiſſe; & iis duntaxat, quæ fando audierat, Hiſtoriam ſuam muniviſſe. S. Dionyſius primus Epiſcopus Pariſienſis.

S. Clemens Papa & Mart.

Die XXIII. Novembris. S. Clementis Papæ & Mart. Tertia Lectio secundi Nocturni derivata est ab Adone, & reperitur in ejus Libro de Festis Apostolorum. Differit de loco & genere Martyrii S. Clementis; atque item animadvertit, Trajanum misisse Centurionem, qui eum morte mulctaret. Porro Addo, quæ refert, ex Actis Sancti Clementis mutuavit.

Acta S. Clementis gravitatis & castæ dictionis indolem quandam habent; neque tamen minus fabulosa esse censentur. Nullo numero sunt. In Vita S. Clementis Bailletus ait, Historiam nihil certi servasse nobis de Actis S. Clementis, & de Adjunctis mortis ejus. Caremus etiam solido argumento de Martyrio ipsius .... Fatendum est, nihil plane scire nos de genere mortis Sancti Clementis.

S Lucia Virgo & Martyr.

Die XIII. Decembris. S. Luciæ Virginis & M. Tres Lectiones secundi Nocturni comparârunt a Sancto Aldhelmo Episcopo Sorbonensi, *de Laud. Virg. c.* 23.

Acta S. hujus videntur composita, vel certe, sexto sæculo; quoniam ea legerat S. Aldhelmus, iisque usus fuerat; sed nihil meliora & firmiora sunt. Complectuntur Facta aperte falsa, & alia multa nullius penitus probabilitatis.

Habes judicium, quod fert Bailletus de *Legendis* istis, quæ per Autores sapientes Breviarii Parisiensis dignæ habitæ sunt, ut partem Officii Divini constituerent. Nihilo secius nullo negotio ostendere possemus, eas satis authenticas esse & firmatas, ut collocari possent in Libro hoc, Ecclesiæ usui designato; quandoquidem necessum non est, nihil in illum inferre, quod certissimum non sit, & nulli errori obnoxium. Ecclesia Romana, neque aliæ particulares Ecclesiæ nunquam se in eo implicarunt, ut nihil ponerent in Calendariis, Martyrologiis, & Breviariis, quod non esset extra omnem dubitationem, tanquam Demonstratio Geometrica. Præterquamquod id fieri nequaquam potest, ut res modo se habent; illud pariter in causa est, non esse in illis negotium de Fide & moribus, sed de solis Factis, humana ratione enarratis. Oportebit sane, his se finibus circumscribere, donec Breviarium Sanctorum Legendas continebit. Si nanque exulare inde deberent quæcunque certa non afficiuntur veritate, & quæ dubium aliquod pati possunt; non video, anne plures supererent, de quibus promtum non haberemus æquas adeo difficultates movere, ac movit Bailletus, quippe quæ locis duntaxat communibus innituntur.

Concilia, Patres, Episcopi, & Ecclesia universa persuasum habuerunt semper a prioribus Ævis, cum cæperunt in Fidelium conventibus legere Acta Martyrum & Sanctorum, aut ex illis partem Officii Divini aut

Missæ

Miſſæ conſecerunt, ſatis eſſe in hujuſmodi rerum generibus inde propulſare, quæ ſabulam olerent, quæ manifeſto falſa eſſent, aut contumelioſa, aut ſuperſtitioſa; cumque indubitata deficerent, iis contentos eſſe, quæ ſatis confirmata fuiſſent, & ab æqua Traditione manaſſent: dummodo uſus habere poſſent in fovenda pietate Fidelium exemplo Sanctorum. Quod conſilium fuit propoſitum initio iis, qui Acta Martyrum & Geſta Sanctorum ad Officium Divinum efficiendum adhibuerunt.

§. IV.

Tollitur de medio difficultas in Legendas dubias fortaſſe movenda.

NOnne dignius eſſet gravitate Eccleſiæ & amplitudine, nihil in precibus ſuis collocare, quod e fontibus purioribus non fluxerit; abſque eo quod res depromerent a Legendis dubiis, ſuſpicioſis, iiſdemque falſis, per Regulas ſapientum ætatis noſtræ Criticorum? Neceſſum itaque foret, inquient, novam rurſus Breviarii emendationem ex his præceptis potius adornare, quam alias ab Eccleſia factas ſectari, quæ ſatis non videntur accuratæ, ut illarum ope Libri Eccleſiaſtici vitiis multis expurgentur, quæ poſt tot inſtaurationes adhuc in illis notantur.

Quæ in Breviariis magis dubia videantur.

Quod videri poteſt minus in Breviariis accuratum, plerumque ad Sanctos ſpectat, qui ab Eccleſiis particularibus coluntur. Sæpe nulla extat alia de Geſtis & miris eorum Factis notitia, quam quæ vel Regionis Traditio ſervavit, vel ignoti Autoris ſcripta reliquerunt. Quod ſi ex ſeveræ Critices monitis Legendas, ab his fontibus manantes, in trutina ponere luberet, difficile admodum eſſet ſecus facere, quin proſcriberentur. Nihilo ſecius quoniam æquum eſt, memoriam Sanctorum ſervare, qui Eccleſiarum iſtarum fundamenta jecerunt, qui operam ſuam locarunt, ut Fidem & Religionem in illis cuſtodirent, & heroicarum virtutum ſuarum exercitatione optimum ipſis exemplum præberent; non poſſumus, quin aliqua ſaltem ratione *Legendas* iſtas, quamquam dubiæ eſſent, reſervemus.

Quibus argumentis ſervari poſſint *Legendæ* dubiæ.

Primo, quandiu deerunt rationes concluſæ de ipſarum falſitate & ſuppoſitione, nihilque certius & magis authenticum emerget. Secundo loco quando ab immemorabili tempore ſedem habuerunt in vetuſtis Breviariis Eccleſiarum iſtarum. Denique quoties nihil in ſe continent, niſi rectum & pium. Quapropter cum *Legendis* iſtis accedat probabilitas aliqua, Traditione confirmata & uſu tot ſæculorum, ſuffragio inſuper Epiſcoporum & Sapientum, qui eas ſive in Breviarium intulerunt, ſive in illo ſervarunt; ſatis autoritatis habent, ut Officii Divini partem con-

ſtituant : adeoque ſupprimendæ non ſunt, aſſumta ratione, quòd immoderatæ Critices principiis non reſpondeant, & certam omnino veritatem non attingant. Quænam *Legendæ* in Breviario collocari poſſent, ſi conditionibus iſtis ſtandum eſſet?

Quare neque probabiliores ipſarum loco ponendæ ſunt.

Quid quod poſtulare videtur rectus ordo, ne vetuſtæ Legendæ auferrentur, quanquam probabiliores etiam reperire poſſemus : 1. Quoniam cum Præſules & Litterati viri, operam dantes emendationibus iſtis, ſua ſinguli peculiari intelligentia ducantur, & variis quoque præjudiciis, & judicio rerum diſſimili; certo fiet, poſtremos mutationem ſuſcepturos eorum, tanquam rerum ſuſpicioſarum, quæ Deceſſoribus ſuis omnibus numeris vero ſimiliæ & authenticæ viſæ fuerant, ut eis locum in Breviario darent. Raro admodum probantur nobis cogitata aliorum; & unoquoque ſtudio accenſo poſteris relinquendi aliquod eruditionis ſuæ monumentum, tot fient novæ Breviarii inſtaurationes, vel ut melius dicamus, mutationes, quot Editiones. Quare ubi cæptum erit in id genus Libris mutare, emendare, detrahere, aut addere, quantumvis ad faſtigium ſummum eos deduxiſſe exiſtiment, qui ſubſequentur illos, exemplum ſecuti, eos imitari non dubitabunt; & contendent, aliquid adhuc Breviario deeſſe, poſſe illud accuratius perfici, neque ad novæ ipſorum Critices regulas omnino caſtigatum eſſe.

Argumentum primum.

Argumentum alterum.

2. Studioſi homines modo ſentiunt unanimes, Tractatum de Actis ſinceris Veterum Martyrum, a Thierio elucubratum, habendum eſſe, veluti eorum omnium collectionem, quæ poſt Scripturas Sanctas extant in Eccleſia Dei pretioſiora. Hæc ſunt Archetypa prima, partim e tabulariis depromta, partim ex oculatis teſtibus conflata, quædam a priſco aliquo Patre, aut alio magni nominis autore profecta, qui parum a re diſtat, de qua agitur; ut demum nihil ſuperſit ſuper his rebus certius, vel magis authenticum, & confirmatum. Nihilo tamen minus ſi in conſilium vocemus præceptiones Criticas Arnaldi, Tillemontii, Bailleti, Dupini; & Patrum Menardi, Bollandi, Alexandri, aliorumque doctiſſimorum; vix reperire ullum erit ex his vetuſtis monumentis, quod non ſit ſuſpicioſum, dubium, falſum, aut ſuppoſititium. Quidam ajunt, inter hæc Acta non deeſſe aliqua, quæ fabulam magis quam veritatem redoleant, abſurdiſque multis, immo etiam ſtultitiis conſtare. Id apertum eſſe poterit ex alio loco, in quo retuli Criticorum iſtorum ſcrupulos ſuper Collectione Ruinartiana.

In Animad. in Regulas & Uſum Crit. T. 1. Diſſ. 4. art. 3. & 5.

Quod exemplum efficit nobis, pleraſque *Legendas* Breviariorum, emendatiſſimas licet & accuratiſſimas, nulla certe ratione ad ſinceritatem & autoritatem Actorum Martyrum, de quibus hactenus, accedere. Porro ſi pretioſa hæc fragmenta, ad Criticorum enunciationes exacta, pronun-

Eunclarentur esse erroribus plena, minus ingenua, dubia, & nonnulla etiam supposititia, & fabulis conserta; cui mirum videatur, *Legendas* Breviariorum Parisiensis, Senonensis, aliarumque Ecclesiarum, ante tribunal severæ Critices Bailletianæ, & nonnullorum Sapientum oblatas, sententiam adversam ferre, tanquam suspicios as, dubias, easdemque falsas?

Apparet ne, immoderatam Criticem istam moviſſe Epiſcopos in emendatione Breviariorum ſuorum, ut inde delerent *Legendas* Sanctorum, quæ in Collectione Ruinartiana ſedem habent; quod ſcilicet aliquibus Criticis non probentur? Viri fide ingenua res pendentes, minori ne in pretio habent fragmenta iſta, propterea quod non ſapiant Litteratis quibuſdam, nimium ſuper hac re faſtidioſis? Nihil itaque magis æquum eſt, aut mutare, aut tollere *Legendas* Breviariorum Pariſienſis & Senonenſis &c. ea tantum ratione, quod illas Critice recentior adoriatur, aut in ipſas particulæ quædam Hiſtoriarum incertarum irrepſerint. *Critice nihil nocet Actis ſinceris Ruinartii.*

3. Expediret quoque fortaſſe, nihil, præterquam ſumma urgente neceſſitate, in Breviario innovare, verentes, ne animo refieiendi uſquequaque omnia accuratione nimium ſuperſtitioſa, ita Libros hoſce Eccleſiaſticos deformemus, ut alii plane videantur: quod mens certe non tulit Conciliorum, cum de illis reformandis Decretum fecerunt. Hæc jactata vitia, quæ Editorum diligentiam fugerunt, atque ipſæ *Legendæ*, quæ minus tutæ ſeverioriori Critice videntur, notæ quædam ſunt ſimplicitatis Chriſtianæ, quæ magis Deo placebat, quam ſumma Orationis Academieæ accuratio. Sunt hæc venerabiles rugæ, digniores veneratione, & magis auguſtæ, quam quidquid emendatio ſcrupuloſa & caſtigata inducere poſſet. Denique niſi limitibus adſtringerentur perpetuæ iſtæ correctiones, Breviaria priſcarum Eccleſiarum nihil venerandæ hujus antiquitatis præter nomen ſervarent, quamquam ipſa plurimo ſit ipſis ornamento. Accomodare certe particularibus Eccleſiis poſſumus, quæ de Univerſali tradit D. Auguſtinus: *Quæ conſuetudine Eccleſiæ roborata ſunt, haud convellenda eſſe.* *Argumentum tertium.* *Aug. Ep. 118. & 119. ad Januar.*

Quo S. Auguſtini dicto audientes celeberrimæ Chriſtianæ Religionis Eccleſiæ, uti Lateranenſis, Romana S. Petri, Mediolanenſis; Hiſpanicæ Toletana, nimirum, & Salmantina; plures etiam in Galliis, religioſe ſervarunt Officia ſua, poſtquam ſuſtulerunt ab illis quiquid irrepere in ipſa potuerat aperte falſum aut contumelioſum; nec novis iſtis emendationibus attenderunt, multoque minus laborarunt, nonne in ipſis aliquid minus accuratum, ſive adverſus Poeticas Leges ſuperſulſſet: hoc pacto anteferentes levia menda, quippe, ut ita dicam, longa ſæculorum conſecutione conſecrata, toti huic poſtremorum temporum accurationi. *Eccleſiæ veteres ſervarunt Officia ſua.*

Erra-

Errata hæc, ſi hoc vocanda ſunt nomine, monumenta ſunt indubitata; & probationes extantes vetuſtatis Eccleſiarum iſtarum, quæ ſplendorem illarum & amplitudinem magis oſtendunt, quam Breviaria omnia diligentiſſime retractata, utpote ab ipſis cuncta antiquitatis Officiorum ſuorum pretioſa fragmenta auferentia.

Quartum argumentum.

Poſtremo licet in Breviario aliquid revera eſſet minus rectum, quodque non ſatis Criticorum inſtitutionibus reſponderet, non prodeſſet illud reficere, niſi commodum aliquod conſequeretur. Porro quod emolumentum parit, ſuprimere *Legendam* aliquam, quæ ſimilitudine veri non caret, ut aliam in ejus locum ſufficias, vel Patris alicujus Homiliam? Excitabimur ne magis in Officio recitando ad pietatem? animus noſter magis ne Deo adhærebit? Si ſpes eſſet fore, ut mutatio iſta ſummum hunc fructum nobis acquireret, non poſſet ſatis laudibus celebrari. At quis de hoc ſpondebit? Propterea incertum eſt commodum hinc comparandum. Atqui, tametſi proficere hoc pacto poſſemus, nos docet Divus Auguſtinus, præſtare magis, vetuſtis conſuetudinibus hærere; quandoquidem, intercedat licet in his lucrum aliquod, perturbationem certe novitate ſua excitabit: *Ipſa quoque mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Cum autem utilis non eſt mutatio iſta, uti non eſſet in *Legendarum* ſuppreſſione, tum ſubjungit S. Auguſtinus: *Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt.*

Aug. ibid.

Ibid.

Mutandæ non ſunt Legendæ antiquæ.

Quibus poſitis animadverſionibus, colligere fortaſſe poſſemus, quanquam extent in Breviariis Pariſienſi, & aliarum Eccleſiarum *Legendæ*, ut videntur, dubiæ, eædemque confictæ, ſecundum regulas Bailletianas, inutile prorſus futurum, eas ſupprimere, aut mutare in nova Editione, non ſolum propter incommoda a nobis allata; ſed etiam quia ſtudioſi homines multi exiſtimarunt, eas ſatis authenticas eſſe, ut ſecundum inſtituta ab Eccleſia & Conciliis poſita, in Breviario ſedem haberent. Verum ut omnino perſuaſum habeamus, pronunciata Criticorum iſtorum nimium eſſe immoderata & inepta, ut per illa Breviaria hæc inſtauremus; nihil eſt reliquum, niſi eadem conferre cum illis, quibus Eccleſia uſa eſt. Quod in ſequenti §. facturi ſumus.

Proteſtatio Autoris.

Spero equidem, non moleſte laturum quempiam, me huc Animadverſiones iſtas attuliſſe, ut cuidam mihi propoſitæ dubitationi reſponderem, nimirum: an neceſſum foret, Breviaria ſecundum Regulas criticas Bailleti, aliorumque Sapientum reſtituere; quoniam inficiari non poſſumus, in illis reperiri multa ad ipſorum principia non ſatis redacta? Ecce tibi articuli hujus argumentum, quem lubenti prorſus animo iis ſubmitto, ad quos pertinet Officia Eccleſiaſtica inſtaurare.

§. V. *Cum*

§. V.

Cum Criticorum viis conferuntur illæ, quas Eccleſia ingreſſa eſt, ut a Libris Eccleſiaſticis vulgi errores exterminaret.

Quid præſtiterit Eccleſia, ut fabulas a Libris Eccleſiaſticis arceret.

ANte omnia illud oportet memoria repetere, tum Eccleſiam, tum illuſtres Criticos noſtros idem conſilium habuiſſe; ſed in viis tantummodo ad illud perducentibus diſſerre. Eccleſia, Concilia, Præſules, & Autores Eccleſiaſtici, qui aggreſſi ſunt ad Hiſtorias fabuloſas & pias dignoſcendas, necnon ad propulſandas illas a Libris Eccleſiaſticis, iſtaſque bono Fidelium exemplo retinendas; ſtatim dederunt operam, ut Notarios ſive Scribas deligerent, quibus cura eſſet Acta Martyrum colligendi, & accuratum eorum indicem faciendi, qui pro Chriſto Jeſu ſanguinem fuderant. Deinde cum mendaces homines in medium produxerint Libros multos nomine Apoſtolorum, ſpuriis Sanctorum *Legendis* conflatos, ſive germanos depravaverint, Eccleſia Decretorum ſuorum fulmine percuſſit partus hoſce omnes haud legitimos, & ictu veluti uno ſuſtulit innumeras fabulas & Traditiones populorum de Vita Jeſu Criſti, de Apoſtolis, Martyribus, aliiſque Sanctis.

Suppreſſit Acta Sanctorum falſa.

Heterodoxi quoque homines cum propagaſſent multas haud veras Sanctorum exuvias, ſumta opportunitate a Translationibus, & corporum Sanctorum ſectionibus, quæ in cauſſa erant, ut incertæ nonnunquam partieulæ Chriſtianorum venerationi proponerentur: ſtatuit Eccleſia, non eſſe recipiendas, niſi præhabito ignis experimento, aut aliquo miro Facto, vel viri fide digni teſtimonio. Verum ut cohiberet innumeros pene vulgi rumores de Sanctis hominibus, eorumque portentis, cavit, ne quiſquam impoſterum Divorum publicis honoribus donaretur, qui antea in ipſorum album rite relatus non fuiſſet. Temporibus inſequentibus, quo certior effici poſſet de Sanctitate eorum, qui publica veneratione colendi erant, aliæ additæ priori ſunt Solemnitates: nimirum Beatum hominem illum decernere. Poſtremo cum calumniatorum malitia, ignorantia, aut immoderatum hominum falſo piorum ſtudium quamplurimos innocentes errores in *Legendas* Martyrum & Sanctorum induxiſſent: Concilia atque Epiſcopi viam meliorem non invenerunt, qua tot malis occurrerent, niſi jubere, ut delerentur e Libris Eccleſiaſticis omnia, quæ gravitatem Eccleſiæ, & Hiſtoriæ veritatem non decebant.

Mendaces Reliquias rejecit.

Cautiones pro dignoſcendis Viris Sanctis, & Libris Eccleſiaſticis expurgandis.

Critici contra noſtrorum temporum perſuaſum habuerunt, Conciliorum Decreta, Epiſcoporum ſanctiones, & prudentem Eccleſiæ diligentiam, fuiſſe remedia tantummodo extrinſecus appoſita, & morbi radicem

Conſilium Criticorum.

non

non attingentia. Ea de re exiſtimarunt, confugiendum eſſe ad magnæ ipſorum Artis præceptiones, ut a fundamentis commoverentur Traditiones piæ, quas putant ipſi, fontes fuiſſe omnium vulgarium ſermonum & ſuperſtitioſorum, qui apud rudem & ſimplicem plebem diſperſi ſunt. Adeoque placuit Criticis noſtris, primi principii loco ponere: nullam recipiendam eſſe Traditionem piam, quæ a primario & Archetypo, ut ita dicam, Autore non deſcenderet; cujus non pateret fons & origo; & certæ & indubitatæ rationes non afferentur. Ut autem ſtirpitus eradicarent haſce omnes inſtitutiones, non præterierunt, in ſuſpicionem adducere nonnullos Eccleſiæ Patres, qui fuerunt veluti canales, per quos ad nos confluxere; utque non admitterent, quæ ad Deiparam Virginem attinent, ſe coercuerunt, ut pleraque abjicerent, quæ Scripturæ non memorarunt. Denique nihil eis excidit animo, quibus a Sanctarum obſervationum opinione populos dimovere poſſent; deque illarum dignitate derogarent, eas eum fabuloſis narrationibus permiſcendo.

Regulæ ab ipſis conflictæ &c.

Fructus ab Eccleſiæ regulis parti.

Verum enim vero quos attulerunt fructus hinc prudens Eccleſiæ cura, illine eruditæ Criticorum regulæ quoad errores populares? 1. Illa Eccleſiam a falſis Martyribus cuſtodivit. 2. De Fidelium manibus detraxit innumeros Libros pravos, ſuppoſitos, vel corruptos. 3. Ejus ope falſæ Reliquiæ ſecretæ ſunt, & veri Sancti cogniti & perſpecti. 4. Expurgati ſunt Libri, Eccleſiæ uſibus addicti, uti Calendaria, Martyrologia, Antiphonaria, & Breviaria a quamplurimis mendis, puerilibus Traditionibus, falſis Miraculis, & erroribus innocentibus. 5. Per haſce prudentes Conſtitutiones error a populis ſublatus eſt, quo hauſerant mores multos ſuperſtitioſos, opiniones falſas, & Hiſtorias apocryphas. Denique id, quod præſtiterunt Concilia & Epiſcopi, eo rectius & prudentius videtur actum, quo dum hæc Eccleſiæ commoda attulerunt, nullam tamen inde maciem aut labem paſſa eſt: non modo detractum fuit, quod inutile aut pravum erat, ſed ſervatæ ſunt ſanctæ inſtitutiones & Traditiones piæ, quæ Fidelium pietatem fovere poterant. Quod ſi, Eccleſia invita & inſciente, irrepſerunt in Libros, ejus uſui deſignatos, falſa Portenta, mendaces Reliquiæ, & Hiſtoriæ minus veræ; vel ſi habitus aliquandiu honor eſt nequam hominibus, quique illum non mercantur; non eſt vitium hoc ſapienti matri noſtræ crimini dandum, ſed iis, qui vel ob ſimplicitatem, vel falſum ardorem, aut malitiam, aut exiguam perſpicacitatem minus adhæſerunt ſemitæ, a Conciliis & Patribus indicatæ, quam ſubobſcuris luminibus ſuis. De rebus pronunciarunt potius ex documentis pietatis immoderatæ, quam ex modis ab Eccleſia præſcriptis: & ratum habeo, neminem fortaſſe exemplum ullum afferre poſſe, quo vel falſum aliquod oſtentum, vel Reliquia ſuppoſititia, vel mos

Quæ vitia Eccleſiæ tribuenda non ſint.

pra-

pravus, vel conſuetudo ſuperſtitioſa, Traditio mendax pro vero Miraculo, Reliquia certa, ſancto more, & pia Traditione habita ſint, quoties Leges ab Eccleſia conditas obſervarunt, quaſque Concilia ediderunt, & Patres Epiſcopique ſignificarunt.

Non vacat hic repetere, Criticos rem nimium intendentes; omnia Regularum ſuarum uſu ſubvertiſſe. 1. Permiſcent Traditiones pias cum erroribus populorum, & cogimur bonum frumentum cum zizania projicere. 2. Concutiunt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ partem. 3. Se ſubducunt a veneratione Patribus Eccleſiæ & colendæ antiquitati præſtanda, quæ multas inſtitutiones ſanctas ad nos traduxit. 4. Opus eſt confiteri, detrahendam eſſe ex Operibus Criticorum noſtrorum non levem partem, quippe fabuloſam, & nullius autoritatis. 5. Nullum eſt ſive Martyrologium, ſive Breviarium, ſive Volumen aliud ab Eccleſia adhibitum, quod ſaltem ex parte ſubſiſtere poſſit, ſi Critices adeo ſeveræ legibus ſubmittatur. Hæc denique Critice perturbat ſpecies innumeras, quæ indictæ animo nobis ſunt cum ipſis Religionis principiis; homines item pios, & ingenia ipſa, non dixerim, populi rudis & pii, ſed Doctorum quoque & ſapientum. Conſecutiones incommodæ Regularum Criticarum.

Non eſt ſane ſilentio prætereundum, duo alia quoque afferre emolumenta modos ab Eccleſia adhibitos, quæ non poterunt Critici ſuis legibus accommodare. Primum eſt, principia, quibus cautum ſibi Eccleſia voluit eſſe ab erroribus vulgi, revera adhibita fuiſſe, & accurate ſervata: nimirum non modo ipſam ſcita multa egregia, & Decreta prudenter tuliſſe, ſed operam quoque dediſſe, ut illa rebus ipſis applicaret, quando opus fuit conſilium capere ſuper iis, quæ apud ipſam in trutina verſabantur. Atqui via & ratio Criticorum ſatis ſuperque ab iſta differt. In Proœmiis & Admonitionibus condunt revera Leges egregias, at in ipſo contextu Operum illarum obliviſcuntur, eas non ſervant, neque item ſervare poſſent, niſi partus ipſi ſuos jugularent. Quare igitur alios cogere volunt, ut ab iis non deſciſcant? Appellant ſtatim ad regulas ſuas, quoties incidit ſermo de piis Traditionibus; cum vero eas ipſi afferunt, uti ſane multas in ipſorum Operibus legimus, tum putant privilegio quodam affectos ſe eſſe, ut ab illis recedere poſſint. Se ipſi ſubtrahunt a ſuarum Legum cuſtodia, & univerſam ab illis flagitant, non qui producunt Traditiones pias, utpote quæ tot Librorum ſuorum paginas implent, ſed ab iis, qui ſibi nimium creduli habentur, & nuncupantur. Quæ commoda afferant Regulæ Eccleſiæ, non autem Regulæ Criticorum. Commodum primum.

Secundum commodum, quod pariunt juſſa Eccleſiæ, & modi ab ipſa adhibiti, ſitum eſt in fructibus copioſis, quos ſemper, & præſenti quoque tempore colligit. Ne longius exempla quæramus, nonne compertum eſt, Regularum illarum cuſtodia, quas ſibi propoſuerunt Emendatores Breviarii Pariſienſis, ſervata eſſe hiſtorica Facta, quæ in ipſo ſedem ha- Alterum commodum.

bere merebantur, & expulſas fuiſſe lucubrationes multas, in quibus non deerant aut falſa, aut injurioſa, vel ſuppoſititia, vel interpolata, *quæque omnino vetuſtis Eccleſiæ ſanctionibus non reſpondebant. Præſtiterunt venerationem ſummam Sanctis Patribus debitam, & Fidelibus, Eccleſiaſticiſque præbuerunt ſpeciem veram, quam de Sanctis Doctoribus imprimere debent animo; immo de iis quoque, quos eruditi noſtri Critici tanquam nimium credulos divulgarunt, quorumque teſtimonium ipſis ſatis leve videbatur, ut piam aliquam Traditionem confirmare poſſet: Quandoquidem eorum autoritate uſi ſunt, ut multas ſanctas inſtitutiones ſtatuerent, quibus non ſapit Criticorum iſtorum palatus. Maxime vero in id incubuerunt, ut ad Breviarii Romani normam ſe componerent, ipſumque, ut fieri poterat, ſequerentur: idemque fecerunt in Martyrologiis. Poſtremo loco Fidelibus enarrantur plurimæ Traditiones piæ & Miracula, quæ ſolidis, ut res patitur, argumentis muniuntur.

Autor Reſponſi ad Animadverſ. in Novum Breviar. Pariſ. Gall.

Non nos latet, jactare Criticos noſtros, ſe maxima Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ emolumenta attuliſſe; & ſuorum præceptorum uſu, ſe plura Facta illuſtraſſe, multorum Operum fallaciam oſtendiſſe, & mendacia Facta multa probaſſe; abſque eo quod alia commoda ſuæ præclaræ Arti tributa referamus. Quod alias ſuper hac re ſatis aperte enunciavi, idem ſatis erit huc addere: paucis inire nos poſſe rationem novorum fructuum, quos a ſæculo deinceps attulit Critice; ſique excipias pauca hiſtorica Facta, quæ videntur omnino exploſa; alia ſane, in quæ ſtudioſe feruntur, adhuc a magno ſapientum Virorum numero propugnantur, qui primas in Republica Litteraria obtinent ſedes. Verum quanquam plura eſſent commoda, a Critices præſidio comparata, nunquam certe numerum excedere poterunt detrimentorum, quæ ſequuntur principia ſua: quandiu mordicus contendent, ut reipſa ſerventur, & ſtrictim cuilibet de Hiſtoria Eccleſiaſtica quæſtioni accommodentur.

Quæ jactent Critici emolumenta in rem Hiſtoricam importaſſe.

* Hujuſmodi eſſe poſſent Hiſtoria S. Rieuli; Fraternitas, & ſociatio SS. Medardi & Gildardi, quæ nullo alio nitebatur fundamento præter extremam nominis ſyllabam, occurſum obitus eorum in eandem diem, & nonnulla Vitæ eorum adjuncta; quod ferunt de S. Felici, eum nimirum Eugenii IV. Regis Scotorum Filium fuiſſe; de Lepore & Corona ipſi oblata; adjuncta Vitæ Sanctæ Urſulæ; cognatio S. Martialis cum Sancto Petro; Venatio Regis Dagoberti; & multa id genus alia, quæ in priſcum Breviarium irrepſerant; quod nimirum non ſatis homines ad Conciliorum juſſa animum attendiſſent.

DIS-

DISSERTATIO III.

Regulæ criticæ, quibus Pias Traditiones, & vulgares errores internoſcamus.

QUamquam Eccleſia egregia pronunciata tradiderit, ut indicaret Fidelibus Traditiones pias, quas amplectantur, non tamen in eo diligentiam navavit ullam, ut eaſdem adverſus Criticorum oppugnationes ſartas & tectas tueretur. Pacifica Mater iſta, quo controverſias effugeret, & anceps veluti penderet ſuper his, quæ non ſunt Fidei, aut ad bonos mores nequaquam pertinent; id unum ſatis habet, ut pietatem filiorum ſuorum alat, ſi propoſuerit ipſis ſimplici quadam ratione nonuullas Traditiones pias, eoſque erudierit de aliquibus ſanctis moribus, qui revocant ipſis in memoriam myſteria multa, aut præclara Sanctorum Geſta. *Eccleſia proponit Traditiones pias, quin illas adverſus Criticen præmuniat.*

Ita plane ſe geſſit Eccleſia ab exordio Chriſtianitatis ad hæc uſque poſtrema ſæcula. Præſules & Populi, Docti & indocti amplectebantur abſque ulla oppoſitione, immo obſequio multo Depoſitum ſacrum piarum Traditionum, quod a majoribus ſuis ad eos uſque manaverat.

Extremis autem temporibus iſtis, quibus libertatem ſibi Critice vindicavit ferendi judicia ſua in ſacras & profanas res, in Hiſtoriam atque in Fabulam, necnon aggreſſa eſt omnia expendere, deque omnibus judicare: ſibi perſuaſit, nihil ſuſcipi poſſe Reipublicæ utilius Litterariæ, aut pietati Fidelium congruentius, quam acumina omnia ſua in id emittere, quod vocant errores innocentes & Traditiones populares. Neque vero multi negotii futurum erat Sapientibus noſtris, pleraſque iſtarum piarum opinionum de loco dejicere, quippe alio non adornatas præſidio, quam una Eccleſiæ voce, quæ illas in Libris, uſui ſuo deſignatis, ſimpliciter & ſine ulla probatione ipſis exhibuit. *Facinus Criticæs.*

Quo autem pacto ſe ſalvas integraſque tuebuntur adverſus turbam quandam argumentorum negantis generis, conjecturarum aut firmarum, aut levium, conſecutionum indirectarum, locorum communium, & regularum minus tutarum & moderatarum? Hæc nanque ſunt arma, quibus paſſim in pias Traditiones impetum faciunt. Quod ſi his omnibus addas modum quendam judiciarium, quo ad illas damnandas traducuntur; *Quæ arma diſtringat Criticæ ad invadendas Traditiones pias.*

injuria vocabula nimium eredulorum, ſimplicium, aut plus ſatis piorum; quæ in iſtarum opinionum amatores jaciunt: Mirum non erit, jam nunc ingenia, quæ vocantur virilia, illas contemtui habere; alios Litteratos vix audere, ipſarum partes ſuſcipere; & majorem fidelis populi numerum neſcire, quo ſe vergere debeat, adeoque ſæpius offenſionem accipere, cum videat deturbari ſpecies ſuas, quas de aliquibus Sanctis conſuetudinibus a primæva ætate alte imbiberat.

Quam mediam veluti viam tenere poſſemus.

Ac ſi Criticis hodiernis non ſatis ſolidi videntur modi, quos adhibuit Eccleſia, ut pias ſecerneret Traditiones; conveniat tamen neceſſe eſt, regulas a Viris iſtis ſapientibus adoptatas, ut illas dejiceremus, immoderatas haberi ab hominibus æquiſſimis, remque animo compoſito examinantibus. Nihilominus mihi videor videre quandam mediam viam, qua non deflecteremus a veneratione, Eccleſiæ, quæ illas proponit, & ſaltem tacite probat, habenda, neque item a legibus Critices, quæ illas oppugnat. Hæc porro eſſet, ſtatuere principia quædam, ducta e viſceribus eorum, quæ Critice temperans nos docuit, & modorum, quos ſuper hac re Eccleſia amplexata eſt. Cumque utraque in exquiſita intelligentia fundamentum habeant, poterimus ex illis alia conflare æquiſſima & aptiſſima, quibus delectum faciamus Traditionum piarum, quæ recipiendæ, quæque ſunt reſpuendæ. Quapropter abſque eo quod piarum Traditionum nomen amittant, earum ſcilicet, quæ ſimpliciter & citra controverſiam recipiuntur, per fuſorium veluti ſeverioris Critices vas deducerentur, & firmiter expenderentur ſecundum principia, quæ rei hujuſmodi apta eſſe poſſunt. Nemini etenim non eſt apertum, aliis omnino legibus ad trutinam vocari MSS., ſive Factum hiſtoricum, ac vocetur Opus aliquod, vel Chronologiæ caput.

Regulæ ad Eccleſiaſticas & Criticas præceptiones exactæ.

Hæ itaque Leges erunt, quæ impoſterum ſtatuere enitar, quaſque condidi ex præſcriptione modorum, quibus Eccleſia uſa eſt, & regularum communium rectæ Critices; proindeque utrarumque miſcellanea erunt, neque ulli rei præter Criticas Traditiones accommodari facile poterunt. At vero duo ſeſe hic offerunt diſſolvenda. Primum eſt, utrum Leges iſtæ ſatis rectæ ſint & accuratæ. Alterum, an nimium ereduli notam ſubiret, quicumque aſſentiretur piæ alicui Traditioni, quæ ad regulas iſtas apprime coæquaretur. Priorem difficultatem dijudicare Sapientum ſit, qui citra opiniones præjudicatas de rebus ſententiam ferunt. Ego ſane lubenti in primis & grato animo eas audiam admonitiones, quas ipſi humaniter mihi præbebunt, & contendam proficere monitis ſuis. Quod attinet ad aliam partem nemo graviter ferat, eas Traditiones pias mihi videri ſuſcipiendas, quæ nihil regulis iſtis adverſum præſeferent. Earundem etiam regularum lance ſuſpendam ſanctas omnes inſtitutiones, de quibus agam

in

in hoc tractatu, & totus ero, ut in illis fundamentum & robur habeant: modo ne quis mihi perſuadeat, illas claudicare, aliaſque meliores pro iſtis afferat.

REGULA PRIMA.

Nulla eſt pia Traditio recipienda, quæ argumentis rei, de qua agitur, aptis non fulciatur.

INdicat præceptum hoc mediam viam illam, quam tenere debemus inter iſta duo, quæ excedunt modum: nimis credere, aut non ſatis. Si nanque vituperanda ſimplicitas eſt, haurire ſine delectu rumores omnes populares pietatis obtentu; Criticæ pariter eſt immoderatæ, & minus æquæ, non amplecti morem aliquem pium, aut Factum hiſtoricum, quod principiis ſatis, ut apparet, firmis innixum eſt. Qua de re prudentia poſtulat, nullum eventum recipere, quod confirmatum ſatis non ſit. Hoc porro pacto anxii & ſolliciti homines non decipientur; & ſeveriores Critici id habebunt, quo contenti ſint: quandoquidem non petimus, ut illis aures præbeant, quin rem diſquirant. Duo vitanda, quæ modum excedunt: nimium credere, aut non ſatis credere.

Interea noſtra eſt hic exercere, quodnam probationum genus neceſſarium ſit, ut fidem vetuſtæ alicui conſuetudini adhibeamus, citra quam in hæc duo extrema incidamus, in quæ offendunt homines ſimplices, nimis credeli, & ingenia, quæ virilia jactantur. Quo autem regulas iſtas in apertiſſimo lumine collocemus, ante omnia opus eſt, verſare animo, duplex eſſe veritatis genus: aliud attendit ad naturam rerum immutabilem, quæque eadem eſt, ſive exiſtant, ſive non ſint; aliud ſpectat ad res, quæ extant, & præ aliis ad eventa humana, quæ duntaxat contingunt, quæque eſſe poſſunt & non eſſe, ſi de re futura ſermo ſit, non fuiſſe autem, ſi de re præterita negotium ſit. Duplex veritas eſt.

Animadvertendum altero loco eſt, rem certam eſſe, veritatem teſtatam, fidem firmam, eodem nanque recidunt hæc omnia, ſitum eſſe in eo, quod in illa cognoſcenda non fallamur, verumque illud tantum habeamus, quod hujuſmodi eſt teſtimonio ſolido, & argumento germano. Porro extat multiplex eorum genus, quæ certa ſunt. Primum eſt Metaphyſicum, & pertinet ad naturam rerum, quod genus reperitur in propoſitionibus ita veris, ut fieri non poſſit, eas eſſe falſas. Quid ſit rei aliquid certum eſſe. Quid ſit, certum eſſe *Metaphyſice*.

Quoties vero in objectæ rei *exiſtentia* vim habet, certam illam eſſe, quæ ſecundum naturæ ordinem non poteſt non eſſe ea, qua eſt ratione: tum appellatur res Phyſice certa. Cum vero momenta pro veritate ſtatuenda ducuntur a propoſitionibus firmiter probatis, vel definitionum vi, quæ præceſſerunt; vel axiomatum, quæ conceſſa fuerunt; vel aliarum Quid ſit, certum eſſe *Phyſice*. Quid ſit, certum eſſe *Geometrice*.

pro-

propoſitionum in anteceſſum demonſtratarum; tum momenta iſta efficiunt Demonſtrationem Geometricam; ejuſmodi nanque ſunt, quæ Concluſionem tam certam reddant, ut aliter fieri non potuerit.

Quid ſit, certum eſſe *Moraliter*.

Quartum etiam veritatis certæ genus eſt, cujus argumenta a conjecturis, vel rei circumſtantiis, vel ab Autorum teſtimonio proficiſcuntur. Argumenta tamen iſta opus eſt firma admodum eſſe, ut hominem judicii exquiſiti perſuadeant, & ducant ad concludendum ex principiis extra Controverſiam, quæque nullam in homine æquam dubitandi rationem relinquunt, utrum necne res illa acciderit. Tum in probationibus iſtis, quæ dicuntur Morales, propoſitio & aſſumtio tales ſunt, ut complexionem indubitanter certam efficiant, conſtituuntque illud veritatis certum genus, quod morale vocamus, ſive ex fide pendens humana. Quanquam vero ita certam Propoſitionum Moralium veritatem habere nequaquam poſſimus, uti illarum habemus, quæ Mathematica ratione conficiuntur, eadem tamen evidentia præſtare poſſunt, nimirum ut ingenium noſtrum non abſimili utriſque facilitate ſe dedat. Quæ porro evidentia firmiſſimum argumentum eſt, quod nobis poſt Demonſtrationem, vel ſenſuum teſtimonium ſuppetere poſſit.

Quid efficiat veritas *moraliter* certa.

Veritas morali ratione certa nos in ſui fidem inducit ita conſtanter & indubitate, ac ſi de ea Demonſtrationem Geometricam haberemus: uti cum Factum aliquod tot virorum narratione didicimus, ut fieri non poſſit *moraliter*, eos hoc pacto in idem intendiſſe teſtandum, quod verum nequaquam eſſet. Exempli loco: Homines natura ipſa ægre animo volvunt, Antipodas extare: nihilominus etſi non fuerimus iis in regionibus, deque illis fide tantum humana notitiam hauſerimus, ſtupidum eſſe oportet, qui huic veritati non aſſentiatur. Inſaniret pariter, qui dubitaret, an Alexander Magnus, Cæſar, Pompejus, Cicero, Virgilius, Dioclecianus, Carolus Magnus extiterint, vel conficti ab aliis homines fuerint; ſive nonne in hanc diem Urbs quædam ſit nomine Roma, de qua, licet non viderimus, ita certi ſumus fere, ac de Civitate ipſa, quam incolimus: ut demum non multum diſſimilis amentiæ eſſet, de priore atque de altera dubitare.

Exempla veritatis certæ *moraliter*.

Quis ſane, niſi fere captus mente eſſet, auderet aſſerere, SS. Petrum & Paulum Romæ non fuiſſe, & Vitam ſuam pro Chriſto non fudiſſe: Tyrannos non infectatos acriter Eccleſiam; Concilium Niceæ IV. Sæculo non coactum; Græcos ab Eccleſia Latina haud ſeceſſiſſe; S. Auguſtinum ſuarum Librum Confeſſionum non ſcripſiſſe; Euſebium vero Cæſareenſem Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ejus nomen ferentem; Photiumque Bibliothecam ipſi tributam? Hæc omnia aliaque his ſimilia ita certa ſunt, ut veritas eorum ad Phyſicam & Mathematicam accedat. Poſito nanque unanimi

nimi tot Virorum, Facta hæc hiſtorica teſtantium teſtimonio, fieri, ut ita dicam, non poteſt, ea non contigiſſe. Neque item fieri humanitus poteſt, tot gentes tot ſæculorum conſecutione hallucinatas fuiſſe. Quæ certa cognitio ortum habet a communi hiſtoricorum cujuſvis ætatis conſenſione, ceterorumque, qui vel leviter Hiſtoria Eccleſiaſtica imbuti ſunt: ut fieri *moraliter* non poſſit, cum non decipi, qui huic unanimi conſenſui adverſaretur.

Verum Facta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & profanæ univerſa, quæ morali hac veritate certa non ſunt, habenda tantum ſunt veluti probabilia, neque fines ſimilitudinis cum vero traſgrediuntur. Cum etenim eventa hæc in autoritate ſolum & conjectura ſedem habeant, conjectura vero fluctuet ſemper inter verum & falſum, innitaturque indiciis tantum, & rationibus non admodum certis; conjectura opinionem probabilem, non autem certam parere poteſt probationem. Idem dicere commode poſſumus de autoritate; fides etenim humana duo complectitur. Primo, Scriptorem, cui credimus, fide dignum eſſe. Deinde Scriptorem hunc, inſtar hominis, errori obnoxium eſſe. Quare argumentatio, ab Autorum ducta teſtimonio, quanquam fidem noſtram mereantur, rem tantummodo probabilem efficere poteſt; quandoquidem eſt ſemper in eis, quod dubitemus, in talia incidiſſe, ut caperentur. Quod certum morali hac veritate non eſt, intra fines probabilitatis conſtituitur.

Quod tamen locum non habet in teſtimonio, cognitionem *moraliter* certam efficiente. Cum namque iſtud unanime ſit, in Facti alicujus cognitione animum ſtatuit, paritque evidentiam, quæ dubitationes omnes diſpellit, quæ in nobis de Autorum fide oriri poſſent. Eapropter licet generatim res falſa eſſe poſſit; nihilominus communis Hiſtoricorum cujuſvis ætatis conſenſus facit, ut credere poſſimus, fieri humanitus non poſſe, eos in errorem induci; in quo ſita eſt veritas *moraliter* certa; utque ad veritatem phyſice & mathematice certam accedat, quamquam ab iis differat. Teſtimonium unanime parit cognitionem *moraliter* certam.

Quæ cum animadverterimus, licebit, ut ſpero, mihi haſce conſiderationes apponere. Prima ſit: Quanquam ſapientes ætatis noſtræ Critici jactent, ſe nobis innumera Facta hiſtorica certa & vera dediſſe, hæc tamen eventa probabilitatis & ſimilitudinis cum vero finibus circumſcribi. Quamobrem ſequentes principia hactenus poſita, perſuaſum habemus, cum probationes, quos contendit Tillemontius depromere e monumentis, per ipſum omnino certis, tum eas, quibus uſus eſt, nec tamen ipſi viſæ ſunt uſquequaque authenticæ, non efficere utraſque, niſi probabilitatem majorem aut minorem, non autem veritatem exploratam: Pleraſque Sanctorum Vitas, quas edidit Bailletus, tanquam ſinceras & germanas, in earum ordinem redigi poſſe, quas dubias appellat: Regulas Criticas, quarum quædam per Dupinum concluſæ ſunt, aliæ probabiles, non tranſilire Animadverſio prima.

Tillem. in adm. pag. xi.

Baill. in adm. pag. vi.

Dupinus in Procemio ſecundæ partis p. 46.

lire fines probabilitatis & ſimilitudinis eum vero : Facta hiſtorica, quæ Fleurio viſa ſunt ſatis teſtata, & in certis habet, quæque in dubiis collocat, in duas claſſes non partiri, ſed utraque in eodem ordine ſedem habere, cum majoris tantum aut minoris probabilitatis varietate : Denique argumenta, quæ pro Factorum hiſtoria adhibent ceteri Critici, non differre invicem ordine: quanquam nobis perſuadere velint, alia tuta eſſe & certa, cetera leviſſima & dubia.

Fleurius in Præfat.

1. Etenim ſi viciſſim conferamus duo hæc probationum genera, conſtabit, neutra fundamenta habere certiora ; eum alia non præſtent ſoliditate, quam ea, quam comparare poſſunt a teſtimonio unius, vel multorum Autorum, atque a conjecturis, quæ probabilitatem unam efficere poſſunt.

2. Si præcepta, monumenta, & rationes, quas adhibent, quaſque Literati homines noſtri vocant certas, authentieas, & concluſas, veritatem parerent morali ritu certam; neceſſum eſſet, ſententiam adverſam falſam eſſe, aut certe ratione carere, & ſine ulla eſſe veri ſpecie. Porro nemem præterit, innumera eſſe Facta hiſtorica, quæ Sapientes iſti in veris & certis habent ; quorum tamen negantem & ajentem partem vel eadem vel pene eadem probabilitate tueri poſſis. Aſſerant ex. gr. quantum habet, certum eſſe, Conſtantinum a S. Sylveſtro Baptiſmate lotum non fuiſſe, ſeptem Epiſcopos, a S. Clemente in Gallias ablegatos, eodem non adventaſſe labente ſæculo primo ; Opera S. Dionyſii Areopagitæ nomine vulgata, eidem adſcribenda non eſſe : Produeant in medium, ſe morali ratione certos eſſe de Factorum iſtorum, aliorumque ſimilium falſitate; nihilo tamen minus, quantumvis hactenus conati ſint, non ſtatuerunt perſpicue adeo eventuum omnium iſtorum falſitatem, ut ab ipſis omnem veritatis ſpeciem abſtulerint, ut compertum ſit, ea colloeanda eſſe in certo ſuppoſititiis; & ſententia contraria probabiliſſima non cenſeatur ab iis, qui citra opiniones præjudieatas utrinque argumenta lance ſuſpendunt.

Facta quæ certa non ſunt; quidquid Critici jaclent.

Ut Logomachiam, ſive controverſiam de vocibus vitemus, Criticis ultro eoncedere poſsumus, eam, quam facti cognitionem *moraliter* certam appellant, non eſse niſi maximam probabilitatem relatam ad aliam, quæ minor eſt. Probabilitas enim hiſtoriæ alicujus major vel minor eſt pro majori vel minori firmitate rationum, quibus innixa eſt. Ira videtur ferre mens Dupini, eum diſputans de Regulis Critices ait, *eas omnes, ſi in unum coeant, rei quandam veritatis moraliter certæ ſpeciem præbere* : videlicet Factum effieere vero ſimillimum, non autem veritate morali certum, quæ unanimem & univerſam Autorum cujuſvis ætatis conſenſionem deſiderat. Quam pauca reperias in Hiſtoria Eccleſiaſtica Facta, hac ratione confirmata!

Dupinus in Proœmio 2. p. pag. 46.

Secun-

Secunda animadverſio eſt, Criticos piarum Traditionum oppugnatores non poſſe a nobis exigere, ut ad illas propugnandas afferre neceſsario debeamus argumenta, quæ probabilitatis naturam exeedant; quoniam pleraque Facta, de quibus ipſi quoque mentionem habent, veri ſimilitudinis terminos non egrediuntur: atque in majore Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ parte pauca emergunt Facta, quæ hanc moralem veritatem exploratam attingant. Immo ſimilitudinem veri ſuperare Facta iſta nequirent, quippe fundamentum habent in quorundam Scriptorum autoritate & conjectura; niſi ſi, uti ſuperius conſideravimus, unanimi Autorum concordia munirentur. Altera animadverſio.

Tertiam addere poſſumus animadverſionem: hoc eſt, pias Traditiones & mores vetuſtos, qui æquam ullam afferunt rationem, in autoritate & conjectura conſtitutam, ſuſcipiendos eſſe ſecundum prudentiæ leges, non modo tamquam probabiles, ſed tanquam majori aliquo affectos veriſimilitudinis gradu, quam pleraque Facta hiſtorica, quæ probationibus ejuſdem firmitatis fulciuntur. Traditio ſiquidem priſca, quæ ſanctas iſtas conſuetudines, inſtitutiones, & ſolemnitates agnovit, cum ſocietur conſenſioni Eccleſiæ ſaltem tacitæ, quæ illas in Libris uſui ſuo deſignatis proponit fidelibus: id inquam additum momentis, ab Autorum teſtimonio & conjectura petitis, ea pias opiniones iſtas affieit probabilitate, quæ illas faeit magis recipiendas, ae Facta hiſtorica, Traditionis teſtimonio, Eccleſiæque conſenſu deſtituta, licet rationibus æque firmis & efficientibus roborata. Animadverſio Tertia.

Ultimo loco animadverto, deficiente evidentia, requirendam a nobis eſſe ſimilitudinem veri, qua ad veritatem accedamus. At vero meminerimus oportet, ſimilitudinem veri majorem & minorem eſſe, donec ad infinitum evadat; animique noſtri eſſe, ut probe judicet, præcipuos ejus gradus diſtinguere: accidit enim ſæpe numero, rem eſſe incertam, certum tamen, immo evidens eſſe, illam affici ſimilitudine veri. Quapropter, etſi careamus cognitione plane certa alicujus piæ Traditionis ſingillatim, ipſaque veri ſimilitudinis fines non tranſgrediatur; poteſt tamen certo, immo evidenter, conſtare, ſanctam hanc inſtitutionem vero eſſe ſimillimam; cum etenim freta ſit Traditione, & nonnullorum Scriptorum autoritate conſtituta, quorum fides aliquo numero eſſe debet, perſpicuum eſt, id afferre ipſi aliquem veriſimilitudinis gradum. Exempli loco ſit: Non liquet certo (deeſt enim huic Facto evidentia) ſervari in Sancto Sacello Pariſienſi particulam de vero Ligno Sanctæ Crucis. Nihilominus eum pia hæc opinio adhæreat Traditioni juſtæ, & teſtimonio nonnullorum Autorum de re teſtantium; certum eſt, immo evidens, veriſimillime conſtare, ſanctum iſtud Sacellum pretioſum Theſaurum hunc Animadverſio poſtrema. Evidens eſſe poteſt, Factum dubium vero ſimile eſſe.

revera poſſidere. Quare donec argumentis conſtantibus non efficient; morem aliquem pium certo falſum eſſe & confictum, aliquam ſemper veri ſimilitudinem ſervabit, momentis reſpondentem, in quibus jacta eſt; modo ne, quod contra afferunt, firmum adeo & ratum ſit, ut omnem Facti hujus probabilitatem labefactet, & ſimilitudinem veri omnem, quam Traditio & autoritas alicujus Scriptoris in Sapientum animis pepererat.

REGULA II.

Piæ opiniones nihil complectantur fabuloſum, ridiculum, quod fieri non potuerit, & ſuperſtitioſum.

Regula Sancti Auguſtini.

REgulam hanc fulcire poſſumus verbis Divi Auguſtini, docentis nos, haud eſſe ponendam pietatem & religionem noſtram in excogitationibus noſtris; quoniam veritas admodum minima anteferenda eſt fallaciis ſpecioſiſſimis optimeque conflactis. *Non ſit nobis Religio in phantaſmatibus noſtris. Melius eſt enim qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt.* Quam multi inter Fideles ſublati fuiſſent mali uſus, ſi monito ſemper Sancti hujus Doctoris obtemperaſſent, necnon Decretis Conciliorum cum veterum tum recentium.

Aug. l. de vera Rel. c. 55.

Unde profecto factum eſt, tot hauſiſſe homines falſa Miracula, & fallaces Reliquias; atque audiviſſe aviditate tanta hiſtorias fabuloſas, & Facta incredibilia; niſi quod magis impetum pietatis immoderatæ, quam prudentiæ & exquiſiti judicii præcepta ſectati ſunt? Quæ res, obſervat Melchior Canus, *impiis quidem non levem ſubſannandi occaſionem præbet, piis vero lacrymandi.*

Libro XI. de Locis Theol. c. 6.

Intereſt itaque, mores omnes, ſolemnitates, & eventa, quæ Fidelium ſuorum pietati excitandæ narrat Eccleſia, a vitiis omnibus vindicata eſſe, quæ in hac Regula enunciantur; nihilque præſeferre, quod elegantiam Eccleſiæ, atque amplitudinem non deceat, ſive quod minus commode cadat viris illis, qui modica hinc pietate, non levi illinc præſtant æquitate.

Cujus enunciativi virtute Sapientes noſtrorum temporum in Hiſtoriarum manifeſto mendacium numero collocarunt narrationem de S. Urſula, undecim mille Virginibus, deque jactato Cyriaco Pontifice, quem, ut ferunt, anteceſſit Sanctus Pontianus, ſubſecutus eſt S. Antherus anno 235. Quæ quidem narratio omnibus in hac regula indicatis vitiis contaminata eſt; & quanquam eventa hæc recitent Autores multi, nihilo ſunt incredibilia minus & fabuloſa. S. Eliſabeth Monaſterii Schonenſis Abbatiſſa prima fuit,

Hiſtoria Cyriaci Pontificis falſa eſt.

fuit, quæ revelationis cujuſdam fundamento elegantem hanc Hiſtoriam in vulgus protulit. Deinceps Scriptores multi, Sanctæ hujus fœminæ fide, *eandem ſeriis verbis retulerunt; quod tamen non prohibuit, quominus novum Martyrologium Romanum, Breviariumque Romanenſes fabellas iſtas ſupprimeret. S. Eliſabeth in Hiſt. de undecim mille Virg.

At verò non eſt neceſſe, piam aliquam Traditionem vitiis omnibus iſtis inquinari, ut explodatur, cum ſatis ſit uno duntaxat affectam eſſe, de quo purgari commode non poſſit. Quapropter omnes judicant narratiuncularn de induſtria confictam eſſe Traditionem priſcam, de qua meminit S. Gregorius Turonenſis. Narrat enim Diaconum ſuum, Jeroſolymam profectum, in puteo quodam ſtellam conſpexiſſe, quæ ad Jeſu Chriſti Præſepe Magos perduxerat. Porro Factum hoc perſpicue fabuloſum eſt & incredibile. *Greg. Turon. de Gloria Martyr. cap. 1.

Cujus pariter regulæ monitis, eruditi poſtremi Breviarii pro Eccleſia Pariſienſi emendatores, uti alibi animadvertimus, ſuſtulerunt ex eo Facta hiſtorica multa, quæ ad hanc regulam exigi commode non poterant. Alii quoque Præſules bene multi ſimilia quædam e ſuis Breviariis detraxerunt. In ea nanque multa irrepſerant ſine autoritate, quæ popularibus tantum rumoribus innitebantur, quæque vitium, aut plura eorum præſeferebant, quibus carere volumus pias opiniones, Fidelium pietati propoſitas. Falſæ Legendæ ſublatæ regulæ hujus præſcriptione.

Denique ſtatim ac deprehendet quis in vetuſtis Traditionibus aliquid ſuperſtitioſum, quod videlidet, excedendo, Religioni adverſetur, reddatque in his Deo honorem ipſi minime reddendum, aut ea, qua non eſt reddendus, ratione, ſive qui exitialis ſit, ſupervacaneus, aut inutilis, uti contingit, cum ad Dei & Sanctorum gloriam non ſpectant, aut ad animarum bonum non conducunt: limato judicio vir, qui non vult in errorem rapi, ab iis omnibus poterit animum ſuum avertere, citra quam minore peccet in Religionem obſequio. Neque enim vult Eccleſia, nos conſuetudines illas venerari, quæ ſuperſtitionis ingenium præſeferunt, ſive quæ videntur alias inutiles & nullius frugis. Qua de re ſancti Epiſcopi non putarunt, anteferendam eſſe immoderatam populorum pietatem rectæ intelligentiæ luminibus, & Chriſtianæ prudentiæ principiis.

* A XII. ſæculo deinceps Autores multi de quodam Pontifice Cyriaco meminerunt, verum nullo alio freti argumento, præter Acta S. Urſulæ ſuppoſititia. *Dicit enim*, Sancta Eliſabeth, *quod quidam Papa Urbis Romæ, Cyriacus nomine* XIX. *poſt Petrum paſſus ſit: fuit ſiquidem iſte Pontiani Papæ ſucceſſor, rexit Eccleſiam anno uno & menſibus decem: & ſic in ſuo loco Virum Sanctum, qui Antherus dictus, ordinavit, & cum undecim millibus Virginum diſcedens, ſedem ſuam reliquit.* Rob. Antiſiod. in Chronol. Martinus Polonus in Chronol. Vincent. Bellov. Lib. 20. Spec. Hiſtor. cap. 4. & alii.

Subjiciam exempla nonnulla. Anglus quidam adoleſcens Urbem Triſanton prætergrediens, partem pecuniæ ſuæ depoſuit apud hominem, qui eum occidit, & corpus ejus nocte extra Urbem projecit. Porro cum quædam mulieres corpus hoc offendiſſent, ipſi nomen & gloriam Martyris dederunt, humarunt, & noctes haud paucas ad ejus ſepulcrum, vigilias exercuerunt. Plebs earum exemplo commota, pie illud coluit, & munera obtulit. Res ad Epiſcopum delata eſt, qui ardorem animi ſui ſanctum excitavit, ſubvertit ſepulcrum, notas venerationis omnes ſuſtulit, quas poſuerat populus ſuperſtitioſus, & cautum eſſe voluit, indicta pœna diſjunctionis a communione Fidelium, ne qui ipſi impoſterum honor tribueretur. Sanctus item Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis cum noviſſet, Sanctimoniales Rumeſei in Diœceſi Winctonieſi Sanctorum cultu venerari ſolitas Comitem Valdetum, Epiſtolam dedit ad Stephanum Archidiaconum, juſſitque ipſi, ut nomine ſuo Monialibus nunciaret, ſe illas Sacris interdicturum, ſi adhuc in ſuperſtitione ſua perſeveraſſent.

Thierius Diſſ. adv. Laur. Vindon. &c. Gall.

Anſelmus L. 3. ep. 51.

REGULA III.

Oportet, poſſe nos juſte & rite præſumere, Eccleſiam, Epiſcopos, alioſque primos piarum opinionum receptores, eas non ſine argumento aliquo, licet nobis incomperto, adoptaſſe.

Vigilantia Paſtorum in piis Traditionibus recipiendis.

SI animum vel leviter convertamus ad curam & ſollicitudinem, quam Paſtores Eccleſiæ prætulerunt ſemper, ut a moribus omnibus periculoſis Chriſtifideles averterent, nihilque in eam erumpere ſinerent divini cultus integritati, ſolidæque pietati adverſum; facile nobis de hujus Legis æquitate perſuaſum erit.

Poſſumus ne citra gravem tantorum Virorum eruditionis atque ardoris animi offenſam præſumere, eos Traditionibus piis ſtraviſſe viam, vel ſanctas inſtitutiones aut conceſſiſſe aut probaſſe, abſque eo quod in anteceſſum earum fontes & rivulos inveſtigarent? Integrum ne eſt, verſare animo, eos a vulgaribus ſermonibus ſine cauſſæ cognitione raptos fuiſſe? Fit ne credibile, illos in quorundam Miraculorum fide Chriſtianos reliquiſſe, quæ nobis modo fidei exiguæ videntur eſſe; poteſtatem feciſſe illos colendi Reliquias, Imagines, Sanctoſque Viros ipſos, multiſque inſtitutionibus laude dignis ſuffragium dediſſe ſuum, citra quam hæc omnia ſecundum prudentiæ atque Eccleſiæ Leges æqua lance ſuſpenderent? Quod ſi nonnulli ſive ignorantiæ ſive ſimplicitatis vitio huic muneri defuerunt, fas ne erit nunc ſine conſtantibus argumentis, miracula,

cula, Reliquias, cultumque Sanctorum rejicere, quem ad nos uſque traduxerunt, quique continenti Traditione conſtitutus fuit; cauſſam prætexentes, quod nimirum aliquis fortaſſe Epiſcopus ea non proſpexerit, quæ antequam pias opiniones amplecteretur, proſpicienda erant.

Verum multo æquius eſt, ratum habere, eos non fugiſſe, quæ priſci Canones juſſerant, Patres ſenſerant, eorumque Deceſſores in eiſdem eventis præſtiterant. Si hæc non ignorarunt, de quo ancipites eſſe non poſſumus, erit ne deſerendum ſacrum, quod nobis tradiderunt, Depoſitum? An non contra maxime probabile eſt, eos nihil omiſiſſe, ne caperentur, neque Fidelium pietatem in rebus graviſſimis deciperent. Si vero nos latent momenta illorum, atque Opera, quibus innixi ſunt, non eſt cur ambigamus, iis carere nos injuria temporum atque intervallo, vel illorum apud quos depoſita ſunt, negligentia. Quapropter præſumtio eſt ab Eccleſia, ejuſque Paſtoribus; ſatiſque apparet, eos non moviſſe pedem, quin omnia ante trutina penſitarent. Exemplo ſint quæ ſequuntur.

Egregium exemplum vigilantiæ Præſulum ſuper Reliquiis.

Incidit ne quæſtio tempore Imperatoris Caroli Calvi, an honore donandæ eſſent Reliquiæ ignoti cujuſdam Sancti, quas duo Monachi in Eccleſiam S. Benigni Divionenſis attulerant; probandique ſecundum rumores de re diſſipatos miracula, quæ illo intercedente patrabat Deus? Theobaldus Epiſcopus Lingonenſis conſuluit Amolonem Archiepiſcopum Lugdunenſem Metropolitam ſuum, quid ſibi faciendum eſſet. Reſpondit Archiepiſcopus: quandoquidem carent autoritate quæ feruntur de Oſſibus Sancti hujus Anonymi, ea ſe eſſe opinione, ut non in Eccleſia, ſed prope ipſam, in loco tamen honeſto & decenti humarentur.

Ecce quam ſerio Reliquiarum iſtarum naturam Præſules iſti ſcrutati ſunt, antequam illas probarent, & concederent, ut fidelium veneration objicerentur. Non videtur conſilium Archiepiſcopi neceſſario petendum fuiſſe, ut conſtaret, quid in re hujuſmodi agendum: nihilo ſecius prudens hic Præſul non acquieſcit judicio ſuo privato, mentemque explorat Archipræſulis ſui, ne quid ageret minus appoſite. Et vero quam ſapiens & prudens fuit Archiepiſcopi hujus conſilium! Reliquiæ recentes ſunt; cujuſdam, ut credunt, ſancti Viri, notitia & nomine carentis; delatæ fuerunt a duobus Monachis, nullo munere inſignitis, vel autoritate præditis fide digna. Super his quæritur, an probandus ſit earum cultus vel improbandus. Multiplex nihilominus hæc ambiguitas non obſtat, quin Amolonius a *Suffraganeo* ſuo in conſilium vocatus, qui nolebat fidere luminibus ſuis, ſtatuat, ut in loco ſeponantur revera ignoto, ſed honeſto; ut hinc aliquis ipſis redderetur honor, ſi veræ Reliquiæ fuiſſent, illinc tolleretur ſuperſtitio populorum, ſi falſæ: *ut nequaquam rudibus populis occaſio erroris & ſuperſtitionis exiſtant.* *Epiſt. ad Theobald. Lingon. Epiſcopum.*

RE-

REGULA IV.

Opus eſt examinare, an de morum iſtorum Factorumque veritate ſit dubitandi locus. Si de illis ancipites eſſe poſſumus, afferantur neceſſe eſt argumenta clara, certa & evidentia; utque eorum falſitas poſſit demonſtrare.

QUoties negotium eſt de Factis natura ipſa contingentibus, a ratione abhorreret omnino, quicumque nulli fidem ſuam adjiceret, de quo compertum ipſi non fuiſſet, rem neceſſario ita ſe habuiſſe; neque multo magis ratione duceretur, qui me adducere vellet, ut alicui aſſentirer, hoc uno argumento, quod res illa eo pacto fieri potuerit. Indubitatæ igitur enunciationis loco ſtatuendum eſt, aptam non eſſe, cur Factum aliquod amplectamur, rationem, illud fieri potuiſſe: & poſſe mihi ſuppetere momenta illud idem non audiendi, quanquam fieri potuiſſe cenſeam, contrarium accidiſſe. Ita demum ut inter eventa duo rationes mihi præſto eſſe poſſent alterum credendi, aliud vero minime, tametſi utraque fieri potuiſſe exiſtimarem. Quo itaque decernam pacto, huic citius quam illi fidem adhibere, ſi utraque hujuſmodi eſſe puto, ut contingere potuerint? Hujus pronunciati ſubſidio.

Non ſunt rejicienda Facta, propterea quod falſa eſſe poſſint.

Eventui nulli credendum eſt, vel eius in dubium fides revocanda ob id unum, quod poſſit eſſe verum vel falſum. Quocirca inter dubitationes de Facti alicujus veritate, vel de Scriptoris teſtimonio, diſcrimen magnum habere oportet illarum, quæ proficiſcuntur ab eo, quod phyſice, dixerim, poſſibile eſt, Factum nimirum falſum profecto eſſe poſſe, nobiſque teſtimonium imponere potuiſſe: atque illarum, quæ ſuſpicionem jaciunt poſitam in re aliqua ſingulari, videlicet in teſtimonio non bonæ notæ, ſive in vitio aliquo, quod in eodem emergat teſtimonio, aut in adjunctis, quæ Facto illi comitantur.

Quo differant inter ſe poſſibile phyſicum & ſimplex ſuſpicio.

Porro certum eſt, ſimplicem phyſicam poſſibilitatem, qua falli potuiſſemus in citandis teſtimoniis pro Facti alicujus argumento, ſi rerum naturam conſideremus, æquum non eſſe fundamentum, quo ſuper Facti illius veritate dubitationem aut ſuſpicionem ſatis ſolidam moveamus, ut ex ea ad illud non recipiendum inducamur. Quoties etiam dubitatio rei alicui innititur poſitivæ, nondum ſatis eſt, ut Factum idem rejicere vel amplecti cogar, ſi ſuſpicio naſcatur e locis tantum communibus, aut circumſtantiis generalibus, nimirum ubi Factum perpendant nudum atque in ſemetipſo, inſtar cujuſdam Propoſitionis Geometricæ; ſed opus eſt inſpicere circumſtantias omnes ſingulares, quæ Facto adjunguntur.

Dubitatio habeat in re aliqua poſitiva fundamentum.

Quare

Quare dubitationes, quæ oriuntur ſuper veritate eventi alicujus ſatis confirmati, non debent nos adigere, ut illud tanquam falſum explodamus; niſi ſi dubitationes iſtæ fundamentum habeant in probationibus claris, certis, evidentibus, non vero in conjecturis parum ſolidis: alias fas eſſet aſpernari, aut certe ambigere de veritate qualibet conſtantiſſima. Hac de re nihil magis ab æquitate alienum eſt, quam conatus nonnullorum præteriti ſæculi Hæreticorum, quos contulerunt, ut oſtenderent, Sanctum Petrum nunquam Romæ fuiſſe. Nihil enim Facto huic, plurium teſtimoniis Patrum roborato, objiciunt, niſi leviſſimas conjecturas. Quanquam vero moraliter non ſit penitus impoſſibile, iter hoc confictum eſſe, Scriptoreſque illius teſtes deceptos fuiſſe; nihilo tamen minus itineris hujus ſuſpiciones, ductæ a ſilentio D. Pauli, nullam de illo in Epiſtolis ſuis mentionem facientis, vel ab aliis conjecturis minus firmis, non ſufficiunt, ut Factum adeo celebre in dubium revocemus. Proindeque neceſſum erat, in promtu habere rationes conficientes, ut Factum ita probe conſtitutum dejiceretur.

Non ſunt rejicienda Facta ſine firmis argumentis.

Etſi autem Traditiones piæ tantum roboris non habeant, quantum eventa, de quibus hactenus locuti ſumus; neque opus ſit, firmas adeo rationes adhibere, ut in contemtum adducantur; nihiloſcius ſecundum accuratæ Critices enunciata neceſſe eſt, probationes, quarum vi repudiantur, non modo poſitivas eſſe, verum ita concluſas, aut non multo aliter. Neque item ſatis eſt, ea quæ contra dicuntur, ſuſpendere veluti in lance argumenta rem propugnantia; ſed hujuſmodi ſint oportet, ut probabilitatem, quam habent, omnem evaneſcere faciant.

Cum etenim Traditiones iſtæ vetuſtæ ſint, & Fideles a ſæculis multis illarum poſſeſſionem acquiſiverint; non poſſumus illos hac poſſeſſione deturbare, vel omnino depellere, niſi certa de piarum opinionum iſtarum falſitate momenta proferamus. Quid quod tametſi firmiores eſſent ſuppoſitionis illarum probationes, quam ſint veritatis; donec iſtæ non efficient moralem veritatem certam de ſanctarum Inſtitutionum iſtarum falſitate, in ipſis ſemper erit probabilitas idonea, ut recipiantur.

Poſſeſſio piarum Traditionum firmum argumentum eſt.

Quibus poſitis, facile eſt inde colligere, non futurum, ut fide ingenua homines ſibi perſuadeant, teneri ſe ad dubitandum de vetuſta aliqua Traditione, ubi contenti erint Critici noſtri, cum dicent in univerſum proponentibus ſibi earum aliquam, ut paſſim faciunt: *Hæc ſunt Traditiones populares: id fabulam redolet: Autor, qui eas narrat, accurationis dono affectus non eſt: nimium credulus: ejus Opera conferta ſunt Factis minus probabilibus: melior ad innocentes errores oppugnandos via eſt, illos minime in lucem edere;* ſive cum dicta his ſimilia, aut locos communes adhibebunt.

Tillemontius. Bailletus. Fleurius. Dupinus, &c.

Quod ſi volunt a nobis audiri Viri iſti, noſque ſequi opiniones ſuas, eas

Præſto ſint oportet ſolida argumenta.

eas muniant argumentis accommodatis. Alias haud ægre ferant, nos obſequio proſequi pias iſtas Traditiones, donec proferant argumentum aliquod, quod omnem ab ipſis probabilitatem auferat, a teſtimonio Scriptorum, & ſuffragio Eccleſiæ vel aperto, vel tacito comparatam. Denique opus eſt, momentorum iſtorum auxilio ad nihilum recidere pondus omne, quod affert ipſis teſtimonium Autorum, Traditio, & unanimis Fidelium conſenſus, qui piis iſtis Traditionibus adhæreſcunt.

Prima Regulæ hujus limitatio. *Arnaldus Diſſ. de Hegeſippo Reg. 3.*

Interea neceſſum duco his, quæ modo dicta ſunt, duas apponere limitationes. Prima ſit, Diſtinguendum eſſe id, quod appellamus præſumtionem juris, a veritate. Præſumtio favet mihi, quoties majorem habet veritatis ſpeciem quod dico, quam quod dicitur adverſum me; verum hoc non ſatis eſt, ut norim, veritatem mihi aſtipulari. Quid quid commodi ex ea re caplo, eſt, ut is qui contradicit, teneatur, quæ pro ſe faciunt, confirmare. Atqui præſumtio videtur eſſe a piis opinionibus, quæ in Libris uſui Eccleſiæ deſignatis reperiuntur. Præſumptio hæc robur habet in poſſeſſione multorum ſæculorum, atque in nonnullorum Autorum teſtimonio. Quod facit, ut, etiamſi Traditionum iſtarum aliqua ſingillatim in rei ſumma fabuloſa ſit, ad eos non ſpectet, qui illam propugnant, ipſius certam veritatem aut probabilem demonſtrare; ſed illorum eſſe, qui adverſantur, fallitatem ejus vel ſuppoſitionem extra aleam ponere.

Secunda Limitatio.

Alterius ſit limitationis loco, verum eſſe, ſi Traditio nova ſit, extraordinaria, minus credibilis, ab uno duntaxat Autore producta, itemque loco illo, in quo capitur manifeſto, ſive cujus autoritas leviſſima eſt, ad eos pertinere, qui tuentur, illam optimis argumentis roborare, non vero ad illos, qui negant. Porro quemadmodum ſolliciti erimus in Operis hujus decurſu id præſtare, quod in hac ſecunda animadverſione continetur; æqui & boni conſulant Critici, ſi ab illis flagitamus, ut dum pias Traditiones inſectantur, quæ monuit præcedens, ſervent accurate.

RE-

REGULA V.

Nihil habeant Traditiones iſtæ atque Inſtitutiones adverſus mores & tempora, quibus illæ obtinuerunt; vel adverſus conditionem illorum, qui in Traditionibus iſtis locum habent.

REGULA VI.

Cavendum etiam eſt, ne rerum ſumma complectatur pugnantia invicem; aut num adjuncta quædam tantummodo ſint, quæ cum Facto præcipuo non conſentiunt.

UT perfugium omne rumoribus vulgi, falſiſque Traditionibus auferamus; & vela omnia, quibus, ut recipiantur, tegi poſſent, ſubducamus; addidimus duas haſce regulas, quibus plerumque utuntur Viri doctiſſimi, ut internoſcant Opera ſuppoſititia & legitima; necnon veras hiſtorias a mendacibus ſecernant. Tempus eſt ex certiſſimis notis una, qua pronuncie mus, utrum necne mos antiquus ſit, & Traditio conſtans. Si afferat indicia temporis poſterioris; adjunctum aliquod, quod Chronologiæ repugnat, aut eventis, quæ pro veris venditare vellent; vel denique pugnantia inter ſe: pro certo habere poſſumus, pias opiniones iſtas in ſuſpicionem falſitatis adduci poſſe. Exemplum quoddam his legibus lucem afferat. *Vide Animadv. in Reg. Crit. Tom. I. Diſſertat. III. art. 1. & 11.*

Ericus, ſive Henricus, Monachus Antiſiodorenſis, ex Ordine S. Benedicti, qui exeunte IX. ſæculo vivebat, narrat, S. Germanum Epiſcopum Antiſiodorenſem, in Angliam profectum, quæ ante Britannia vocabatur, gentis illius Regem ſpoliaſſe Regno, quod ſcilicet ſancto huic Epiſcopo hoſpitalitatem ab ipſo petitam recuſaverit. Quo Rege, univerſaque ejus familia e domo pulſis, S. Germanus ad Thronum evexit Bubulcum quendam, qui eum hoſpitio receperat, quod ipſi Rex denegaverat. *Ex eo tempore, ait, in hodiernum Reges ex ſubulci genere prodeuntes, nationi Britonum dominabantur, Deo per B. Germanum res humanas mirabiliter ordinante.* Quanquam narratio hæc fabuloſa non videretur, facile eſt ejus falſitatem oſtendere, ſi ad eas Regulas, quas nunc expendimus, illam exigamus. Hiſtoria fabuloſa, ab Henrico Antiſiodorenſi narrata.

1. Henricus nullum alium ſponſorem exhibet pro hac hiſtoria, præter ſenem quendam nomine Marcum, Epiſcopum in Anglia, qui circa finem IX. ſæculi floruit; & nemo alius ante Hiſtoricum Antiſiodorenſem Traditionem hanc ſcriptis tradiderat. Nonnulli recentiores eandem hiſtoriam poſt illum retulerunt, uti Petrus de Natalibus, & Claudius Rota in Vi- Collatio fit Regularum cum hac Romanenſi fabella.

ta Sanctorum Legendæ aureæ: verum Scriptorum istorum autoritas non magnum Facto huic afferunt pondus.

2. Nullus Rex in Anglia dominabatur, cum Præsules Galliarum annō 429. S. Germanum & Lupum Tricassinum ad eam Insulam miserunt, ut Pelagii & Celestii Hæresim profligarent. Cum etenim Britones initio Imperii Augusti defeciissent, Claudius Imperator acriores rebelles subegit, qui postea regnante Domitiano penitus domiti sunt. Propterea Britones ad annum usque 446. vectigales fuerunt Romanorum, donec Pictos & Scotos in subsidium vocarent, qui partem Insulæ septemtrionalis incolebant. Hi in terras Romanorum impetu felici irruerunt, atque ab Insula propulsarunt victores istos, qui sæculorum multorum spatio in eos gesserant imperium. Atqui exploratum est, Britones tum temporis Regem non habuisse, donec Pictorum potentia radices egit, quod brevi adeo factum non est. Mortuus nanque est S. Germanus Ravennæ anno 435. aut serius anno 448.

3. Repugnat aperte, novi hujus Regis nepotes Regnum obtinuisse ad exitum usque IX. sæculi, quandoquidem constat, cum Romani ab Anglia ejecti fuerunt, in multas illam ditiones divisam, & septem usque Regna complexam fuisse. Egbertus ad annum 801. ad unum duntaxat redegit, quod vocaretur jussu Regio *Engeland*, nimirum Anglia. Quæ consideratio ostendit satis, Posteros jactati hujus novi Regis, quamvis ille ad Regnum a S. Germano assumtus fuisset, non imperasse in Britannia ad oceasum usque IX. sæculi.

4. Aliquando ne fando auditum est, Episcopum alienigenam e Throno dejeciisse Regem, quod videlicet ipsi hanc charitatis significationem non dedisset, ut apud se quadam nocte divertere posset? Respondebat ne etiam singulari Sancti hominis virtuti, culpam adeo levem tantopere insectari & ulcisci?

5. Ubi nam reperis, Sanctos Viros usos fuisse potestate ipsis a Deo concessa patrandi mira facta pro rebus hujusmodi? Postremo loco sola ipsa Facti hujus expositio illud de falsitate & suppositione perspicue redarguit. *

* *In craſtinum Pontifex Palatium repetit, Regiſque publicum præſtolatur egreſſum . . . . Rex ſtupore defixus interpait . . . . Tum Germanus autoritate mirabili, egredere, inquit, & ſceptra Regni potiori committe. Illo haſitante, Germanus baculo incuſtanter impellens, egredieris, ait, & ſicut deſinitum a Domino, nequaquam deinceps in æternum poteſtate Regia abuteris. Jam Germanus, uno ex diſcipulis directe, ſubulcum cum conjuge evocat, atque univerſe ſtupente Palatie, in regni culmen componit.* Henr. Antiſiod. Lib. 1. de Mir. S. Germani. c. 55.

RE-

REGULA VII.

Intereſt etiam, Traditiones, mores, & Facta hiſtorica iſta non fuiſſe directe ab Scriptoribus ejuſdem ævi oppugnata, vel ab aliis, quorum autoritas de illorum falſitate nos certos efficere poſſit.

ARgumentum ferme indubitatum eſt ſuppoſitionis alicujus hiſtorici Facti, cum teſtimonium, a quo impugnatur, eadem vixit ætate, vel proxima adeo eventui illi, ut vix ægerrime illud non audire poſſimus; præſertim cum autores, qui pro Facto eodem afferuntur, ab illius Traditionis fonte diſtant. Hujus rei exemplum ſit.

Plurimi Scriptores cum Ortodoxi tum Heterodoxi affirmant, Joannam Papiſſam * ſedem Romanam conſcendiſſe ſtatim a Leone IV. & Eccleſiæ gubernacula tractaſſe duobus annis, & menſibus quinque. *Huic* (Leoni IV.) *ſucceſſit Joanna Mulier annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor.* Marianus Scotus, qui in lucem editus fuit centum & ſeptuaginta tribus annis poſt electionem Benedicti III., primus eſt, qui de Facto iſto meminerit; & ſectatores habuit multos alios, inter quos ſeptuaginta Catholici ſunt; & aliqui etiam Viri in Sanctorum album recenſiti. Quo loco animadvertunt, tanto in Scriptorum numero nullum Gallum hominem reperiri. Chauvinus Autor novæ Ephemeridis Sapientum, confectæ Rotterodami anno 1694. contendit, Sigebertum quoque Monachum Gemblacenſem, initio XII. ſæculi florentem, & Martinum Polonum, Autorem XIII. ſæculi, fabulam eandem venditaſſe. Verum Aubertus Miræus, collatis vetuſtis Cod. cum utrorumque Scriptorum iſtorum Editionibus, deprehendit, Hiſtoriam hanc non extare in veris Sigeberti, & Martini Poloni MSS.

Hiſtoria Joannæ Papiſſæ fabula eſt.

Marianus Scotus ad annum 854. in Chron.

In menſe Julio.

Quanquam aliæ non eſſent in promtu de falſitate Traditionis hujus probationes, ſatis eſſet dicere, Autores ejuſdem temporis unanimes conſentire, in Leonis IV. qui obiit die XVII. Julii anno 855. locum ſtatim ſucceſſiſſe Benedictum III. qui electus fuit XXIX. Septembris ejuſdem anni. Quod Factum teſtes habet Scriptores quamplurimos, inter quos enumerare licet Lupum Abbatem Ferrarienſem; Adonem Archiepiſcopum Viennenſem; Anaſtaſium Bibliothecarium; Reginonem Abbatem Prumianum;

Benedictus III ſucceſſit Leoni IV.

* Variis nominibus eam nuncupant Scriptores, alii Agnetis, Margaritæ, & Dorotheæ alii. Quidam ex Anglia, quidam e Germanis ortam volunt; ferunt eam, Litteris humanis eruditam, virilem habitum induiſſe, Athenaſque & Hieruſalem profectam, demum Romam conceſſiſſe, ubi præſtans illius ingenii facultas multos nacta eſt admiratores, & exinde Pontifex renunciata eſt.

Autorem Annalium S. Bertini, quibus addere poſſemus Græcos illius temporis multos. Photius, magnus ceteroquin Eccleſiæ Romanæ hoſtis, conceptis aſſerit verbis, Benedictum III. excepiſſe Leonem IV. Hinemarus, Romam miſſis Legatis ſuis, tradit, eos dum iter haberent, nuncium de morte Leonis accepiſſe; Romam autem adventantes Benedictum in ea ſede reperiſſe, a quo Privilegium ab Hinemaro petitum obtinuerunt. Demum tuentur Autores iſti, nullum alium inter utroſque Pontificem fuiſſe. Quamobrem commentitius duorum annorum, quinque menſium, & quatuor dierum Joannæ Papiſſæ Pontificatus non poteſt inter Leonem IV. & Benedictum III. collocari.

Quorum Hiſtoricorum teſtimonium, ex quibus aliqui utroſque Pontifices iſtos cognoverant, tanti eſt, ut Joannæ Papiſſæ fabulam explodat. Autoritas contra Mariani Scoti, & Scriptorum illorum turbæ, qui ipſum ſecuti ſunt, eum non cœperit falſam hanc Traditionem propagare, niſi multis poſt Leonis IV. interitum ævis, non poteſt argumentum ſufficere, quod aliud, ab Autoribus contemporaneis ductum, in lanee ſuſpendere poſſit.

REGULA VIII.

Neceſſe eſt iis, quæ contra obiiciuntur, commode ſatisfieri poſſe:

Regulæ hujus neceſſitas.

PAuca admodum extarent in Hiſtoria Eccleſiaſtica non modo vera, ſed neque ſimilia veri, ſi opus eſſet, ea omnia repudiare, adverſus quæ objecta poſſunt efformari; ſive quæ adjuncta præſeferunt, quibus parata reſponſio non eſt. In dubium quoque revocare poſſemus hiſtorias mille teſtatiſſimas, quæ aliis non abſimiliter certis congruere nequeunt, niſi ope conjecturarum, quas poſitive probare impoſſibile eſt. Propterea hanc Critices regulam conſtituimus, quæ videtur æquiſſima.

De Arte Cogit. p. 4. c. 13. Arnaldus in Diſs. ſuper narrat. Hegeſippi Reg. 2.

Quoties Factum, ſatis confirmatum, in controverſiam adducitur ob incommoda, ſive repugnantiam ſpeciatim cum aliis hiſtoriis; tum ſatis eſt, reſponſa allata his repugnantiis poſſibilia eſſe & veroſimilia; neque res poſtulat, ut probemus, eam ita eſſe revera, ut ferunt reſponſa; & iniquum eſt, momenta poſitiva requirere; cum etenim Factum per ſeſe ſatis teſtatum ſit, æquum non eſt flagitare, ut eadem firmitate circumſtantias omnes roboremus.

Non convenirent invicem ex. gr. quæ perhibet Hegeſippus de morte S. Jacobi a Judæis cœſi, atque illa, quæ idem Scriptor ſubjungit; Judæis in judicem delegiſſe S. Jacobum de Religione Judaica & Chriſtiana; Scribas & Phariſæos palam ipſi feciſſe, ſe maxime in illo confidere; populo univerſo comites ſeſe adjunxiſſe, ut de ejus æquitate & juſtitia diceret

te-

teſtimonium ; Judæos illum adjuraſſe , ut populum cohiberet , qui hoc errore præventus erat: nimirum Jeſum Chriſtum Deum eſſe . Non eſſet, inquam , unde hæc omnia convenirent invicem; niſi pro rato haberemus, Judæos tum ineptiſſima ſane ratione in rem ſuam , atque adverſus affectionem præcipuam , qua traducebantur , egiſſe . Quod ſi petas , quibus efficiamus argumentis , Judæos tum , veluti homines mentis impotes ſe geſſiſſe , fatendum eſt , nullum afferri poſſe quod poſitivum ſit ; verum ſatis eſt id fieri potuiſſe , factumque alias eſſe ſæpe numero , ut jus habeamus , id ponendi tanquam adjunctum neceſſarium , quo Hiſtorias aliunde certas aut vero ſimillimas connectamus.

Quando vero non eſt, cur pro certo habeamus , vel maxime probabili Factum aliquod, idemque ſatis munitum non ſit; tum neceſſum eſt , appoſite reſpondere objectis , quæ ad illius oſtendendam falſitatem afferuntur; neque probaretur , ſi quis diceret in univerſum , & ſine argumentis magis aut minus firmis pro Facti natura, ut veritatem eventi illius propugnaret: multa eſſe ſine controverſia vera, & quæ tamen difficultatibus premuntur , quæ non ſine labore multo ſolvuntur , aut ipſis ſit ſatis reſponſis vagis, lociſque communibus. At vero quoties Factum aliquod vetuſtum ſatis firmamenti & roboris habet, ſuffieit, ut illud conſtituamus, ex mente Mabillonii, ſi diluerimus argumenta, quæ in eventum illud efformantur : *Sufficit ad probandam uſitatæ rei antiquitatem , refutare argumenta , quæ proponuntur in contrarium.* Contra vero qui Factum idem hiſtoricum aſpernantur, audiendi non ſunt, ſi levibus duntaxat conjecturis contenti fuerint: ipſorum nanque eſt, afferre momenta certa evidentia & concluſa. *Non ſufficiunt conjecturæ; ſed vera manifeſta ac neceſſaria argumenta proferenda ſunt.*

Regulæ hujus Limitatio.

Mabillon. Diſt. de Acuſmat. c. 8.

REGULA IX.

Si quando Traditiones iſtæ , aut mores aliquid complecterentur , quod omnibus regulis iſtis accommodari uſquequaque non poſſet ; nefas eſſet , illas ſupprimere , aut repudiare , quin ſerio expenderemus : utrum necne ſuppreſſio hæc maiori futura eſſet populis offenſioni , quam fallax uſus rejiciendus: atque an expediret magis, id tolerare , quod ſine majori offenſione aut tollere, aut oppugnare non poſſumus.

QUI leviter aſpectuque primo Regulam iſtam conſideraret, in mentem ſane induceret , illam funditus convellere , & ſupervacaneas omnino reddere præcedentes . Si nanque pia Traditio ulla , vel mos priſcus , inquient , aliquo ex vitiis , in ſuperioribus regulis enunciatis , infectus , removendus nondum eſt , donec trutina penſitemus , nonne

ne ſuppreſſio iſta magis Fideles perturbatura ſit, quam eſſet detrimenti continuatio inſtitutionis illius illatura: ſtatim atque emerget in piis iſtis Traditionibus nota ulla falſitatis, ſatis erit, in hoc veluti Regulæ hujus vallum ſe recipere, ut difficultates omnes de medio tollantur, quæ ſuppoſitionem ejus poſſent aperire.

Animadverſiones ad illuſtrandam regulam iſtam.

Quo itaque ſcrupulos omnes evellamus, qui de poſtrema hac lege in alieujus animo reſidere poſſunt, duo ſunt animadvertenda. Primum ſit, notas omnes mendacii, in regulis iſtis comprehenſas, non eſſe ejuſdem firmitatis. Aliquando multas in unum eoire neceſſe eſt, aliquando unam vel duas afferre ſatis eſt ſuperque, ut pia Traditio aliqua explodatur. Alterum erit, multifariam dividi Traditiones pias. Quædam præſeferunt quoddam veritatis *moraliter* certæ, aut maximæ probabilitatis genus. Aliæ minorem habent ſpeciem ſimilitudinis cum vero, & magis dubiæ videntur, quanquam de ipſarum ſuppoſitione nequaquam conſtet; ceteræ denique ad Critices monita revocatæ, certiſſima falſitatis indicia præbent.

Via & ratio, qua uſa Eccleſia eſt.

Cum extant probationes claræ & certæ, immo etiam una quæ rem efficiat, de piæ Traditionis fallacia, & ratione admodum incerta, poſſumus & debemus citra dubitationem, illam, ut eſt, hujuſmodi recognoſcere; quæcumque demum populis offenſio naſcatur. Hoc pacto geſſerunt Concilia, ubi ſanxere, examinandas eſſe diligenter pias Fidelium opiniones de quibuſdam vetuſtis uſibus, portentis, revelationibus, Reliquiis, Sanctorum *Legendis*; omniaque delenda, de quorum falſitate Præſules convincerentur, quin ſolliciti eſſent, num hæc detractio populis perturbationem afferre poſſet. Id unum ipſis præ oculis erat, ut pravos tollerent uſus; rati, multo majora, quam dici poſſit, emolumenta Eccleſiam facturam ab hac via & ratione agendi, ſi hoc pacto oſtenderet, ſe aſpernari apocrypha & mendacia; neque pati poſſe, Traditiones iſtas populares occaſionem præbere hominibus ſimplicibus & rudibus decipiendis.

Illius exemplum.

Sanctus Martinus Archiepiſcopus Turonenſis diruendum juſſit Altare; quod falſo cuidam Martyri plebs indocta & ſuperſtitioſa erexerat. At enim quas adhibuit proviſiones, ut id præſtaret? Succurrit ipſi de Martyre iſto dubitare, pii cultus hujuſce originem ſcrutatur, nihilque tutum deprehendens in conſtanti aliqua Traditione, abſtinet aliquandiu ab eo loco, cum nollet vel pietati huic vulgari nocere ex ea, in qua erat dubitatione, neque temere populi opinione deferre, veritus ne fortaſſe ſuperſtitionem aliquam ſuo exemplo firmaret. Quid porro egit tanta in ambiguitate? Ad ſepulchrum jactati hujus Martyris ſe confert, ad Deum fundit preces, ut ſibi lumen immitteret, quo de homine, illiuſque merito, qui venerabatur ibi, certior fieret. Cum autem illi aperuiſſet Deus Reliquiæ illius ſuppoſitionem, imperavit, ut Martyris illius jactati Sepulchrum de-

ſtruc-

ſtrueretur. *Martinus juſſit, ex eo loco altare, quod ibi fuerat, ſubmoveri; atque ita populum ſuperſtitionis illius abſolvit errore.* Sulp. Sev. in Vita S. Mart. c. 8.

Doctor Juſſanus ex Congregatione Oblatorum S. Ambroſii, in ſexto Libro de Geſtis S. Caroli Borromæi narrat, Sanctum Virum iſtum, viſitantem Eccleſiam Lianenſem in ora Lacus Benaci, certiorem factum fuiſſe prope Eccleſiam illam extare ſepulchrum quoddam marmoreum Reliquiis plenum, quæ Sanctorum veneratione colebantur. Rumor erat, in Pervigilio S. Petri ad Vincula manaſſe reliquias iſtas vi tanta aquarum, ut Feretrum impleretur; & quanquam plurimi e proximis locis confluerent ad hauriendam aquam, nihil tamen minuebatur ipſa, ſed monumentum ſemper plenum erat. Quod cum diligenter & circumſpecto judicio Divus Carolus dijudicaſſet, & deprehendiſſet, ſub re non modicam illuſionem latere, fodi juſſit, atque in foveam illam cum Reliquias tum feretrum ipſum inferri, ut impoſterum omnis euiliber illas colendi occaſio adimeretur.

Habeto tertium vigilantiæ hujus Paſtoralis exemplum, quod quamvis recentius, non eſt tamen aliis duobus minus illuſtre. Pendebat olim a ſummo fornice Eccleſiæ Parochialis S. Bommerii in Diœceſi Cenomanenſi ſepulchrum altitudinis ſeſquipedalis, quod a diuturno tempore S. hujus Confeſſoris eſſe arbitrabantur. Sanctus iſte florebat ætate D. Innocentii Epiſcopi Cœnomanenſis ſub Childeberto Galliarum Rege. Populi oraturi ad illud confluebant, vota ſua offerebant, immo thus ipſi in feſtivitatibus ſolemnibus adolebant. Porro cum Eccleſiæ hujus Parochus in ſuſpicionem veniſſet, illud ibi amplius non eſſe *, ſupplex libellum dedit ad Epiſcopum Cœnomanenſem, qui re per eruditos & claros homines diligenter excuſſa, Decretum edidit die 23. Decembris anni 1676., quod his verbis confectum fuit: *Decrevimus, itemque decernimus, everti ſepulchrum illud, atque aggere obrui. Solvimus autem Parochum, ejus Succeſſores, alioſque eorum a lege Thuris ipſi adolendi, aliaſque ceremonias in more antea poſitas præſtandi.* Paruerunt Decreto; error a populis ſublatus eſt, in quem a majoribus ſuis inducti fuerant. Decretum Epiſcopi Cœnomanenſis.

Audiſtis quam viam & rationem ſecuti ſunt præclari Præſules illi, ſtatim atque argumenta conſtantia ipſis non defuerunt de errore populorum illorum; quin morem ullum gererent querelis, quas habere potuiſſent; quaſi vero ipſis auferretur falſæ pietatis ſuæ monumentum. Nihili fecerunt, alios de ipſis dicturos eſſe, illos pias Traditiones exterminare, quas a majoribus ſuis acceperant; Religionem ipſam attingere, cum aliqua pie-

* Sanctus hic ſtatim humatus fuit in quadam Eccleſia Cœnomanorum inferiorum, vocata ab ejus nomine *S. Bommerius*. Corpus ejus dehinc Auguſtomagum translatum fuit in Eccleſiam *Collegiatam* S. Freimbaldi, ubi jacet integrum præter aliqua parva oſſa, uti narrat Boudonnetus in Vitis Epiſcoporum Cœnomanenſium.

ta-

tatis Fidelium argumenta tollebant; funditus perdere Reliquiarum fidem; & peregrinationes ad Loca ſancta; Eccleſiæ demum offenſionem non modicam afferre. Perſuaſum nanque erat ſapientibus Viris iſtis, conducere magis ad ſolidam pietatem, ex agro Eccleſiæ ſuperſtitionem evellere, atque in illo cultus ſacri integritatem ſtatuere, quam rationem habere jactatæ hujus in rudi plebe, falſiſque pietatis ſtudioſis offenſionis. Quod egregium pronunciatum a Celeſtino Pontifice didicerant. *Docendus eſt populus, non ſequendus; noſque ſi neſciant, eos quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his conſenſum præbere debemus.*

Can. Docendus diſt. 62.

Idem tamen ſentiendum non eſt de piis Traditionibus, quæ leves habent notas ſuppoſitionis, quarum vitia dubitandi de ipſis anſam præbeant: donec etenim aliquam afferunt opiniones iſtæ probabilitatem, fas eſt nobis illas ſuſcipere. Quanquam etiam non carerent difficultate, & mendis aliquibus affiecrentur, quæ Regulis iſtis adverſantur; non expedit ſecundum poſtremam hanc enunciationem, eas omnino rejicere: antequam diligenter expendamus, anne conſuetudinum iſtarum ſuppreſſio majorem afferret offenſionem, quam falſus uſus ſummovendus.

Quare quandiu piæ iſtæ Traditiones medium veluti locum obtinebunt inter certam veritatem & falſitatem, videlicet probabiles erunt; tandiu licebit illas pie amplecti, non quidem tanquam inſtitutiones, de quibus dubitare nefas ſit, ſed tanquam ſanctos mores, quibus veri ſpecies aliqua nequaquam deeſt. Itaque obſervationum iſtarum continuatio nihil præſeſert fidei aut bonis moribus adverſum, immo opportunitatem habet ad fideles pietate imbuendos, quibus ipſi privari non poſſent ſine aliquo tumultu; cum e contrario in illarum exercitatione nullus ſit pravus uſus, aut ſuperſtitio.

Tres conditiones, ut piam opinionem aliquam recipiamus.

Porro tametſi errore quodam facti contingeret, falſas eſſe Traditiones iſtas, nullo tamen pacto pietati fidelium nocerent, dummodo tres iſtæ conditiones, antequam recipiantur, adhiberemus. Prima pro rato ſemper habet bonam in Eccleſia fidem, quæ nobis illas exhibet, vel permittit. De qua ſane ancipites eſſe non poſſumus; quandoquidem certo certius eſt, Pontifices atque Epiſcopos, monumenta Eccleſiaſtica, in quibus de piis Traditionibus mentio fit, non probaſſe, niſi proviſionibus multis adhibitis, & niſi perſuaſum habuerint, nihil extare melius aut tutius, cui adhærerent. Altera flagitat demiſſum obſequium & bonam fidem ab iis, qui inſtitutionibus & Factis iſtis aſſentiuntur, & perfectam animi affectionem illa deferendi, quoties prodeat error, & de illo convincantur. Tertia denique conditio eſt, Traditiones, mores, & Hiſtorias iſtas ſatis eſſe teſtatas; atque objecta, quæ in illa moveri poſſunt, non deſtruere adeo omnem illarum probabilitatem, ut de falſitate conſtare faciant; quanquam

quam alias affirmare conſtanter nequeamus, illas certas eſſe & germanas. Doctrina hæc reſpondet apprime egregio Doctiſſimi Gerſonis pronunciato in Tractatu, qui inſcribitur: *Declaratio veritatum, quæ credendæ ſunt de neceſſitate ſalutis.* Ita ipſe loquitur.

Excellens Regula Gerſonis. Tom. 1. col. 24. nova Edit.

Sextus gradus. Demum in ſexto gradu collocantur veritates illæ, quæ tantummodo faciunt ad nutriendam vel fovendam devotionem, Religioſamque pietatem, quæ ſcilicet magis inducuntur ad inflammandum affectum, quam ad inſtruendum intellectum; ubi pietas devota magis aſpicitur, quam veritas certa; ubi hoc unum reprobatur, ſi adeſſet aſſertionis temeritas; priuſquam elucidaretur alio modo per Eccleſiam, vel rationem certam ipſa veritas, aut ſi ſuperſtitionem, hoc eſt religionem ſuperfluam, aut noxiam, aut vanam induceret. Unde ſicut dicit Ariſtoteles: Nihil refert quædam falſa probabiliora eſſe quibuſdam veris; ita nihil refert quædam falſa pie credi, non quidem ea ratione, qua falſa ſunt, vel ſi ſciuntur eſſe falſa, credi poſſunt, procul ſit hoc a pietate Fidelium. Sed cadit exiſtimatio vel pia credulitas non ſuper veritate vel falſitate, ſed tantummodo ſuper apparentia vel probabilitate: & hoc utique non eſt periculoſum vel falſum, quia conſtat de apparentia & probabilitate, dum falſitas vel veritas ignota eſt. Propterea ſapientiſſime dixit Hieronymus, quod de talibus eligibilius eſt pie dubitare, quam temere definire. Sicut ſtat, quodlibet contradictorium eſſe probabile, & unum ſtat cum altero non veritate, ſed probabilitate. Exemplificari poteſt de corporibus Sanctorum, aut membris, quæ conſervantur pro Reliquiis: nam idem corpus cum membris aſſeritur eſſe in multis locis, & tanquam tale veneratur, prout dicitur de Capite S. Joannis Baptiſtæ, de Brachio S. Antonii; qui enim veneratur iſta in loco illo, non credit eſſe in alio; alius autem e contra. Sic diverſis reſpectibus utrumque contradictorium credi poteſt cum fidei pietate, dum tamen ſit animus ab aſſertione pertinaci alienus. Reſpicit autem iſte gradus Legendas & Miracula Sanctorum, Vitas Patrum, Viſiones, necnon Phantaſias Religioſorum & devotarum perſonarum, recitationes & opiniones ſacrorum Doctorum, quæ omnia ſuſcipit Eccleſia, & legi permittit; non quod determinet talia de neceſſitate ſalutis eſſe credenda, ſed quia proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium, & in ædificationem ipſorum; dum in talibus nihil de certitudine ſcitur eſſe falſum, quamvis etiam neſciatur illud certitudinaliter eſſe verum; quod nec oportet, nec ut tale credendum proponitur, ita quod magis hic attenditur id, quod pia recogitatione fieri potuit, quam illud, quod factum eſt.

Locum iſtum iiſdem, quibus Autor, retuli verbis, quod non ſolum aptus ſit regulæ, quam expendimus, confirmandæ; ſed oſtendat quanta ſit animi moderatio adhibenda, ubi de piis opinionibus tollendis quæſtio

eſt. Quemadmodum etenim non licet illas recipere, niſi æqua ratione fultæ ſint, non ſecus ſine firmis argumentis haud ſunt rejiciendæ. Neque item æquum eſt poſtulare, ut pateat veritas certa ipſarum, ſed probabilibus momentis contenti eſſe debemus. Porro quandiu perſpicuæ non erunt veritas ipſarum & falſitas, prudentis hominis nequaquam erit, eas in contemtum adducere, neque Fidelibus parva hæc pietatis ipſorum fulcimenta ſubtrahere; quod nihil niſi perturbationem ipſis afferret, ſi ab ipſis auferantur eo obtentu, quod mendacio affectæ eſſe poſſint, pietaſque Chriſtiana rebus tantummodo veris nutrienda ſit. Exemplo nanque Sanctorum Patrum, ipſaque Eccleſiæ via & ratione agendi compertum habemus, ea omnia, quæ ob pietatem excitandam nobis propoſuerunt, Dogmata Fidei non eſſe, neque Moralis Chriſtianæ doctrinæ principia, quæ hujuſmodi eſſe debent, ut ſubverti non poſſint.

Denique non eſt, cur illuſtres Critici noſtri conquerantur, ubi clamamus adverſum Critices eorum ſeveritatem de piis opinionibus, quas admittimus, præſtolantes, eos concluſis rationibus hunc errorem ab univerſis depellere. At vero quandiu ſtabit demiſſa alacritas rejiciendi illas, ſi quando Eccleſia & Epiſcopi mentem ſuam de malo rerum iſtarum uſu explicabunt, ut ſæpe contigit, tum pravos mores tollentes, atque anſam ſuperſtitionis de Sanctorum miris Factis atque Reliquiis; tum Libros explodentes, qui fabulas complectuntur, aut loca mendoſa delentes; tum denique Martyrologia, Breviaria &c. retractari jubentes: quandiu, inquam, ita affecti erimus & parati, abeſt a periculo pias haſce Traditiones amplecti.

Reſponſa ad quædam objecta, quæ ſuper regulis iſtis propoſita ſunt in Ephemeride Litteraria Hagæ Comitum.

Eruditi Ephemeridis Litterariæ Scriptores * ſpecimen dederunt Operis inſcripti: *Animadverſiones in Regulas, & Uſum Critices*. Sub finem hujus ſpeciminis afferunt fide ingenua multas Critices præceptiones de Veterum autoritate, quod attinet ad Facta, collatorum inter ſe, & conditionibus intimis ſuis affectorum. His addiderunt regulas de Conjectura, nec non illas, quæ ad Traditionem atque Eccleſiæ uſum ſpectant; ſunt autem eædem quæ a nobis modo illuſtratæ ſunt. Poſt illas hanc poſuerunt Sapientes iſti animadverſionem. *Poterit Lector regulas haſce conferre inter*

In Ephem. Lit. menſ. Novembr.

* Primus hujus Ephemeridis Litterariæ Tomus complectitur menſes Maii & Junii anni 1713. Prodeunt altero quoque menſe, & typis ſubductæ ſunt Hagæ Comitum apud Johuſſon.

ſe,

ſe, & decernere; nonne ſit ex iis ulla, ſatis recta, ſit venia verbo, qua uti quis poſſit ad ceteras reſtituendas; vel utrum ex complexione omnium Legum iſtarum id eruere poſſimus, quod veritatem morali ratione certam appellamus. & Decembris 1713. pag. 432. Gall.

Animadverſio hæc duas in ſeſe continet difficultates. Verum quoniam eruditus Ephemeridis Scriptor non ſatis indicavit, an ipſius obſervatio verſetur ſuper omnibus Critices regulis, quæ locum habent in poſtrema Diſſertatione Tractatus *Animadverſionum in Regulas & Uſum Critices*; an vero loquatur de iis, quæ pias Traditiones attingunt; iccirco reſponſa, quæ ſequuntur, accommodata erunt ad ejus animadverſionem extricandam, ſive in univerſum ad Leges omnes, ſive ſingillatim ad poſtremas illas feratur. Animadverſio hæc duabus conſtat difficultatibus.

Interrogat ſtatim, *nonne ſit ex iis ulla, ſatis recta, qua uti quis poſſit ad ceteras reſtituendas*. Oportet meminiſſe 1. Regulas Critices ſeorſim ſumtas eſſe inſtar exiguarum faecularum, quæ ſimul poſitæ lumen magnum conſtituunt ad verum & falſum internoſcendum. 2. Proprium uniuſcujuſque ex parvis hiſce faculis uſum eſſe, illuminare quatenus poſſunt ſecundum ordinem, in quo ſedem habet in Republica Critica. 3. Quamlibet ex hiſce admonitionibus ſatis rectam eſſe ad ſervandam regulæ conditionem ſecundum claſſem, in quam cooptata eſt. Difficultas prima.

Quibus præhabitis conſiderationibus reſpondemus, præcepta Critices in unum coacta conducere, unumquodque vi peculiari ſua, ad veritatem extricandam a mendacio; ſed ſeorſim non ſatis habere claritatis adaugendam, immo nequidem ſervandam aliorum lucem. Ne ipſa quidem ipſorum natura fert, ut proprium in alia viciſſim lumen inferant, ſed tantum ut invicem conjungantur ad producendum effectum, cujus gratia a Criticis edita ſunt. Ipſorum rectitudo, quæcunque demum eſt, propoſitum habet mentem illuſtrandi, non vero ſemetipſa viciſſim inſtaurandi. Denique omnia cum in univerſum tum ſingillatim nihil afferunt niſi circumſtantias & vias diverſas ad inveniendam, luminibus illis conjunctis, veritatem. Nullum eſt, quod aliis emineat, neque ſatis, ut ita dicam, recti habeat ad ea reſtituenda. Reſponſum.

Regula hæc, quam adhibere vellent ad alias reficiendas, vel deberet eſſe generalis, vel partieularis. Regula ſingularis, quæ nullum primatum habet, aut influxum in alias, quæ ab ipſis disjuncta eſt, & in alio ordine conſtituta, carebit ſane hoc Privilegio. Enim vero qui Leges pro MSS. conditæ, aptæ erunt, ut alias, quæ ad ſtylum attinent, reficiant? Quæ autem ſtylum attingunt, nihil commune habent cum illis, quæ conſtitutæ ſunt de argumento negante, de temporibus, & Dogmatibus: quandoquidem nullum eſt ipſis jus viciſſim ſuper ſe. Nulla eſt regula Critica, qua ceteras moderari poſſimus.

Nulla itaque peculiaris regula eſt, quæ facultatem habeat ceteras emendandi.

Nemo Criticorum hanc regulam cognovit.

Critici peritiſſimi, iidemque heterodoxi, Hypperius, Rivetus, Cavius, Scultetus, Clericus, Baſnagius, aliique nuſpiam, quod noverim, de hac generali regula meminerunt, quæ recta adeo eſſet, aliiſque præſtantior, ut illas corrigere poſſet. Reſpublica porro Litteratorum gratiam habebit Scriptoribus Ephemeridum Hagæ comitenſium, ſi hactenus vellent ipſi gratificari, ut novum hoc inventum in vulgus ederent. At perſuaſum habeo, excellentem regulam iſtam adhuc latuiſſe; & magnopere vereor, ne diu quoque impoſterum lateat; niſi ſi Criciti iſti præclari eam in publicum afferant.

Princeps regula Dupini non eſt ſatis.

Verum, inquient, nunquid non Dupinus regulam quandam generalem nos docuit, quam *Principem* vocat? Quare autem non poterit hæc alias inſtaurare? quandoquidem ſine ſubſidio *principis* hujus Regulæ non poſſemus accuratum judicium habere de Operibus, de Hiſtoriis, quanquam omnibus ſingularibus Critices monitis uteremur? Atqui, præterquamquod oſtendimus alias *principem* regulam iſtam non eſſe aliis minus ambiguam aut incertam, excogitata non eſt, ut aliæ per ipſam caſtigarentur, ſed ut conjecturas omnes pro utraque parte in trutina ſuſpenderentur. Quapropter regula hæc *princeps* pro certo ponit, alias omnes veluti privatas rectas eſſe, & ad probandum accommodatas, neque ipſis rectitudinem, vel ad probandum vim communicat. Deinde ſciſcitamur ab eruditis iſtis Autoribus Ephemeridum, an regula hæc alias inſtauratura, effundat virtutem ſuam in præcepta Critices de omnibus argumentis, vel ſuper illa, quæ rem aliquam ſingularem attingunt. Certum eſt, reperiri non poſſe regulam iſtam in priore ſignificatione: Quod ſi in altera accipiamus regulæ hujus efficacitatem, neceſſum eſſet, quodlibet argumentum Criticum peculiarem quandam regulam habere, ut alias ejuſdem generis renovaret; adeoque oporteret, regulam iſtam multiplicare. At enim quænam erit hæc de unoquoque argumento? Præſtolamur notitiam ejus.

Animadv. in reg. & uſum Crit. Tom. 1. Diſſ. III. art. 12.

Libenter igitur profiteor, me nullam ex iis regulis, quas attuli pro delectu piarum Traditionum, quæque in eadem Diſſertatione leguntur; iis affectam dotibus agnoſcere, ut ad alias reficiendas uſum habere poſſit. Neque vero intelligo, quid detrimenti conſequatur ex eo, quod nulla ſit ex recitatis præceptio, quæ tanta virtute præſtet; immo haud aſſequor, id neceſſitatem ullam habere. Nonne ſatis eſt, unamquamque regulam ſingillatim lumen ſuum effundere, ut cum aliis adjungitur, tantam afferat lucem, quæ dignoſcendis ſuperſtitione & mendacio ſatis eſſe poſſit. Si vero quidpiam melius penes ſe habeant Scriptores Ephemeridum, nos voluptate incredibili doctrinis eorum proficiemus.

Du-

Dubitant ſecundo loco: *utrum ex complexione omnium Legum iſtarum id eruere poſſimus, quod veritatem morali ratione certam appellamus.* Ut difficultati huic obviam eamus, ſatis erit hue traducere, quæ in prima regula de certa hac veritate morali conſtituimus. Si hæc fundamentum habeat in unanimi Scriptorum cujuſvis ætatis conſenſu, qui firmiter adeo de re teſtantur, ut fieri morali modo non poſſit, eos capi; quod revera veritatem *moraliter* certam efficit, quæ ad veritatem Phyſice aut Geometriee certam accedit: In hoc ſenſu convenit per me, regulas pro delectu piarum Traditionum hoc moraiis veritatis certæ genus non parere, niſi unanimi Scriptorum conſenſioni innitatur. Verum quanquam raro admodum Leges iſtæ afferant hanc certam rationem, non tamen minus excellunt, quam aliæ Criticæ præceptiones; quandoquidem neque iſtæ in ſignificatione aiiata moralem certam veritatem enunciant. Altera difficultas.

Si vero quæſtio ſit de veritate *moraliter* certa, quæ ſita eſt in majori probabilitate ad minorem aliam relata; affirmare poſſumus, regulas, ad pias opiniones vetuſtas ſpectantes, nihil habere minus commodi ad munus iſtud præſtandum, quam ceteræ Critices regulæ: uti pronunciare poterit quiſque ex ea ratione, qua ipſis impoſterum utemur.

Ephemeridum iſtarum Scriptores aliud animadverterunt in Diſſertationis iliius ſynopſi, quod ſpero illos moleſte non laturos, me hoc loci afferre, præſertim cum ad Traditiones pertineat, quarum Leges ſuperius conſtitui. In eo laboravi, ut oſtenderem, autoritati & conjecturæ, duobus nimirum Critices fundamentis, in rem eſſe alia duo addere principia, videlicet Traditionem, & mores paſſim in Eccleſia univerſa, vel ſinguiari aliqua receptos. Jactis duobus hiſce principiis, & argumentis, ut mihi viſus ſum, ſatis firmis munitis, ſtudui diligenter, ut objectis, quæ in hæc duo principia moveri poſſent, reſponderem. Sæpius dixi, Traditionem, de qua loquor, probabilem tantummodo efficere probationem; eam non attingere niſi Facta, quæ aliquando ſuppoſititia ſunt; addo inſuper Eccleſiam nunquam exiſtimaſſe, falli ſe non poſſe in Martyroiogio, in Breviario, atque in aliis Libris ſuis uſibus deſignatis; quoniam ſæpe cognovit vitioſos illos fuiſſe, & ſæpe illorum caſtigandorum decretum habuit. Quamquam igitur multis in locis Diſſertationis illius principia iſta poſuerim; nihilo ſecius præſtantes Scriptores noſtri ſequentem animadverſionem fecerunt. Alia Scriptorum iſtorum animadverſio. *Animadv in reg. Crit. Diſſertat. IV. art. 9.*

Quod vero ſatis incommode cadit, eſt, exemplis ipſis Autoris huius perſpicuum fieri, Traditionem Eccleſiæ vitioſam eſſe, ipſamque ſæpius Pontificum juſſu Dyptica ſua emendanda, atque reformanda curaſſe.

Verba iſta *Traditio Eccleſiæ* hoc loci videntur ambigua. Si Viri iſti intelligunt voces haſce ea, qua nos uſi in Diſſertatione, & Univerſo Ope- Verba iſta *Traditio Eccleſiæ* ambigua ſunt.

re

re ſumus, ſignificatione; nos ultro concedimus, Traditionem Criticam, pias Fidelium opiniones, conſuetudines, ſanctos Mores, & Facta hiſtorica ſimilia, de quibus modo, eſſe poſſe, & non ſemel eſſe mendacia. Neque item ægrius fatemur, menda quædam in Libris ab Eccleſia Fidelium uſui deſignatis irrepſiſſe, & fortaſſe nondum ſublata fuiſſe adverſus Hiſtoriam, Chronologiam, & Grammaticen; quandoquidem imperavit, ut a vitiis, quæ in illos, ſe invita, irrepere potuerint, expurgarentur.

Quod ſi animadverſionis ſenſus eſt, *Traditionem Eccleſiæ* de Dogmatibus & bonis moribus falli poſſe, immo *vitioſam* eſſe: tum enixe oro peritos hoſce Ephemeridum Scriptores, ut opus meum perlegant, & deprehendant, me *de Traditione Eccleſiæ* non loqui hoc intellectu. Me itaque adverſus mentem meam loquentem induxiſſent, & Proteſtantium inſtar, ſi vocibus iſtis *Traditio Eccleſiæ* innuere voluiſſent ea, quæ attinent ad Fidem & bonos mores. In hac etenim interpretatione ſecundum Religionis Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ principia confiteor, *Traditionem Eccleſiæ* ita certam eſſe, & fallere non poſſe, ut certa eſt, & non fallitur Scriptura Sancta.

Quid reſpondere poſſit Scriptor Ephemeridum.

Si vero Autor animadverſionis reſponderet, ſe animum non habuiſſe aſſerendi verbis meis hæreticam iſtam ſignificationem: quare non mollivit, aut explicavit verba iſta: *Traditio Eccleſiæ*. Quare ambiguitatem hujuſmodi reliquit, quæ duas ſpecies adeo diverſas ante oculos ponit: idque eo magis, quo mentem meam tot modis, & claritate aperio, ut fieri non poſſe mihi videar, de illa aliquem ambigere. Autor quidem ratione aliqua moveri potuit, ut in eo lumine verba mea collocaret; ſed ne in intima ejus ſenſa paullo altius penetremus, mihi videre videor, ea quæ ſequuntur, ſatis id aperire: *Honoratus a S. Maria*, ita loquitur, *multa quidem obiicit ipſe ſibi ſuper hac re; at mihi videtur ille reſpondere magis inſtar ejus, qui vellet verum eſſe id, quod propugnat, quam ejus, qui perſpicue certam rei veritatem cognoſcat*. Quænam eſt res iſta, ſuper qua multa mihi ipſe objicio? Nulla ſane alia, niſi ut duo principia confirmem, quæ contendo addenda eſſe autoritati & conjecturæ; utque demonſtrem, argumenta, quæ contra feruntur, leviora eſſe, ut probationes commovere poſſint, quibus duo nova Critices principia ſuperſtruxi.

Non aſſecutus eſt probe autoris mentem.

At enim videtur animadverſio longius tendere. Supervacaneum nanque erat dicere, videri Scriptori Ephemeridum, *me reſpondere potius inſtar ejus, qui vellet id, quod propugnat, verum eſſe, quam ejus, qui perſpicue certam rei veritatem agnoſcat*. Supervacaneum, inquam, erat, hæc poſtrema verba ſubjungere, ſi negotium non eſſet niſi de Traditionibus & moribus Eccleſiæ, quatenus illos in Principiorum Criticorum ordinem redigo; eum non ſatis habeam velle, id, quod propugno, verum eſſe; ſed

af-

afferam in medium probationes, ut mihi videor, ſolidiſſimas, quibuſque fortaſſe nemo poterit reſpondere. Ex quo illud conſequitur, me reſpondere inſtar hominis, qui perſpicue eorum, quæ tradit, certam, ut fieri poteſt, veritatem agnoſcit. Qua de re genuinus ſenſus, quem animadverſio in animum ingerit, videtur eſſe, me multa quidem mihi objicere ſuper hac re, nimirum, ut purgem *Traditionem* de Dogmatibus & Moribus *a vitiis*; interim dum vehementer potius opto, id verum eſſe, quam ejus certam veritatem cognoſcam. Quod porro nemo mihi affingere poteſt, quin me a Religionis & Eccleſiæ Catholicæ principiis memetipſum abdicantem inducat.

Etſi autem ſenſus hic is non ſit, quem mihi tribuant, inficiari tamen nemo poterit, eundem eſſe poſſe, immo debere, citra quam vel exiguam animadverſionis vocibus vim afferamus: videtur etiam ſenſus eſſe, qui magis verborum illorum naturæ reſpondeat. Illud certe verum eſt, verba hæc *Traditio Eccleſiæ* id genus ambiguitatis parere, quod in re adeo gravi & circumſpecta vitandum diligenter erat.

Si Animadverſiones meæ rectæ non ſunt, eas jam nunc condemno; ſi vero æquitate & firmitate præſtant, nullo ſane pacto animus eſt, quidpiam conſiderationum illarum Scriptoribus exprobrare. Recti moderationis fines, quos ſibi circumſcribere fidem ſuam publice obligarunt Autores Ephemeridum Hagæ Comitum, in cauſsa eſſe poſſunt, quare credamus, vitium, quodcumque hac in re ſubeſt, a manibus potius, quam ab animo profectum eſſe: & fiducia, quam dederunt, ſe contentos fore in re Theologica, compendium fideliter exhibere, & opiniones in clariſſimo lumine collocare; fiducia, inquam, iſta nobis perſuadere poteſt, eos, ſi in hiſce adnotationibus quid peccarunt, citius imprudentia, quam Religionis præjudicio peccaſſe. Ceterum propoſitum non eſt, me Criticum agentem in Diſputationibus Dogmaticis implicare. Neque vero animadverſiones iſtas attexuiſſem; niſi moderatione Scriptorum iſtorum ſingulari inductus, in ſpem fuiſſem fore, ut impoſterum diligentius attendant rebus, quæ ſub ſpecie Critica Religionis negotium attingere poſſunt. Quandoquidem ſi liceat illius cavillationibus nonnihil concedere, ingenuo Viro catholico nefas eſt tacere, quoties aggreditur hæc poſtrema.

Mens Autoris.

In Præfatione.

ANIMADVERSIONES IN REGULAS, ET USUM CRITICES.

LIBER SECUNDUS.

DE ORACULIS,

Quæ Jeſu Chriſti Nativitatem præceſſerunt.

DISSERTATIO PRIMA,

Expenditur, nonne Dæmones in Paganorum Oraculis negotium aliquod habuerint.

ARTICULUS PRIMUS.

De Origine Oraculorum, & quid inter illa, & Magiam interſit.

Origo Oraculorum incerta eſt.

NON vacat difficultate tempus verum, quo Paganorum Oracula exordium habuerunt, indicare: Ferunt tamen, ipſis eundem cum Idolatria ortum fuiſſe. In qua quidem opinione ſunt Eccleſiæ Patres & Theologi, qui Dæmonum præſtigiis Paganiſmi progreſſus tribuunt. Non deſunt, qui Oraculorum originem ad Diluvium uſque traducant. Si nanque fides Ovidio eſt, Deucalion & Pyrrha Oraculum Themis conſultum iverunt poſt Univerſi inundationem, quæ contigit ipſorum ætate. Plutarcus autem in Pyrrho contendit, Deucalionem & Pyrrham pro inſtauratione generis humani in Epirum

tum ſe contuliſſe, ut Oraculum Dodonæ, ſive Jovis Dodonæi, quod antiquiſſimum omnium habetur, conſulerent; quanquam Autores, qui Oraculi hujus meminerunt, de loco, in quo erat, diſſentiant. Quidam enim illud in Epiro, alii in Theſſalia, & ceteri in Peloponneſo conſtituunt.

Herodotus in Libro *Euterpes* inſcripto, Oraculorum originem repetit a duabus fœminis Thebanis in Ægypto, quæ a Phœnicibus educatæ fuerant, & altera in Græcia, altera in Lybia venditæ. Addit, Sacerdotes Dodonæ dicere ſolitos, utraſque fœminas iſtas duas columbas nigras fuiſſe, quarum altera apud ipſos ſedem poſuerat. Columba hæc aſſidens in quercu, loqui audita eſt, & dicere, eo loci opus eſſe Oraculum Jovi erigere; quod Sacerdotes illico præſtiterunt, rati id Deorum nomine ſibi nunciatum eſſe. Quod eſt alterius Columbæ, quæ in Lybiam ſe tranſtulit, opportunitatem præbuit hæc conſtituendi in Africa Oraculum Jovis Ammonis.

Tametſi vero nullam hiſtoria hæc veritatis ſpeciem habeat, & manifeſto fabulam redoleat, non eſt tamen ambigendi locus, Oraculorum Paganorum originem eſſe vetuſtam; de illa nanque Homerus, Autorum Paganorum unus ex antiquioribus, mentionem fecit. Producit ſiquidem in medium Oraculum Dodonenſe, quod per Quercum edebatur, & narrat 14. Odiſſeæ Libro, Uliſſem ab eo conſilium petiiſſe. Alio quoque loco memorat Oraculum Apollinis, quod erat in Templo Delphi, quæ erat urbs Phocidis in Græcia; atque Oraculum Agamemnoni redditum affert. Convenit inter omnes, ex Ægypto Oraculorum omnium originem eſſe petendam, ab Ægyptiis enim ad Græcos, atque ab his ad Romanos manarunt. Oracula vetuſta ſunt. *Odiſſ. l. 8.*

Oracula celeberrima, præter ea de quibus hactenus, erant illud Serapidis Alexandriæ in Ægypto; Apollinis Clarii prope Colophonem, Urbem Joniæ in Aſia Minori; Trophonii in Boetia; atque Eſculapii quod Romæ erat, cujuſque Inſcriptionem Gruterus affert. Nihil dico de Deo Vaticano, cujus meminit Aulus Gellius, neque de aliis apud Romanos; ſi nanque audiendi Autores ſunt, neſcio, an ulla Græciæ Provincia, ne dempta quidem Boetia tot Oraculis clara, poſſet plura ſuppeditare. De quo facile eſt judicium ferre ex iis, quæ Scriptores recenſent, quorum celeberrima hæc ſunt. Oracula celeberrima. *Grut. Inſcr. p. 71. Aul. Gell. noct. Attic. l. 6. c. 18.*

Præter Oraculum Geryonis, de quo Svetonius, quodque prope Patavium erat; Strabo mentionem habet ejus, quod erat in Subterraneis Cumæ; Herodianus, Apollinis Aquilejæ; Herculis Tiburis, Statius; Apollinis Bajæ, Capitolinus; Podolirii in Calabria, Lieophonius. Quibus addere licet Oraculum Fauni, de quo Virgilius; Martis, relati a Dionyſio Halicarnaſſæo; Dei Clitumnii, quod deſcribit Plinius junior. Neque item præterecundæ ſunt Sortes Præneſtis, Fortunæ Antii, de quibus Svetonius; Ora- Oracula Romanorum.

culum Auguſti; & Jovis cognomine Piſtoris, cujus memoria eſt apud Ovidium, & Lactantium.

Oracula differunt a Magia.

Non debemus Oracula miſcere cum Magia. Quod cum dico, mens non eſt, agere de Magia naturali, quæ miros effectus una vi naturæ producit; neque de Magia artificioſa, quæ induſtria & calliditate hominum parit oſtenta multa: ſed de Magia Diabolica, quæ Magia Nigra appellatur, reſque agit naturæ & artis vires ſuperantes Dæmonum auxilio & miniſterio, cum quibus initur ſingularis ſocietas, quæque ſemper neceſſario pactum aliquod cum pravis Angelis ſupponit. Pluribus in locis Litteræ ſanctæ meminerunt Magorum; nimirum Pharaonis, Manaſſis, Oehoziæ, & Pytoniſſæ, ad quam conſulendam profectus eſt Saul. In novo Teſtamento commemoratur Simon Magus, Bar-Jeſu item Magus, atque alia Pytoniſſa, a qua expulit Paulus Dæmonium, cujus virtute futura divinabat. Porro non modo Biblia ſacra commercium omne cum Dæmonibus, quippe abominatione dignum, interdicunt, verum Concilia quoque anathemate feriunt Magos; Sancti Patres & Hiſtoriei de illis loquuntur, ipſoſque exagitant. Jus denique Civile & Canonicum diverſa ſupplicia in eos decernunt.

Quid veniat nomine Oraculorum.

Oraculorum itaque vocabulo intelligimus falſos Deos, qui reſponſa dabant ſuper his, quæ homines ab ipſis ſciſcitabantur: ſive in illis rem haberent Dæmones, quo venerationem ſibi aquirerent, & ſuperſtitionem augerent; ſive tribuenda ſint calliditati Sacerdotum Paganorum, qui per ſeſe reſponderent ex ore Pythiæ, & rudi plebi imponerent, ac ſi Dæmon vel ſemideus aliquis loquutus fuiſſet; ſive demum, quod Philoſophis nonnullis placuit, id in cauſſas naturales refunderetur. Vox *Oraculum* ſumitur etiam pro reſponſo, quod Deus ille in conſilium vocatus reddebat; aliquando vocabant ſortem *, quod fortaſſe incertæ eſſent reſponſiones.

Internoſcenda igitur Oracula ſunt & Magia. Qua de re ait Fontanella in Præfatione „: Declaro, me Oraculi nomine Magiam non intelligere, „ in qua citra dubium omne locum habent Dæmones: atque adeo nullo „ modo continetur in iis, quæ nos paſſim hac voce explicamus, neque „ interpretatione aput Ethnicos priſcos uſitata, qui partim Oracula cum „ obſequio ſuſcipiebant, partim Magiam, non ſecus atque nos, execra„ bantur „.

* *Quia Juriſconſulti res maxime ſæpe verſas ſorti committebant, ideo & oracula ſortis nomine audiunt.* Dempſter antiq. Rom. l. 2. c. 7. Sveto-nius loquens de Tiberio: *Delphos*, inquit, *ad maxime inclitum in terris oraculum mittere ſtatuit, neque reſponſa ſortium ulli alteri committere auſus.* Sveton. in Tib. c. 14. L. Apul. 5. Mileſiar. *Ducite me, & cui Scopulo ſors adduxit, ſiſtite.* Sidon. Apoll. carm. 5. p. 263. *Si Lycia ſapiunt ſortes.*

A R-

ARTICULUS II.

Multiplex de Oraculorum cauſſa ſententia.

SEcundum notionem Oraculorum a nobis traditam, tres ſententiæ ſatis diſſimiles prodierunt. Prima, quæ plures habet inter Chriſtianos ſectatores, affirmat, Dæmones participes fuiſſe Oraculorum Ethnicorum, eaque a ſeculis jandiu multis penitus ceſſaſſe. Quod mirum ſilentium ex mente Scriptorum Eccleſiaſticorum in Chriſti nativitate ipſis indictum eſt. Omnibus rata & conſtans erat veritas iſta, & pauci admodum ſunt ex iis, qui de Religione ſcripſerunt, qui de Oraculis hoc pacto non ſint locuti, idque de illis non propugnaverint. Quamvis autem diſſidium ſit inter Autores de modo, quo contigit mirum eventum iſtud, nihilo tamen minus, nemo ſuper duobus iſtis ſupremis capitibus diſſenſit. Prima opinio de Oraculis.

Vandalius Medicus Anabaptiſta Harlemhitanus autor eſt ſecundæ opinionis. Aggreſſus nanque eſt ad oſtendendum, omnes ſemper erraſſe & errare adhuc ſuper his duobus Factis; quandoquidem per ipſum mira omnia, quæ de Oraculis narrantur, in Sacerdotum Idolorum verſutiam regerenda ſunt; quæ tandem deſierunt non virtute Jeſu Chriſti, ſed propterea quod ingenia paullatim aciem acuerunt, adeoque Sacerdotum fraude cognita errorem ex animo depoſuerunt. Præclarus Pater Thomaſſinus, ut narrat Fontanella, in hanc ſententiam aliqua ratione deſcendit. Pleraque nanque Oracula vendicat calumniæ hominum; atque in dubium revocat, nonne extiterint Oracula, in quibus negotium habuerint Dæmones, neque certum aliud munus malignis Spiritibus tribuit præter veneficia & Magiam. Denique videtur indicare, finem fuiſſe Oraculorum non tantum propter ſilentium, ipſis a Chriſto extemplo impoſitum, ſed propter Evangelii lumen, quod aliis omnibus majorem claritatem effuderat. *Vandal. Lib. de Orac. Vet. Ethn.* Altera opinio.

Deinde in arenam Fontanella deſcendit, ad Epitomen redigens accuratam Gallica lingua Librum Vandalii, quem pene univerſum adoptavit. Servata nanque rei ſumma, & præcipuo argumento, aliam ipſi formam dedit, pluribus novis probationibus & animadverſionibus ditavit, addidit ornamenta omnia, quæ ſuſcipere poterat, ordinem quendam, circuitum, & ſplendorem, qui certe in majori Scriptoris volumine deſiderantur; quibus ſane ornamentis fit lectio facilior omnibus, & ſuavior. Nihil deerat periti hujus Academici labori, præterquam novitas Paradoxi. Ex ipſa Præfatione confitetur, moleſte ſe tuliſſe, quod ipſi Thomaſſinus gloriam Fontanella Hiſtoria de Oraculis, Gall.

iſtam decerpſerit. Ex eo tempore Proteſtantes multi idem conſilium * amplexati ſunt, cum non deeſſent, ut apparet, ipſis peculiares rationes illud magnificandi. Denique in tertio Colloquio Comitis de Gabalis hæc leguntur: „ Pauco abhinc tempore in quodam Congreſſu, data opera ſu„ per hac re coacto, a Viris præſtantiſſimis conſtitutum eſt, omnia hæc „ jactata Oracula non fuiſſe niſi impotentiam & avaritiam Sacerdotum „ Gentilium, vel Politicum Principum artificium „.

Tertia opinio de Oraculis.

Nemini dubium eſſe poteſt, nonnullos celebres antiquitatis Philoſophos, cum hinc in cognitionem veniſſent, aliquando latere calliditatem in Oraculis, illa deriſiſſe, immo vituperaſſe, & contemtui habuiſſe; cumque illinc deprehendiſſent, quidpiam in ipſis rei naturam excedentis contineri, neque aſſequi principium poſſent eorum, quæ mira & ſupra ordinem in Oraculis videbantur; ſcrutatos eſſe in natura cauſſam effectuum iſtorum, & modos multos id explicandi excogitaſſe. Ariſtoteles, & Peripatetici, Cynici atque Epicuræi afflatum tribuunt quarundam perſonarum temperamento ipſarum triſti, ſive furori, aut naturali ipſarum diſpoſitioni, aut virtuti exhalationum aliquorum terræ locorum, vel tandem fumo e victimis aſcendenti. Ecce itaque tertia de Paganorum Oraculis ſententia.

Quod ſi Vandalius adverſus communem opinionem ſurrexit, Moebius *Decanus* ex Profeſſoribus Theologis Lypſiæ orſus eſt refutare Vandalium; verum cum nonnulla adverſario ſuo conceſſiſſet, putavit Fontanella, ſe inde commoda magna comparare poſſe. Eruditus autem Baltus ** Jeſuita ſtrenue oppugnavit Academici hujus præſtantis Synopſin, ejuſque momenta incidunt eadem vi in Archetypum, in compendium, atque in alia Autorum ſcripta, qui vel propugnarunt Vandalii ſententiam, vel adoptarunt.

Patet Baltus Fontanellam adoruſus eſt.

Ut autem perſuaſum nobis ſit de præſtantia & utilitate Operis P. Baltii, oportet meminiſſe, quæſtionem hanc tria complecti. Primum eſt, reſellere falſas rationes, Patribus Eccleſiæ primiſque Chriſtianis adjudicatas, necnon veras oſtendere, quibus convicti ſunt, ut crederent, Oracula Paganorum a Dæmonibus fuſa eſſe. Alterum concluſe reſpondere autoritatibus, & momentis, quæ afferuntur ad probandum directe, Dæmones Oracula Gentilium non reddidiſſe. Denique palam facere, Oracula hæc poteſtate S. Crucis, ejuſque nominis invocatione poſt adventum Jeſu Chriſti omnino ceſſaſſe.

Opus Baltii refertur ad tria capita.

* Jaquelotius in IV. Diſſert. de Exiſtentia Dei. Belius in Dictionario Critico, voce *Amphilochus*. Anonimus in quodam Scripto, relato Tomo Tertio Bibliothecæ ſelectæ. Autor Reipublicæ Litterariæ in articulo 2. menſis Junii 1707., aliique nonnulli.

** Baltus duas ſuper hac re Tractationes confecit animadverſione dignas. Prima continet reſponſum ad Hiſtoriam Oraculorum Fontanellæ, editam Argentorati 8. anno 1707. Inſequente vero anno conſectarium quoddam dedit, in quo alia Scripta ſuper eadem re vulgata redarguit.

Cum

Cum autem Doctus hic Jeſuita rem ex inſtituto & enucleate agendam ſuſceperit, non eſt animus, eam hic retractare. Quare tametſi fatear me profeciſſe luminibus ſuis, operam tamen dedi, ut ſecundum conſilium meum aliam ſemitam tenerem. Statuo 1. Traditione & conſenſione Eccleſiæ; Dæmones in Oraculis Æthnicorum partem habuiſſe. 2. Poſtquam attuli fundamenta, quibus fulcio vetuſtam hanc opinionem, aut Factum hiſtoricum, ex regulis Criticis oſtendere laboro, ſententiam Fontanellæ propugnari non poſſe, neque fas ipſi fuiſſe ſuper hac quæſtione conſilium capere. Denique in ſpem inducor, me aperuiſſe Paralogiſmos, quibus innititur Academicus hic; & argumentorum ſuorum levitatem per ſemet-ipſam perſpectum iri, ex quo ſublata per me ſit ambiguitas, implicata ſub ſpecie fallaci audacis Critices, argutis leporibus conditæ, atque omni elegantis dictionis ſuco & ſale refertæ, quo illa extra invidiam poni videtur.

Conſilium Diſſertationis hujus.

ARTICULUS III.

Secundum Traditionem Patrum Eccleſiæ, Oracula Paganorum a Dæmonibus reddebantur.

SI Traditionem Eccleſiæ diligenti trutina penſitemus, facile erit in ea reperire argumenta certa, quod reſponſa Oraculorum Æthnicorum opera Dæmonum edebantur. Primus, qui ſeſe inter Scriptores Eccleſiaſticos offerat, Origenes eſt. Pater iſte loquens de Epicureis, in hunc modum fatur: *Sed faciamus non eſſe figmenta hominum, quæ feruntur de afflata numine Pythia, cæteriſque id genus vatibus; videamus an non ſi diligenter rei veritatem expendamus evinci poſſit, etiam ſi maxime ſint oracula, non conſequi neceſſario præeſſe illis numen aliquod, ſed potius quoſdam malos demonas, & ſpiritus infenſos humano generi, opponenteſque ſe animis ad Cœlum per virtutis viam, ac veram pietatem tendentibus, qua redeant ad Deum.*

Patrum Teſtimonia de Oraculis.

Origenes lib. 7. contra Celſum.

In ea eſt Cyprianus opinione, ut credat, pravos Spiritus afflare falſis Gentilium Prophetis, qui Victimarum viſcera introſpiciunt, qui avium volatum regunt, qui ſortes diſponunt, fundunt Oracula, & vero ſemper falſum admiſcent. * Minutius Felix iiſdem ferme ac Cyprianus exprimit

* *Hi ergo Spiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcunt. Hi afflatu ſuo Vatum pectora inſpirant, exterum fibras animant, avium volatum gubernant, ſortes regunt, Oracula efficiunt, falſa veris ſemper involvunt.* Cypr. Lib. de Idol. vanitate.

verbis mentem ſuam. Inquit enim, Dæmonibus tribuenda oracula eſſe; atque omnia Divinationum genera, quæ apud Idololatras in more poſita erant *.

Lib. 8. de Civit. Dei c. 24. S. Auguſtinus ait. *Quid ſunt Idola, niſi quod Scriptura dicit: Oculos habent, & non vident; & quidquid tale de materiis, licet affabre effigiatis, tamen vita ſenſuque carentibus dicendum fuit? Sed immundi Spiritus eiſdem ſimulachris, arte illa nefaria colligati, cultorum ſuorum animas .... miſerabiliter captivaverant.*

Theod. in Pſal. 113. Theodoretus, nihil minus perſpicue loquitur: *Quoniam enim Dæmones, qui per ipſa operabantur, falſiſque vaticinationibus utebantur, non per inanima ſimulachra has proferebant, ſed per homines rationis compotes, vel per nonnulla ſigna aliquid denunciabant; merito inquit Propheta: Non loquuntur in gutture ſuo; immobiles enim, & inanima penitus ſunt huiuſmodi imagines.*

Quandoquidem inferius afferam alia Patrum loca, quæ Traditioni huic ſtatuendæ habere poſſunt opportunitatem; contentus ero hic de nomine indicaſſe alios Scriptores Eccleſiaſticos, queis opinio fuit, Dæmones in Paganorum Oraculis ſeſe inſeruiſſe; uti eſt Athenagoras *in Apologia*; Tertullianus *in Apologetico*; Lactantius *Lib. xi. c. 18.* S. Hieronymus *in Commentariis ſuper Iſaiam Prophetam*; S. Athanaſius *in Tractatu de Incarnatione Filii Dei*; S. Cyrillus Alexandrinus *Comment. in Iſaiam l. 4. Orat. 2.* Ne præteream Euſebium, Joannem Chryſoſtomum, Gregorium Nyſſenum, Sozomenum, & Prudentium *in Apotheoſi adv. Judæos.*

Poſſem equidem Traditionis hujus catenam ad poſtrema uſque tempora ducere, aſt id ſane fruſtra fieret: quoniam univerſe adeo recepta fuit, ut ii ipſi, a quibus impugnatur, fateri non dubitent, ſe defendendum ſuſcepiſſe Paradoxum oppoſitum conſenſioni unanimi Patrum Eccleſiæ, Scriptorum Eccleſiaſticorum cujuſvis ætatis, atque omnium ſine exceptione Chriſtianorum. Vandalius honoris loco ducit aſſerere, ſe neminem ex Scriptoribus reperire, qui Dæmones vel ſecundum partem, vel in univerſum Oraculorum Gentilium autores non exiſtimet **: quod optime animadvertit Belius in ſumma Libri Medici hujus. „ Facinus certe „ Vandalii, inquit, audaciſſimum eſt. Nihil etenim minus complecti-

* *Iſti igitur impuri Spiritus Dæmones a Magis, & Philoſophis, & a Platone ſub ſtatuis & imaginibus conſecrati, deliteſcunt, & afflatu ſuo auctoritatem quaſi præſentis Numinis conſequuntur .... Oracula efficiunt, falſis pluribus involuta.* Minut. Felix in Octavio.

** *Neminem reperio, qui non aut omnino, aut pro parte ſaltem auterem illorum ſtatuat Diabolum ..... ſed quia minime mihi aliorum auctoritati in hac materia innitendum duxi, nihil mihi inde deperiit, quam quod neminem hucuſque invenerim, qui id, quod ego verum ducebam, aut perſpexerit, aut cordate defendere publice auſus .... dum igitur nihil auxilii a talibus tantiſque viris expectandum eſt: Age! ipſi rem arduam multis forte viſam aggrediamur, ac proprio marte propriam noſtram opinionem defendere, ac ſtabilire conemur.* Vandalius Diſs. I. c. 2.

„ tur „

„ tur, quam pene ſolum impugnare, & ictu uno non modo Æthnicos „ priſcos, qui Oracula falſis Diis ſuis tribuebant, ſed etiam uniuſcujuſ- „ que ætatis Chriſtianos, qui ad Dæmones illa detulerunt: quam aggre- „ di ſententiam, fultam præjudicio diuturnæ poſſeſſionis ipſi favente, a- „ lioque magis timendo, nimirum, opinionem de Oraculis, Chriſtiani- „ tatis argumenta firmare „. Nuncii Reipublicæ Litterariæ menſis Martii 1684

Fontanella quoque ab hiſce ſenſis non diſcrepat. Profitetur etenim audacter, mentes hominum diviſas non eſſe, ſed omnes credere, quidpiam naturam excellens in Oraculis extitiſſe. Non inficiatur item, ſe ab opinione eſſe, quæ omnino adverſatur non modo ſententiæ Idololatrarum omnium, & plerorumque Philoſophorum; ſed Autorum Eccleſiaſticorum, & cunctorum ad hæc uſque tempora Chriſtianorum. Fontanella in Præf.

ARTICULUS IV.

Duo priora Traditionis hujus fundamenta.

Videtur Scriptura id innuere; necnon ſilentium, quod Oraculis in Jeſu Chriſti ortu indictum fuit.

QUanquam Divinæ Litteræ Æthnicorum Oraculorum cauſſam aperte non afferant, ea tamen dicunt locis non paucis, quæ nos per ſeſe inducunt, ut credamus, Dæmones Oraculis præfuiſſe. Aliquando ajunt, omnes Gentium Deos eſſe Dæmonia; & quidquid Idolis immolant, Dæmonibus immolare. Aliquando Iſraelitas redarguunt, quod filios ſuos Ammonitarum Idolis ſacrificantes, Dæmonibus mactarent. Loca hæc omnia nunquid haud monent, Dæmones reipſa pleraſque Paganiſmi ſuperſtitiones moderatos fuiſſe? Ac ſi eſt ulla, quæ ſingulari ratione in Dæmones regerenda ſit, nomne erunt Oracula? Pſal. 95. Deut. 32. 17. 1. ad Cor. 10. 20.

Nonne Scriptura eadem refert, Ochoziam conſultum miſiſſe Oraculum Accaron, qui alius non erat a Beelzebub? Si Beelzebub itaque reſpondebat iis, qui de futuris ipſum conſulebant, opus eſt illud Oracula fudiſſe, quæ a Dæmone proficiſci debebant; cum Matthæus nos doceat, Beelzebub Dæmonem fuiſſe, immo Dæmoniorum Principem: *Hic non ejicit Dæmonia, niſi in Beelzebub Principe Dæmoniorum.* Matth. 12. 25. 27.

Verum enim vero nullum eſt validius argumentum, quo compertum habeamus, Dæmones in Idolis locutos fuiſſe, atque Oraculorum autores extitiſſe, quam ſilentium in Servatoris noſtri nativitate ipſis indictum. Silentium Oraculis impoſitum virtute Chriſti.

Non

Non eſt ergo mirum, novi Paradoxi propugnatores conatus omnes ſuos eo contuliſſe, ut homines perſuaderent, Oracula deſiiſſe non virtute Crucis, ſed citius Edictis Imperatorum Chriſtianorum, contemtu Romanorum, & quarundam Philoſophorum Sectarum; criminibus denique, atque aſtutiis Sacerdotum, quæ nimis pingues erant, ut non emergerent. Quare colligunt Critici iſti, quanquam etiam Paganiſmus aboleri non debuiſſet, futurum tamen fuiſſe, ut Oracula per ſe ſe deſinerent.

Si finibus, quos Criticc ſtatuit, me non circumſcripſiſſem, poſſem hic animadvertere, opinionem iſtam Salvatoris mundi gloriam nonnihil violare, qui adhuc habitus ſemper eſt everſor Idololatriæ, atque adeo Oraculorum, quæ graviſſimam ipſius partem, & ſolidius fulcimentum efficiebant. Nihilo ſecius nullum ſuppetit firmius fundamentum, quo ſtatuamus, Oraculorum reſponſa Dæmonum opera fuiſſe, quam oſtendere, eos ex Idolis ejectos fuiſſe poſt adventum Jeſu Chriſti, & prædicationem Evangelii, non quidem uno veluti impetu, ſed eo magis, quo Evangelii ſplendor undique effundebatur. Non abeſt enim a veritate, extitiſſe Oracula ſub finem etiam ſæculi IV. quandoquidem Imperatores Theodoſius, Gratianus, & Valentinianus Leges in eos tulerunt, qui Oracula conſulebant: *Nequis Mortalium futura ſub execrabili conſultatione cognoſcat*. Quod perſpicuo eſt argumento, illa per id tempus homines conſuluiſſe.

Quod ſi Dæmones nequaquam præfuerunt Oraculis, non ſane poteſtate Chriſti obmutuiſſe dicendi ſunt. At ſi Redemtor noſter ſilentium ipſis indixit, & Crucis virtute ceſſarunt, atque per iſtam omnes maligni Spiritus ab Idolis pulſi ſunt: quis infitias ibit, Dæmones reſponſionum Idolorum fuiſſe partiecipes? Porro vetuſtiſſimi & celeberrimi Eccleſiæ Patres mirum eventum iſtud ad Incarnationis virtutem referunt. *Olim quidem*, ait Sanctus Athanaſius, *ubique Delphica, Dodonea, Bœotia, Lycia, Ægyptiaca, Cabyrorum oracula impoſturis vaticiniorum ſcatebant. Pythia apud homines in admiratione erant: Nunc ex quo Chriſtus ubique prædicatur, ejuſmodi veſaniæ conquierunt, nec ſupereſt ullus phatidicus. Olim Dæmonia inani ſpecie ludibriiſque rerum intricabant homines, inſeſſis alibi fontibus, alibi fluviis, lapidibus, aut lignis, atque iſta præſtigiis, fatuos in ſtuporem agebant: Nunc vero quum apparuit Dei Verbum ſpectra hujuſmodi, & ludibria immaginum ceſſaverunt. Solo enim Crucis ſigno utens homo dolos illorum a ſe propellit .... nimirum a ſuperventu Salvatoris nihil jam amplius propagari idololatriam, dæmoneſque non eodem modo falſis rerum imaginibus, hariolationibus ac magicis fraudibus impoſturas facere.*

Athan. l. de Incarnat. Verbi Dei.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus nihilo obſcurius ſuper hac re loquitur: *Cum nanque* (ait iſte Pater) *Servator omnium noſtrum Chriſtus nobis de*

Comment. in Iſaiam. l. 4. Orat. 2.

Cæ-

Cælo nondum effulſiſſet, in omnes diabolicæ tyrannidis violentia extenſa erat, & profundæ tenebræ incolas terræ omnes obruerunt, & quaſi devorarunt .... Poſtquam autem vera lux, ideſt unigenitus ſermo Dei totum orbem terrarum undequaque Evangelicis oraculis illuſtraſſet .... Diſſipata igitur ſunt ejuſmodi hominum data aliquibus ex falſa divinatione ſigna, ſeu prædictiones. Abolita ſunt enim ubique carmina ac decantationes grecanicæ, & qui mentiri conſuerunt, Dii Græcorum obticuerunt.

S. Hieronymus interpretatus verba, quæ Propheta ad Gentium Deos intendit: *Quæ ventura ſunt indicate nobis: annunciate, quæ ventura ſunt in futurum. Propheta*, inquit Sanctus Doctor, *ſic loquitur, quod poſt adventum Chriſti omnia idola conticuerint: ubi Apollo Delphicus, & Loxias, Deliuſque, & Clarius & cætera idola, futurorum ſcientiam pollicentia, quæ reges potentiſſimos deceperunt.* *Hieron. in c. 41. Iſaiæ.*

Dicendi modus Prudentii animadverſione dignior eſt, ut hoc loco non afferatur. En ejus verba: *Prud. in Apoth. adv. Judæos.*

Spiritus ille Dei, Deus; & ſe corpore Matris
Induit, atque hominem de virginitate creavit;
Delfica damnatis tacuerunt ſortibus antra,
Non tripodas cortina tegit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus ædita libris.
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores;
Mortua jam mutæ lugent oracula Cumæ;
Nec reſponſa refert Libicis in ſyrtibus Hammon.
Ipſa ſuis Chriſtum Capitolia Romula merent
Principibus lucere Deum, deſtructaque templa
Imperio cecidiſſe Ducum.

Tertullianus, Cyprianus, Euſebius, aliique Patres ſuperius memorati non abſimiliter ſentiunt de Oraculorum ſilentio, quod Jeſu Chriſti vendicant poteſtati. Ex quibus efficere poſſumus, hunc Patrum numerum turpiter erraſſe, ſi Dæmones nihil commune cum Oraculis habuiſſent; quandoquidem fidenter adeo pronunciant, ipſorum ſilentium Incarnationis Filii Dei effectum quam mirificum fuiſſe, atque indicium ſplendidiſſimum.

ARTICULUS V.

Tertium Traditionis hujus fundamentum.

Chriſtiani, invocato Jeſu Chriſti nomine, Dæmones ex Idolis expulerunt.

Chriſtifideles Crucis virtute Dæmones ejecerunt.

OPortet ſane, Dæmones negotium aliquod cum Oraculis habuiſſe; quoniam Chriſtiani virtute Crucis Spiritus iſtos malignos cogebant, ut coram Paganis profiterentur, ſe Angelos deceptores tantum eſſe. Iidem ſæpe numero ipſis ſilentium indicebant, atque exturbabant turpiter cum ex Oraculis tum ex hominibus, per quos reſponſa efferebant. Id unum itaque ſupereſt hoc loci expendere, anne Deus aliquando conceſſerit Servis ſuis, ut in rebelles Angelos hoc imperium exercerent. Si nanque id præſtitit, cui dubium eſſe poterit, Dæmones Oraculis præſuiſſe; vel cui fas erit contendere, ad hominum induſtriam referendum eſſe, quidquid mirum de Æthnicorum Oraculis antiquitas narravit.

Iſtud profecto eſt Factum hiſtoricum, ſuper quo Patres apprime conſenſerunt. Unum Tertulliani teſtimoninm, quod eſt hac in re graviſſimum, ſatis eſſe poſſet, ut æquum hominem convinceret. *Sed hactenus verba*, ait Sapientiſſimus Vir, *jam hinc demonſtratio rei ipſius, qua oſtendemus unam eſſe utriuſque Nominis qualitatem. Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem Dæmone agi conſtet: juſſus a quolibet chriſtiano loqui Spiritus ille, tam ſe Dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falſo: æque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati exiſtimantur, qui aris inhalantes Numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando præfantur; iſta ipſa Virgo cœleſtis pluviarum pollicitatrix, iſte ipſe Æſculapius Medicinarum demonſtrator aliis demorituris ſcordii, & Denatii, & Aſclepiodoti vitæ ſubminiſtrator, niſi ſe Dæmones confeſſi fuerint, chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius criſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite .... Quid*, proſequitur, *iſto opere mnnifeſtius? Quid hac probatione fidelius. Simplicitas veritatis in medio eſt. Virtus illi ſua aſſiſtit: nihil ſuſpicari licebit, Magia, aut aliqua ejuſmodi fallacia fieri. Dictis non ſtetis, ſi oculi veſtri, & aures permiſerint vobis.*

Tertull. in Apologetico.

Nihil minus fidenter, quam Tertullianus, de re perhibet Lactantius, *Si conſtituatur in medio & is, quem conſtat incuſſum Dæmonis perpeti, & Delphici Apollinis Vates, eodem modo Dei nomen horrebunt, & tam celeri-*

Lactant. l. 4. Divin. Inſtitut. c. 27.

ter

ter exeedet de Vate ſuo Apollo, quam ex homine ſpiritus ille Dæmoniacus; & adjurato fugatoque Deo ſuo vates in perpetuum conticeſcet. Pater iſte aperte diſcrimen facit inter Dæmones, qui corpora vexant, atque illos, qui Oraculis præſunt; utrique vero per ipſum Jeſu Chriſti nomen ſimiliter contremiſcunt. Si igitur novi Paradoxi defenſores non ambigunt, extitiſſe Dæmones hominum poſſeſſores; confiteantur quoque neceſſe eſt, ſecundum Lactantii verba, Dæmones extitiſſe, qui mendacium Deorum prophetas afflarent.

Minutius Felix in Octavio.

Minutius Felix ad Paganos ſermonem convertens, hæc habet memoranda verba. *Ipſe Saturnus, & Serapis, & Jupiter, & quidquid Dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt eloquuntur: nec utique in turpitudinem ſui nonnullis præſertim veſtrum aſſiſtentibus mentiuntur. Ipſis teſtibus eſſe eos Dæmonas de ſe verum confitentibus credite: adjurati enim per Deum verum & ſolum, invitis miſeris corporibus inhæreſcunt.*

Reliquiæ Sanctorum Dæmones exterminarunt.

At vero non fuit ſolius Jeſu Chriſti nominis, detrudere Chriſtianorum invocatione ex Oraculis Dæmones, eoſque elingues reddere; ſed portenta eadem Sanctorum cineres ediderunt. Cujus rei exemplum illuſtre ſuppeditant nobis S. Babylæ Epiſcopi Antiocheni Reliquiæ. Gallus Cæſar creatus, qui Antiochiæ ut plurimum degebat, eum verſaret animo, Daphnem * ab Æthnicis ſuperſtitionibus expurgare, extruendam curavit Eccleſiam nomine S. Babylæ contra Templum Apollinis, ejuſdemque Sancti hominis exuvias in illud tranſtulit. Statim ac Dæmon, qui in Apollinis Templo morabatur, Sanctas Reliquias iſtas ſibi proxime acceſſiſſe deprehendit, a fundendis, ut olim, Oraculis abſtinuit. Porro cum Antiochiam veniſſet Julianus Apoſtata anno 362. magnificio apparatu ſacrificia, ceteroſque priſcos Apollinis Daphnæi honores inſtauravit. Victimas jugulavit, ut Divinitatem illam de rurſus edendis Oraculis & reſponſis adjuraret. Neque tamen inducere unquam Dæmonem potuit, ut loqueretur, niſi ut declararet, ſibi obſtructum os eſſe, & Reliquiarum S. Babylæ virtutem germanam eſſe ſilentii ſui cauſſam. Tum vero juſſit Julianus, confeſtim inde referri Sancti illius Viri Reliquias, atque in antiquam Eccleſiam ſuam deportari.

Julianus immolat Apollini.

Cum autem Factum iſtud conſtans argumentum ſufficiat, Oracula non fuiſſe reddita Sacerdotum fraude, ſed Dæmonum ope; non defuere, qui contenderent, oſtentum hoc Reliquiis S. Babylæ tributum extenuare, affirmantes, univerſum negotium hoc nihil niſi præſtigias fuiſſe Sacerdo-

* Daphne Vicus erat, qui tanquam Antiochiæ ſuburbium habebatur. Cupreſſetum ibi erat Apollini dicatum, Templumque magnificum, eidem Numini ſacrum, & *Daphnæ* nuncupatum; quod a multis retro ſæculis clarum extabat, & fama notum erat propter abominationes, quibus conſcelerabatur.

tum, Chriſtianorum hoſtium, qui exiſtimarunt, ſe Julianum dolo iſto cogere poſſe, ut Reliquias illas penitus exterminaret. Verum præterquamquod Hiſtoria hæc multos habet autores Eccleſiaſticos narratores, uti Theodoretum *hiſt. c.* 10. Sozomenum *hiſt. l.* 5. *c.* 19. 20. Socratem *in hiſt.*, & teſtem S. Joannem Chryſoſtomum, qui coram aderat eo tempore, ſed octennis tantum: Si Oracula Sacerdotum opera fuſa fuiſſent, non potuiſſet ſane præſentia Reliquiarum S. Babylæ ipſis ſilentium imponere; & nullius negotii Sacerdotibus fuiſſet, Apollinis reſponſa edere Juliano interroganti, quin opus fuiſſet, Reliquias Sancti alio transferre.

Joan. Chryſoſt. hom. de S. Babyla. Item Orat. de eodem contra Gentes.

Duo argumenta in miraculum, virtute Reliquiarum S. Babylæ editum.

Duo pariter objiciunt, ut miraculum iſtud in ſuſpicionem adducant. Primum eſt, neminem dicere, Oraculum reſpondiſſe, poſtquam Reliquiæ alio translatæ ſunt. Alterum, videri, Julianum eo loci tantummodo Apollini litaſſe, neque ibidem ullum Oraculum extitiſſe, ſed Templum ſolum, quod Antiochus *Epiphanes*, teſte Amiano Marcellino, ædificavit.

Quod ſi non legimus, Oraculum Apollinis deineeps reſpondiſſe; propterea fuit, quod, tribus exactis menſibus, fulmen e cœlo in Apollinis Templum decidit, & conflagravit eodem tempore, quo Julianus conſultum miſerat Oraculum ſuper exitu Belli Perſici, ad quod parabatur. Terremotus autem tonitruo ſuccedens, quod ſupererat elegantis hujus Ædificii penitus diruit. Quamobrem caret omni fundamento conjectura, quod nullum ibi eſſet Oraculum; quandoquidem tot Scriptores teſtantur, Templum hoc funditus everſum ab igne & terræmotu; & Chriſtianos eventum iſtud ad S. Babylæ preces retuliſſe.

Amian. Marc. l. 22. *c.* 5. *S. Joan Chryſoſt. Theodoretus ubi ſupra.*

ARTICULUS VI.

Quartum Traditionis hujus momentum.

Imperatores, Principes, Philoſophi, Hiſtorici, Magiſtratus, & Populi Æthnici non putarunt, Sacerdotes Oraculorum autores eſſe.

Teſtimonia pro Oraculorum veritate.

NEmo teſtes magis audiendos in medium adducere poſſet, quam illos, qui viderunt, atque audierunt non ſemel ſed ſæpe res, pro quibus teſtimonium dicunt, quæque in totius mundi conſpectum acciderunt. Hi porro ſunt, qui ſpondent pro Traditione, de qua agimus; nimirum Populi, Principes, & peritiſſimi Gentilium, qui non Sacerdotum

cal-

calliditati, ſed Genlis tribuerunt, quæcunque de falſis Idolis iſtis commemorantur.

Sollicitudo, qua cuncti agebantur, ut ea conſulerent, argumento eſt, illos fraudem nullam ſuſpicatos fuiſſe. Urbes & Provinciæ totæ turmatim ad ea confluebant. Nunquam bella movebant, Colonias erigebant, negotium ullum grave ſuſcipiebant, quin antea ab Oraculo conſilium cœpiſſent. Magiſtratus & Populi in qualibet cum publica tum privata hiceſſitate ad illa confugiebant.

Imperatores, Reges, & Principes ſummam venerationem ſuam erga Oracula demonſtrarunt, ſive per ſemetipſos, ſive per alios illa conſulentes, tum in ſuis, tum etiam in gravioribus Imperii negotiis. Thulis Rex Ægypti, nec non Ptolomæi haud neglexerunt Oraculum Serapidis. Philippus Rex Macedonum, & Alexander Magnus ejus filius ad Pythiam confugerunt; idemque ferunt de Demurate Rege Lacedemonum. Lycurgus autoritatem ab Oraculis comparare curavit Legibus ſuis. Themiſtocles demum ad Oracula ſe contulit, ut ſulciret monitum Athenienſibus datum, ut Urbem Perſis traderent. Principes Oracula conſulebant.

Imperatores vero Romanorum nihilo Græcis atque Ægyptiis minus Oraculis adhæſerunt. Tiberius per Ovidium ad illud Gerionis ivit; Nero ad Delphicum, uti narrat Svetonius: *Ut vero conſulto Delphis Apolline, ſeptuageſimum & tertium annum cavere ſibi audivit*. Tacitus nos docet, Germanicum inviſiſſe Oraculum Clarium, & Caligulam Oraculum Antii. *Monuerunt*, inquit Svetonius, *& ſortes Antianæ, ut a Caſſio caveret*. Alii quoque Imperatores non ſecus atque Populus Romanus addicti fuere Oraculis Paganorum *. Unum afferam exemplum Appii, qui, Valerii Maximi teſtimonio, primis Belli Pharſalici perturbationibus excitatis, Delphicum Oraculum conſuluit, quo pacto ſe in re tanta gerere deberet. *Ovid. Metam. l. 15. Svet. in Neron. c. 40. Tacitus in Annal. l. 2. Sveton. in Caligula. Val. Max. l. 1. c. 8.*

Philoſophi Oracula conſuluerunt.

Nonne conſtat, Philoſophorum celeberrimos credidiſſe, latere in Oraculis divinum aliquid, quippe qui illa interrogarunt? Si fides Plutarco eſt, Cicero Oraculum Delphicum adivit, atque ipſe Diogenes Cynicorum clariſſimus: Dio vero Chryſoſtomus narrat reſponſum, quod inde tulit; & Cicero ita perſuaſus erat de re hac, ut de Oraculo Delphico diſſerens, aſſerere non dubitaret: *Defendo unum hoc, nunquam illud Oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuiſſe, neque tantis donis refer-* *Plut. in Cicer. Laert. in Diogene. Dio Chryſoſtomus Orat. de Exilio.*

* Ferunt, Veſpaſianum Deum Carmelum conſuluiſſe, qui in eodem Monte colebatur: Paganorum nimirum Numen, ex quo nonnullis inconſulto verum Deum efformare placuit. *Svet in Veſp.* Titus ſe contulit ad Oraculum Veneris Paphi. *Sveton. in Tito. c. 8.* Trajanus ad Heliopolitanum. *Macrob. Saturn. l. 1. c. 23.* Adrianus ad illud Jovis. *Spart. in Adr.* Severus ad Jovis Beli. Caracalla demum incredibili ferebatur ſtudio omnia, quotquot noſſe poterat, conſulendi. *Herod. l. 5.*

tum

tum omnium populorum atque Regum ; niſi omnis ætas Oraculorum illorum veritatem eſſet experta. Atqui Philoſophi iſti, æque ac ceteri, Oracula ne conſuluiſſent; niſi inſitum animo habuiſſent, ea ſupra naturam & ordinem aliquid complecti?

Cicero l.1. de Divin.

Hiſtorici Oraculorum conſilium petiere.

Si vero in rem eſſet, ſenſa præſtantiſſimorum Hiſtoricorum producere, non deeſſet nobis Titus Livius, qui Delphicum Oraculum totius Orbis celeberrimum appellat; Tacitus, qui de Clario eum præfatione laudis ſemper loquitur; & Valerius Maximus, qui de Oraculorum veritate motus eſſe videtur, eamque perſuaſam habere. Svetonius, Plinius, Pomponius Mela, Spartianus, Macrobius, Herodianus, aliique omnes Græci & Latini ratum habuere & conſtans, rem Oraculorum omnem a Deorum immortalium poteſtate eſſe petendam.

Denique cum Oracula duorum millium annorum ſpatio duraverint; atque interim illa conſuluerint Reges, Principes, Reſpublicæ, Philoſophi, Hiſtorici, & vis innumera hominum cujusvis generis, quibus perſuaſum fuit, ipſorum reſponſa reddi a mendacibus Diis ſuis; neque unquam ſuſpicione attigerunt, ea Sacerdotum calliditate conflari: Traditio hæc non poterat firmiori fundamento, quodque ſub ſenſum magis caderet, fulciri, quam unanimi hac totius Paganiſmi conſenſione, qui nihil unquam habuit Oraculis celebrius & ſplendidius.

ARTICULUS VII.

Quintum Traditionis hujus momentum.

Modus, quo edebantur Oracula, oſtendit, Dæmones ab illis non fuiſſe remotos.

Idola animam non habebant.

FAllaci imaginatione luditur quicunque putat, Oracula ab Idolis reddita fuiſſe; Simulachra hæc vel animantia, vel hujuſmodi viſa fuiſſe, atque reſponſa fudiſſe. Hæc ſane Oraculorum ſpecies non eſt, quam adumbrarunt nobis Ariſtoteles, Virgilius, Cicerò, Porphirius, aliique Pagani homines. Exiſtimabant nanque Oracula emitti furore, atque æſtro; quoniam non meminerunt niſi de hominibus afflatis, vel occupatis. Neminem reperies Chriſtianorum vel Ethnicorum, qui aliam rei hujus notionem imprimat, quique de Simulacris animatis vel loquentibus ſermonem habeat.

Univerſa item antiquitas nos docet, Sacerdotes & Antiſtitas Idolorum

rum Oracula per ſeſe edidiſſe ſine Simulacrorum ſubſidio, & viſos eſſe furore percitos, quem Divinum vocabant, & ab Apolline, vel alterius Divinitatis inſtinctu deſcendere putabant.

Quo autem rectam informemus animo notionem ejus modi, quo plerumque Oracula fundebantur; ſatis erit ſibi ante oculos objicere hominem, vel mulierem, quam revera Dæmon invaſerit. Patres nanque Eccleſiæ, & priſci Chriſtiani hoſce Dæmonis miniſtros habuerunt, tamquam vere obſeſſos ab ipſo, & Oracula fieri Dæmonum iſtorum opera edidere-runt; neque enim tribui poſſet alteri, præterquam nequam ſpiritus virtuti, quaſſatio & furor, quo corripitur animus, ipſumque turbat, atque extra ſe rapit. *Orig. contra Celſum. S. Joan. Chryſoſt. in Pſ. 44. item hom 29. in 1. 12. ad Cor.*

Non modo vero ex ea eum animi tum corporis, qua erant, affectione Sacerdotes Oracula edituri, convincitur, a Dæmonum virtute profecta fuiſſe, ſed etiam ex multis aliis modis, quibus reddebantur. Primus & communior erat per furorem atque æſtrum. Hoc videbantur agitari Sacerdotes atque Antiſtitæ Idolorum, dum illa proferebant; & diligenter quaſdam ceremonias præmittebant, ut imponerent hominibus, ipſiſque perſuaderent, neceſſum eſſe, ita ſe ad munus illud præparare. Oracula multifariam edebantur.

Alia erant, quæ in ſomnis reſpondebant iis, qui pergebant cubitum in quorundam Deorum Templis, ut inde vel morbis ſuis remedia, vel dubitationibus reſponſa compararent. Conſulebant pariter Oracula ſchedulis obſignatis, quæ haud fractas eum reſponſo intus deſcripto referebant. Nonnunquam ſortibus utebantur, quæ multiplices erant, & quædam ſimiles teſſeris noſtris.

Alterius modi ducendi Oracula mentionem habet Lucianus. *Atque oracula quidem multa*, dicit ipſe, *tum apud Græcos, tum apud Ægyptios ſunt, multa autem & in Africa, & in Aſia item multa, ſed illa quidem neque abſque Sacerdotibus, neque abſque Interpretibus reſponſa dant. Hic autem Apollo, & ipſe per ſe movetur, & vaticinia ad plenum uſque per ſe peragit. Modus autem eorum talis eſt. Poſtquam illi placitum eſt vaticinari, in ſede ſua primum movetur, Sacerdotes autem ipſum continuo in ſublime attollunt: Quod ſi non attollant, ille & ſudorem mittit, & ſe in medium etiam emovet. At poſtquam illi ſubeuntes portant ipſum, tum & illos ſecum agit, circumeirca verſando ſeſe, & ab alio in alium ſubinde tranſilit. Poſtremo Princeps Sacerdotum ſupplicans interrogat illum de omnibus rebus. Ille vero, ſi quid non vult fieri, retro recedit: Contra autem ſi quid approbat, agit in anteriorem partem geſtantes, perinde ac ſi currus habenas moderaretur: atque ita illi colligunt oracula, & neque ſacram rem ullam, neque privatam abſque hoc gerunt.* *Lucianus de Syria Dea poſt med.*

Id omne non ſatis aptum eſt, ut perſuadeat nobis, univerſum myſterium

rium reſponſionum, quæ a conſulentibus mendaces Deos referebantur, tribuendum eſſe calliditati atque aſtutiæ Sacerdotum: niſi ſi velimus, furorem iſtum, motuſque convulſos, quibus agebantur, ſponte confictos fuiſſe: ipſos viam excogitaſſe imprimendi ſpecies aliquas in phantaſia dormientium in Templis; recludendi ſchedulas induſtria tanta, ut nemo rem animadverteret; ſorteſque regendi appoſite adeo, ut poſcentibus poſſent facere ſatis. Quod vero in hac fraude magis mirari ſubit, eſt, eam ita cate ſciteque conflatam fuiſſe, ut inter tot acutiſſima ingenia, & Viros clariſſimos Paganorum, quotquot extiterunt, nemo illam deprehenderit. Artificium fortaſſe aliquod arcanum compoſuerunt, quo Simulacrum Apollinis concuteretur, progrederetur, regrederetur, & ſudore ipſo manaret; ſed nemini certe perſuadebunt, Dæmones nihil rei in illo habuiſſe.

Plutarchus lib. de defectu Oracul. in fine.

Num in Sacerdotum artem regerent quod narrat Plutarchus de Antiſtita quadam Oraculi Delphici, quæ præceſſerat illam, quæ ætate ſua vivebat? Cum mulier hæc Oracula advenis nonnullis, qui eam venerant conſultari reddere voluiſſet; quamquam Sacrificia antea fieri ſolita, proſpere non ſucceſſerint die illa; ipſaque ſe cognoſceret ad afflatum Apollinis recipiendum inepta: Apollo fœminam acriter adeo torſit, & tam lævis convulſionibus agitarit, ut paucis poſt diebus interierit. En genus malitiæ hactenus inauditæ, quæ morte afficit illam, quæ alios fallere volebat. Interea triſte hoc eventum perſpicue oſtendit, non poſſe fragmentum lapidis vel ligni mira hæc Facta patrare; & Spiritum nequam, inſidentem falſorum Numinum ſimulacris, tormentorum & mortis Sacerdotis illius autorem fuiſſe.

Hiſtoria funeſta cujuſdam Antiſtitæ.

ARTICULUS VIII.

Sextum Traditionis hujus Momentum.

Doli ipſi, adhibiti aliquando ab Idolorum Sacerdotibus, nos monent, Oracula Dæmonum virtute fuſa fuiſſe.

Machinationes aliquorum Sacerdotum Idolorum.

INter tot Ethnicorum Oracula facillime percipere poſſumus, plura fuiſſe fallacia, & deceptoris alicujus arte vel avaritia conſuta. Quodlibet ſæculum protulit calumniatores aliquos, qui prodigia ſupponentes, aut famam ſuo nomini compararent, aut divitias cogerent. Ipſæ divinæ Litteræ Hiſtoriam exequuntur Sacerdotum Beli; qui ſi ſubterranea

qua-

quadam ſemita ſe in Templum inſerebant, ut carnes Deo ſuo oblatas comederent, id argumento eſt, idem potuiſſe Sacerdotes alios machinari. Certum pariter eſt, Sacerdotes Idolorum utriuſque ſexus ſe interdum ad fraudes recepiſſe, quod attinet ad Oracula, tum quia ab aliis vitiabantur, tum ut exiſtimationem ſuam, labentibus jam Oraculis, conſervarent.

Demoſthenes ſatis cognoverat, cum Sacerdotes muneribus corrupti erant, Oraculum pro libito reſpondens illos inducere. Qua de re Philoſophus hic Pythiam Philippo favere cauſſabatur, uti animadvertit Cicero: *Demoſthenes, qui abhinc annos prope trecentos fuit, dicebat, Pythiam Philippo favere. Hoc autem eo ſpectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret.* Herodotus quoque affert Cleomenis aſtutiam, cujus arte dicebat Delphica Antiſtita, Demuraten, Regem Lacedemonum filium Ariſtonis non eſſe. *Cic. l. 2. de Divinatione.* *Herodotus l. 6.*

Quod vero inter cetera Sacerdotes Idolorum induxit, ut in Oraculis edendis ad fraudem confugerent, exiſtimatio fuit mendacium Deorum ſuorum, quæ ſenſim imminuebatur, & Religionis ſuæ, quæ jam minabatur ruinam, fulcimentum. Cum etenim reſponſis non comitarentur mira hæc jactata, quibus præſertim innitebantur, opus erat ſtudioſe vitio iſti occurrere, alia per artificium excogitando: cum deſiiſſent Oracula vera, intererat alia imitari, & ſupponere. Quare Sacerdotes dolos malos conſuecerent.

Per id fortaſſe temporis adhibere cæperunt Simulacra pertuſa, e quibus voces aliquas emittere curabant Sacerdotes, ut reſponſa poſcentibus darent. Tradunt quamplurima hujuſmodi Simulacra in India fuiſſe, e quorum ore Bonzi & Bracmani, Deorum ſuorum vocem imitantes, loquebantur. Haud longe a maxima Piramidum Ægypti, extat ad hanc diem Idolum immanis magnitudinis, quod Sphingem vocat Plinius. Truncus hic corporis fœminæ refert imaginem. Summum caput apertum eſt, quod foramen interius magis ac magis in anguſtum cogitur; atque in illud commode poteſt homo ſe immittere. Opinio eſt, Ethnicos Idolo huic Divinos honores obtuliſſe, atque in Solis ortu illud conſulere ſolitos fuiſſe, ut Oracula caperent. Porro qui populum ludere volebat falſis vaticinationibus, ſe in foramen capitis Sphingis inferebat, unde exibat vox Sole adveniente. Memorat Suidas aliud fraudis genus, quod apud Oraculum Dodonæum non ſemel admittebatur. Simulacrum quoddam ibi erat ſuper columnam erectum, & virgam manu tenens, qua æneam lancem percutiebat, dum quercus quædam a vento quatiebatur. Quoties igitur audiebant ſonum hunc, harmoniam aliquam effeientem, Vates credebant, Jovem reſpondiſſe. Simulacra pertuſa.

Ultro itaque fatemur, Oracula fraudibus non vacaſſe, ſed non multo

Sacerdotum fraudes detectæ ſunt.

poſt detectæ fuerunt; quoniam fieri non poterat, ut præſtigiæ iſtæ diu valerent; Eadem itaque artificia, aliquando a Sacerdotibus adhibita, concluſe demonſtrant, Oracula Demonum calliditati & malitiæ tribuenda eſſe. Paradoxon etenim eſſet nullius exempli, fraudem aliquam ſtetiſſe bis mille annorum intervallo, non quidem apud Urbis vel Provinciæ alicujus indoctos homines, ſed in conſpectu Sapientiſſimorum cujuſvis ætatis, atque inter populos & Nationes illuſtriores. Poſſumus ne concipere animo, Oraculorum omnium Sacerdotes per Aſiam, Africam, atque Europam longe lateque diffuſos, calumniam iſtam mutua conſenſione machinatos fuiſſe? Deinde cui perſuaſum eſſe poterit, Deceptorum iſtorum ſucceſſores ita induſtrie fraudem occuluiſſe, ut viginti ſæculorum ſpatio nunquam detecta fuerit? Quare tametſi aliquando per artem Oracula fuſa ſint, non multo poſt emerſit; quod nimirum fieri non poſſet, homines nullo invicem comercio junctos, immanem adeo calumniam tot ſæculis propagaſſe. Efficiendum itaque neceſſario eſt, Dæmonum artificio partum fuiſſe, quidquid myſterii Oracula ediderunt.

Quibus poſitis, quæcumque adverſum vetuſtam hanc Traditionem afferuntur, per ſeſe ruere opus eſt. Si Philoſophi ex Cynicis, Peripateticis, atque Epicureis aliqui Oracula irriſerunt & contemſerunt, in cauſſa fuit, quod aperuerint dolos in illis ab Idolorum Sacerdotibus paratos. Si Principum Politice Oracula non ſemel excogitavit, aut ſi plebs credula Deceptorum iſtorum avaritia, & privatis compendiis in errorem inducta eſt: id omne probat ſane, nonnunquam in re hac artem interceſſiſſe, non vero concludere hinc poteſt quis, nunquam Dæmones in Oraculorum reſponſis negotium aliquod habuiſſe.

ARTICULUS IX.

Per Leges Critices accuratæ integrum non erat Fontanellæ ſuper re Oraculorum in ſententiam ire, quam mallet.

SAtis non eſſet, vetuſtam quam propugno Traditionem confirmaſſe, niſi operam darem, ut Fontanellæ ipſi perſuadeam, ſibi non licuiſſe eam non amplecti; neque liberum fuiſſe Vandalio manus dare, uti per ſeſe jactat. Habeto qui loquatur doctus hic Academicus prioris ſuæ Diſſertationis initio. *Fas eſt nobis, hac in re ſententiam ſeligere; hujuſ-*

huiusmodi nanque est, quam Sapientia Divina existimavit satis indifferentem, ut eam Disputationibus nostris relinqueret.

Non inficior, quoties quæstio nullo modo Fidem aut bonos mores attinglt, aut agitur duntaxat de Facto historico, quod probabilitatis fines non egreditur, jus esse Viris Litteratis illud examinare, atque *de illo sententiam dicere*. At vero sum nescius, utrum Critico sapienti moderato & recto fas sit, super re moraliter certa opinari. Cui dubium esse potest, Controversiam, utrum extent Antipodes; an Cæsar, Constantinus, Carolus Magnus confícti ab hominibus homines fuerint; an sit revera Urbs Roma; An Augustinus Confessiones ejus nomine inscriptas confecerit, aliaque id genus Facta neque ad fidem neque ad bonos mores spectare. Nihilo seeius pro certo habeo, nemini Eruditorum videri, integrum esse sibi, in Factis historicis istis sententiam seligere; quandoquidem de illis certi sumus morali ratione, quod quidem post Demonstrationem, atque oculorum testimonium argumentorum omnium certissimum est. Prudenti Critico licitum est superaliquibus Factis opinari.

Quod si ostendamus Fontanellæ, quæstionem de Oraculis Paganorum hujus generis esse, jus ne esse sibi putabit, in eam, quam malit, sententiam ire, atque affirmare audacter, Oracula Paganorum a Dæmonibus fusa non fuisse. Liceat porro nobis vel nunc ita disputare. Id probatur.

Cum opinio aliqua certam moraliter atque evidentem in sese continet veritatem, non licet homini rationis compoti super illa alterutri parti adhærere: Atqui opinio de Oraculis Ethnicorum editis a Dæmonibus certa est modo morali; Igitur non licet illi, utram velit partem amplecti.

Non mihi videre videor, posse quem impugnare argumenti hujus propositionem. Facta dubia plerumque in trutina suspenduntur, ut veritas emergat. Utrinque momenta in lanee ponuntur, ut de re statuamus; & quandiu nihil nisi probabilitatem ex utraque parte deprehendimus, tandiu licitum est cuique, vel ajentem, vel negantem tueri. Verum ex quo propositio certa moraliter videtur atque evidens, cogimur, ut ita dicam, affirmantem amplecti, neque fas est ulterius, quam malumus, adoptare; nisi si nos a prudentiæ legibus abdicemus, & rectum exquisitumque judicium confundamus.

Una igitur argumenti illius assumptio difficultatem involvit. At si huc revocemus, quæcumque alibi de veritate moraliter certa, atque de evidentia statuimus, persuasum habeo fore ut assumptio ista non seeus atque prior firmissima videatur.

Si concederet mihi Fontanella, ut ab ipso scisciterer, quid v. g. reputet secum ipse de itinere S. Ludovici Galliarum Regis ultra mare: respondebit sane, iter hoc, quippe fultum eorum testimonio, qui Principis hu-

jus comites fuerunt, eorum etiam, qui eodem ævo vixerunt, nec non conſenſione omnium unanimi, qui ad hanc diem de illo meminerunt; eumque fieri non poſſit, tot ſuper eodem Facto hiſtorico homines lapſos fuiſſe, atque invicem conſpiraſſe, ut nos deciperent, rem eandem, niſi vera eſſet, enarrantes: iccirco conſequens neceſſario eſſe, expeditionem in Terram Sanctam, S. Ludovico tributam, certam eſſe *moraliter*; immo adderet, ex ea comparare nos quoddam evidentiæ genus, quod parit hæc teſtimonium turba, & totius Orbis conſenſus: proindeque non eſſe recto homini fas de graviſſimo Facto iſto opinari.

Argumenti hujus cum Oraculorum Facto collatio.

Principia hæc ad rem noſtram accommodemus. Propoſitio iſta: *Oracula Paganorum edita ſint a Dæmonibus*, autoritatem habet jam inde a ſeculis quadraginta ex teſtimonio omnium ferme Scriptorum, cum Eccleſiaſticorum, tum etiam prophanorum, & conſenſione totius Orbis unanimi ad ſæculi uſque elapſi finem roboratur. Porro fieri non poteſt morali ratione, tot Ethnicos eruditos, teſtantes de re, quæ ætate ſua, atque in oculis ſuis verſabatur, quique Oracula per ſeſe conſuluerant: celeberrimos Eccleſiæ Patres, qui rem a Scriptoribus ante Incarnationem ſcribentibus didicerant, & oculati teſtes fuerant, aut a Viris fide dignis acceperant, Chriſti fideles Dæmonibus Oracula fundentibus ſilentium indixiſſe: populos demum & Nationes omnes, diuturno adeo ſæculorum ſpatio rem eandem propugnaſſe: eoſdemque omnes in re hac erraſſe, atque in id ſimul deſcendiſſe, ut nos fallerent, & teſtarentur nobis, Dæmonum commentum Oracula fuiſſe, ſi id verum non eſſet. Non poſſumus itaque, quin vi argumentorum adeo authenticorum Factum hoc hiſtoricum in moraliter certis atque evidentibus habeamus. Interea Fontanellæ ſit expendere, nonne integrum ipſi eſſet, hac de re ſententiam ſeligere.

Verum fateri non deſino, argumentum hoc non eſſe perfectam germanamque Demonſtrationem, quæ per ſeſe mentem cogat, ut veritati confirmatæ aſſentiatur: ſed unicum eſt, quod nobis præſto eſſe poſſit, argumentum, ut de rebus convincamur, quæ demonſtrare non poſſumus & quibus ſenſuum noſtrorum non favet teſtimonium.

AR-

ARTICULUS X.

Sequitur idem Argumentum.

Opinio Fontanellæ non ſatis obſervantiæ defert Antiquis.

Veteres non favent novo Paradoxo.

QUanquam novi Paradoxi propugnatores de Oraculis Paganorum jactent, pro ſua opinione Veteres multos ſuffragium ferre, nihilo tamen minus conveniat quiſque neceſſe eſt, eosmon fulſſe in Patrum teſtimoniis deligendis, quam in Philoſophis citandis feliciores. Eruditus Baltius neminem præterit, quem ab ipſis non auferat, immo adverſus ipſos non retorqueat. Verum paullo amplius faciles ſimus, ipſiſque concedamus ſuffragium nonnullorum Philoſophorum Peripateticorum, Cynicorum, Epicureorum, & cujuſdam Oenomai, Plutarchi, atque Ariſtotelis; demus ultro ipſis nonnulla loca mutila, & collecta a D. Clemente Alexandrino, Euſebio, & nonnullis aliis Eccleſiæ Patribus: nihilominus nullum inde commodum comparare poſſent, ſi parere velimus magno illi Mediei Harlemitani principio, quod adoptavit Fontanella, & revera eſt Opinionis illorum fundamentum.

Fontanella ſibi aufert jus citandi Veterum teſtimonia.

Fontanella itaque ſcrutatus, unde ſit, credidiſſe homines, Dæmonum artem Oracula edidiſſe. „ In promtu ratio eſt, inquit, quod attinet ad „ tempus præſens. Primis Eccleſiæ ſæculis opinio percrebuerat, Oracu„ la a Dæmonibus reddita fuiſſe; nihil ulterius requirendum eſt, ut id in „ præſentiarum etiam credamus. Quidquid Veteres protulerunt, ſive bo„ num, ſive malum, hujuſmodi eſt, ut rurſus proferatur; quodque vel „ ipſi non potuerunt aptis momentis confirmare, id nunc una ipſorum „ autoritate probatur. Atqui ſi id proſpexerunt Veteres, non poſſumus „ non eos commendare, quod non ſemper operam dederint, ut accura„ tiſſime diſſererent.

At enim quo cogitatum hoc acutum eſt, & probe confectum, eo nihil firmitatis & commodi affert propoſito Fontanellæ: Sponte nanque ſua jus ſibi detrahit afferendi Veterum teſtimonia, dum illud furripit aliis; niſi ſi indicet nobis, in quo ſitum ſit Antiquorum, quos laudat, teſtimonium, ut a generali ab ipſo conſtituta lege excipiantur. Si conqueritur de his, qui ex Priſcorum teſtimonio nunc perſuaſum habent, Oracula a Dæmonibus fuſa fuiſſe; eui adhærebimus autoritati, ut id impugnemus: anne autoritati Vandalii, aliorumque recentiorum? At nunquid ratum

habere

habere debemus, eos rei hujus optimos vades esse, vel ipsorum fide Factum historicum vetustissimum inficiari?

Neque Veteres Scriptores ipsi, inquiunt, Facta ætatis suæ, atque in oculis suis obversantia probare potuerunt. Ita sit, verum qui ad hanc diem probabis, eos errasse? Si quod in medium attulerunt de Oraculis editis a Dæmonibus, modo una ipsorum autoritate fulcitur, quo uteris argumento, ut Sacerdotum Idolorum calumniam constituas? Denique *si quidquid Veteres protulerunt, sive bonum, sive malum, hujusmodi est, ut rursus proferatur*; præstolamur a Fontanella, ut regulas condat, quibus bonum a malo dispicere possimus; ne imposterum discrimen subeamus rursus sine delectu *bonum & malum* proferendi.

Leves tantum conjecturæ supersunt Fontanellæ.

Sum anceps, utrum necne docti hujus nostri Academici principium Autorum profanorum atque Ecclesiasticorum autoritatem funditus convellat: Illud saltem verum est, ipsi imposterum jus idem futurum, ut illa utatur, dum asserit, Oracula in Sacerdotum astutiam regerenda esse, quod aliis, ut a Dæmones referant. Una itaque reliqua ipsi erit conjectura, ad quam pro Paradoxi sui defensione confugiat: verum quam leves sunt, conjecturæ, cum Priscorum testimoniis non roborantur! Immo quæ conjecturæ! Dum innituntur duntaxat iis, quæ fieri potuerunt, quæ vero similia sunt, quæque momenta levissima præseferunt: ingeniosa nanque dispositio, quam affert ipsis elegans hic Academicus, major est, quæ insit ipsis, species veritatis.

Multis credere debemus, quamvis a Fide non tradantur.

Itaque si hucusque rectas animadversiones in medium attuli, non erit fortasse, cur sibi placeat Fontanella, quod nova Vandalii cogitata toti antiquitati prætulerit, & vetustam Traditionem, omnium Ecclesiæ Patrum suffragio roboratam, adorsus sit. Jactet, quantum lubet, expostulationem illam suam, nimirum: *Caput hoc de Oraculis, quippe a Fide remotum, non posse premi autoritate Patrum Ecclesiæ*. Nunquid nihil præter Religionis capita credendum est? Defecit penitus inter homines fides humana? Quare pejor erit conditio Ecclesiæ Patrum de rebus, ad Religionem spectantibus, uti illa est, de qua agimus, quam ceterorum Autorum omnium? Nonne semper urgent omnes sensa Historicorum profanorum, ut eventum aliquod probent? cumque promtum est ostendere, omnes invicem consentire, quis adversam partem tueri auderet? Opus erit acquiescere autoritati Scriptorum Paganorum, nisi velimus audacis atque iniqui hominis notam subire; & non dubitabit aliquis de re quadam Omnium Ecclesiæ Patrum opinionem rejicere, quod nimirum Fidei effatum non sit? Immo tanquam bonus Criticus atque ingeniosus jactabit, *jus esse sibi opinionem seligendi* super re Oraculorum Æthnicorum, a tot Scriptoribus Ecclesiasticis confirmata?

DIS-

DISSERTATIO II.

De Oraculis Sibyllarum.

Propoſitum Diſſertationis.

EQuidem non aggrederer ad inculcandam rurſus materiam iſtam, quam tot eruditi homines funditus tractarunt, immo, ut ita dicam, exhauſerunt; niſi conſilium a me ſuſceptum de piis Traditionibus examinandis, me ad illam propugnandam, quæ inter vetuſtiſſimas recenſetur, deduxiſſet. Poſtquam igitur diſputavero de his Gentilitatis Vatibus, deque variis Autorum ſententiis ſuper Carminibus ipſis tributis: conſtituam teſtimonio Patrum & Criticis præceptionibus, Oracula Æthnicarum iſtarum de Religione, a Patribus laudata, non eſſe ſuppoſititia. Deinde afferam momenta eorum Criticorum, qui ætate noſtra adverſus Oracula iſta arma verterunt, eumque obviam ivero dubitationibus eorum, meas quoque in medium adducam de variis Eruditorum ſententiis, qui contendunt, Judæos vel Chriſtianos autores eſſe vaticinationum, quas Sibyllarum nomine Patres ediderunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De Sibyllarum nomine, regione, & numero.

De Significatione vocis *Sibyllæ*.

SIbyllæ nomen impoſitum fuit Æthnicis Virginibus, quæ ſive in Templis, ſive in ſpeccubus Oracula reddebant, quoties a Gentilibus conſulebantur. Vox hæc *Sibylla* ducta eſt a duobus vocibus Græcis, quarum altera *conſilium*, altera *Deum* * ſignificat. Petitus Medicus e Facultate Pariſienſi, in Diſſertatione de Sibyllis, eorum opinionem refutavit, qui putant, Sibyllarum nomen mulieribus omnibus ventura prædicentibus commune fuiſſe; ſuamque ſtatuit teſtimonio multorum veterum Scriptorum, uti Pauſaniæ, Hygini, Plutarchi, Platonis, Herodoti, & Xenophontis, qui de Vatibus multis loquuntur, nec tamen Sibyllarum nomine eas donant.

* *Quod ſi Acolici ſermonis genere Sibylla Θεοβύλη appellantur, recte conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas;* Hieron. contra Jovian.

Ni-

Nihil habemus compertum de tempore, quo quæque floruit, neque de locis, in quibus Oracula ediderunt: Non convenit pariter inter Scriptores de nominibus & numero Vatum iſtarum,

De numero Sibyllarum.

Diodorus Sieulus unius tantummodo meminit, nomine Daphnis, filiæ Tireſiæ; cui adſtipulatur Petitus, affirmans, unam tantum fuiſſe fœminam, quæ ad vaticinandum aggreſſa ſit, euique Græci Scriptores Sibyllæ vocabulum aſſignarunt. Movetur autem 1. quod univerſi, qui de Sibyllis diſputarunt, de nominibus & numero invicem diſſentiunt: 2. quod veram Sibyllam eum aliis Vatibus confuderint; 3. quod Sibylla Græca fuerit; quoniam Oracula omnia Sibyllis tributa Græce exarata ſint, quod affirmare non poſſumus de fœminis, quæ ortæ ſunt in Caldæa, in Phrygia, atque in Italia: 4. quod Plato, Plutarchus, & Dio Chryſoſtomus Sibyllam ab aliis Vatibus diſtinguant, deque illa, perinde ac de fœmina una loquantur. Animdvertit denique, Cieeronem nunquam de Sibylla locutum fuiſſe, niſi in numero ſingulari. Conſequenter autem probat Medicus hic, appellatam fuiſſe Sibyllam iſtam *Herophilam*, natione Græcam ex Erytrhæa Urbe Aſiæ Minoris; & eontendit varietati nominum occaſionem dediſſe itinera multa, quæ fecit; eandem que Cumarum Fatis ceſſiſſe.

Quidam unam duntaxat ponunt.

Alii ſentiunt fuiſſe duas.

Martianus Capella duas agnoſcit, alteram *Herophilam*, dictam pariter Phrygiam & Cumanam, quæ ortum duxit in Territorio Trojano; alteram vero *Symmachiam* ex Erythræa, quæ item Cumarum Oracula fundebat.

Solinus tres enumerat.

Solinus tres recenſet. *Delphica*, quam ferunt vaticinatam fuiſſe ante Bellum Trojanum, & eujus carmina non pauca dicitur Homerus in Iliadem ſuam tranſtuliſſe. Seeunda eſt *Eriphile* ex Erythræa, quæ paullo poſt vixit. Tertia *Cumana*, quam Romani ſingulari obſequio proſeeuti ſunt. Hiſtoria proſana mentionem habet novem Librorum, quos obtulit Sibylla *Cumana* Tarquinio Superbo, pretio conſtituto trecentorum aureorum. Pactione contemta ab eo Prineipe, mulier tres ex illis in ignem iniecit, deque ſex aliis idem pretium poſtulavit. Quod eum reſpuiſſet Imperator, tres quoque alios flammis abſumſit. Tres vero reliqui in area marmorea incluſi ſunt, atque in cuſtodiam traditi *Duumviris*, inſtar rei Sacræ in *Capitolio* ſervandi. Opinio quoque eſt, Plinium tres tantum Sibyllas cognoviſſe: quandoquidem narrat, Romæ prope Palatium ſimulacra trium Sibyllarum inventa fuiſſe. Sed Plinius dieit tantummodo tria ſimulaera Sibyllæ.

Plin. l. 5. c. 34.

l 9. Rer. Duiv. ad c. Cæſar.

Lactantius, S. Auguſtinus, & plerique Patrum poſt Varronem, qui paullo ante Chriſti adventum florebat, Sibyllas ad numerum decimum aſcendere faciunt. Prima & vetuſtiſſima *Delphica* eſt, ſive *Artemis*. Secunda Sibylla *Erythræa*. Tertia erat ex *Cimeria*, Provineia Italiæ prope Cumas. Quarta *Cumana*. Quinta *Samia* nomine *Eriphile*, ſive Erythræa,

Multi decem fuiſſe ttadunt.

quæ

quæ tempore Numæ Pompilii Regis Romanorum vivebat. Sexta *Helleſpontica*, e vico Marpeſſo. Septima *Lybica*. Octava *Perſica*, quam nonnulli Judæam fuiſſe volunt. Nona *Phrygia*, quæ vaticinationes ſuas Ancyræ dedit. Decima *Tiburtina*, allas *Albunea*, tanquam Dea ab hominibus culta. Autor Chronici Paſchalis, qui ſæculo ſeptimo ineunte vixit, duodecim enumerat *. Alii duodecim.

Quamvis lateant in obſcuro Sibyllarum nomen, regio, & numerus, necnon tempus quo vixerunt: nihilo ſecius univerſa Antiquitas profana nos docet, extitiſſe inter Æthnicos fœminas aliquas, quæ furore percitæ Oracula conſtricta numeris oratione ſcripſerunt; quæ Romani in graviſſimis negotiis conſulebant. Extiterunt Sibyllæ, quanquam ignotus ſit ipſarum numerus & Patria.

Interea noſtra eſt expendere, non quidem utrum Carmina, quæ ipſis adjudicantur, atque in Bibliotheca Patrum leguntur, ſuppoſititia omnino ſint, vel ſaltem corrupta, de quo nemo eſt, qui dubitet ad hanc diem; verum an quæ Patres recitarunt, atque ad ſtatuendam Religionem & Paganos convincendos adhibuerunt, conſcripta revera ſint a Vatibus illis, an vero ab aliquo Chriſtiano vel ignorantiæ vitio vel Religionis ardore conficta.

ARTICULUS II.

Multiplex Autorum ſententia de Carminibus, Sibyllis tributis.

TRES circumferuntur diverſæ opiniones de Carminibus, nomine Sibyllarum notis, & Græce Latineque in Patrum Bibliotheca comprehenſis. Prima, antiquior, & acceptior ad exitum uſque Sæculi XVI. eorum eſt, qui erediderunt, octo Libros Sibyllis adſcriptos, ad Æthnicis Vatibus iſtis confectos fuiſſe ante Chriſti adventum. Prima Sententia de Carminibus Sibyllinis.

Blondellus inique ferens ea, quæ in Libris iſtis de Purgatorio feruntur, primus fuit, qui in animum induxit, ut Carmina Sibyllina rejiceret, propugnaret, ea eſſe ſuppoſititia, atque affirmaret, nunquam extitiſſe Sibyllas, quæ de Jeſu Chriſto locutæ ſint. Doctus hic Hæreticus opinio- Secunda Sententia de Autore Oraculorum iſtorum.

* *Hoc anno*, inquit Autor Chronici hujus, *ſcilicet Olympiade V. Sibylla Erythræa in Ægypto clarnit. Fuere & alia XI. Sibylla. Sibylla Hebræa; Sibylla Perſica; Sibylla Delphica; Sibylla Adaena, ſeu Cimeria; Sibylla Samia; Sibylla Rhodia; Sibylla Cumana; Sibylla Lybica; Sibylla Trojana; Sibylla Phrygia; Sibylla Tiburtina; Erythræa oriunda erat ex Oppidulo Erythræa diſto e regione Chii. Heroicum Carmen edebat, cujus monumentum Erythræa hodie e regione Chii juxta Stream viſitur.*

nem ſuam eo demum adduxit, ut aſſereret, opus hoc commentum eſſe Chriſtiani cujuſdam Deceptoris ſecundi Sæculi, qui falſo ratum habuerat, licere ad arguendos Infideles, Oracula hæc græcis carminibus conſcribere, eaque Sibyllarum nomine venditare. In hanc ſententiam iverunt Dupinus, Petit-Didierus, aliique Critici.

Tertia Sententia.

Non defuerunt denique, qui medium veluti inter opiniones iſtas locum tenerent, & tertiam aliam adoptarent. Hinc fatentur, Carmina Sibyllis appoſita non fuiſſe; quanquam illinc non diffiteantur, Oracula hæc Chriſtiani hominis alicujus vel fraude vel inſcitia corrupta.

Alex. Hiſtor. Sæc. I. Diſſ. I.

Quam ſententiam ſectaturi ſumus.

Citra quam ulli ex his ſententiis adhæream, meque in propoſito meo conſtanter retineam, opus eſt, ut agnoſcam, priſcam eſſe inter Chriſtianos Traditionem, Sibyllas, ſive multæ dicantur, ſive omnes unius vocabulo comprehendantur, nobis Oracula multa Chriſtianæ Religioni faventia reliquiſſe. Quare ſatis erit mihi ſtatuere, Oracula Sibyllarum, citata a Scriptoribus Eccleſiaſticis primorum Sæculorum pro noſtra Religione, non fuiſſe a Chriſtianis excogitata, ſed a Vatibus iſtis Æthnicis revera conſecta.

Bibl. Crit. Tom. 1. c. 34.

Non me præterit, quot ſapientiſſimi Critici in hanc Traditionem impetum fecerint, ex quo illam Blondellus acriter adeo impugnavit. Non ſum pariter neſcius, paſſim dicere homines, tempus & operam perdere illum, qui rurſus de re hac laborare velit, poſtquam egregius hic Heterodoxus Carminum Sibyllinorum falſitatem demonſtravit *; larvam Vatibus iſtis ætate hac detractam eſſe; conſtare feciſſe Eruditos, antiquos Patres nimiam & proniorem, quam par eſſet, Oraculis Sibyllarum fidem adhibuiſſe; & publice notum eſſe, Doctores Eccleſiæ facile admodum Operum iſtorum calumniam adoptaſſe. Nihilominus licet vetuſta Traditio hæc tot adverſarios habeat Viros præclariſſimos, nemo inficiari poterit, eandem Sapientes multos propugnare, quorum momenta flocci adeo facienda non ſunt; ut ipſorum opinio vel ſaltem ita probabilis ſit, quam eſt aliorum, qui illam adorſi ſunt, atque eſſe cenſent defenſionis deſperatæ. Immo in ſpem non mediocrem inducor fore, ut oſtendam ſententiam de veritate Carminum Sibyllinorum, quibus Patres uſi ſunt ad tuendam Religionem, videri conſtantiorem, tutiorem æquioremque, quam ſit contraria.

* *Poſt operam ad Scriptionum illarum ſutilitatem demonſtrandam utiliter a Blondello poſitam, de longiori hujus argumenti tractatione labor mihi ingratus, Lectori inutilis poneretur.* Huet. Demonſt. Evang. p. 639. 1. Edit.

A R-

ARTICULUS III.

Vetuſtiſſima Traditio eſt, Sibyllas Oracula pro Religione edidiſſe.

ORacula Sibyllarum tot non ſcatent erroribus de iis, quæ inanium Deorum cultum attingunt, ut non afferant multa quoque pro Chriſtiana Religione graviſſima. Reperire eſt in illis Unitas Dei; Incarnatio filii ejus; Judicium extremum, & varia Myſteria alia, quæ Patres, ut Gentiles de Religionis ſuæ falſitate coarguerent, collegerunt. *Myſteria in his Oraculis comprehenſa.*

S. Juſtinus Græcos alloquens, eos hortatur, ut tantiſper iis attendant, quæ loquitur Sibylla *, & conſiderent bona, quæ ipſis collatura eſt, prædicens conceptis verbis adventum Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, qui cum Verbum Dei eſſet, naturam humanam aſſumſit, ad imaginem & ſimilitudinem Dei conformatam, noſque in ea, quam amiſeramus, innocentia reſtituit. Deinde affert quoddam Sibyllarum Oraculum, ex quo palam facit, Deum hominem primum creaſſe, & de nomine Adamum vocaſſe. *Viri Græci*, ſubjungit, *ſi falſam de eis, qui non ſunt, Diis imaginem ſalute veſtra antiquiorem non habetis: Credite, ſicut dixi, antiquiſſimæ & priſcæ admodum Sibyllæ, cujus Libri in univerſo extant Orbe de iis, qui dicuntur, non ſunt autem, Diis, mirifico quodam præſtati Numinis afflatu, ſortibus vos datis docenti; de futuro autem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti adventu ac de rebus ab eo gerendis, liquido & aperte vaticinanti.* *Teſtimonium S. Juſtini.* *Cohortat. ad Græcos.*

Si Theophilo, ſexto poſt Sanctum Petrum Antiocheno Patriarca, perſuaſum fuiſſet, Carmina hæc Sibyllæ ſecundo ſæculo parta a Chriſtiano viro fuiſſe, auderet ne hæc ſcribere: *Prophetæ inter Judæos Paſtores erant rudes, atque indocti, non ſecus atque Sibylla?* Vates iſta Græcorum, & totius Orbis homines univerſos redarguit his verbis: *Viri mortales & carnei, nihil exiſtentes, quomodo ſtatim exaltamini, vitæ finem non inſpicientes? Nec contremiſcitis, nec timetis Deum inſpectorem veſtri? Unus Deus, qui ſolus regnat, magnitudinem excedens, & increatus, omnipotens, inviſibilis, videns ipſe ſolus omnia.* *Theophilus Antiochenus.* *lib. 2. ad Autolycum.*

Sanctus Clemens Alexandrinus inquit: *Nam quomodo Judæos Deus ſal-* *S. Clemens Alexandrinus.*

* *Cognoſcite tandem quorum illa bonorum vobis futura ſit conciliatrix; Servatoris noſtri Jeſu Chriſti adventum diſertis verbis clare prædicens, qui cum Dei ſit Verbum, virtute ac potentia ab eo indiſcretum, homine, qui juxta imaginem & ſimilitudinem Dei conformatus eſt, aſſumto, &c.* Juſt. Cohort. ad Græcos.

Lib. 6. Stromatum. *vos esse voluit, dans eis Prophetas : ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ Prophetas excitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam a vulgo secrevit.* Idem Pater addit etiam : *Præter prædicationem S. Petri, declaravit Paulus Apostolus dicens : Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet, & ea, quæ sunt futura, & Hystaspem sumite & legite : & invenietis Dei filium multo clarius & apertius esse scriptum.* Certum est, hunc S. Pauli locum non extare in ejus Epistolis ; sed verosimile fit, illum sumsisse a quodam sermone, quem habuerit Paulus ad Infideles, ut illos Sibyllæ, quam magnopere faciebat, testimonio convinceret. Et propterea S. Clemens hanc Apostoli sententiam receperat Traditionis ductu, quæ in fidelium animis insederat.

Tillem. & Alexand Hist. Eccles. sæc. I. Dissert. I.

Lactantius. Nemo ferme Scriptorum Ecclesiasticorum est, qui melius Lactantio super Oraculis Sibyllarum mentem suam aperuerit. Postquam etenim de Divinitate Filii Dei egregium sermonem digessit, demonstrat, Gentiles Vates istas prædixisse ortum ejus, prædicationem, Miracula, tormenta, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem, & postremum adventum.

Lib. 4. de vera Sap. c. 25.

Constantinus. Oratio, quam habuit Constantinus Magnus coram Patribus primi Concilii Nyceni, in qua de Sybillis agit Princeps hic, animadversione digniſſima est, nobisque argumentum satis authenticum de re, quam expendimus, sufficit. Doctus hic Imperator loquitur de Sibylla Erythræa in hunc modum : *Divo quodam instinctu afflata versibus ea, quæ erant de Deo futura prædixit, notisque ex ordine primarum Litterarum, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, historiam de Jesu adventu declaravit ; ἀκροστιχὶς hæc quidem est :* Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ σταυρός. *Jesus, Christus, Dei filius, Servator, Crux.* Deinde affert Acrostica, in quibus meminit Sibylla de Judicio extremo, de Resurrectione Mortuorum, de pœnis nocentium, atque æterna felicitate.

Const. in Orat. ad S. Cœtum apud Euſ. c. 18.

Probatur, Acrostica ista a Sibyllis revera conscripta fuisse. Constantinus autem postquam obviam ivit argumentis aliquorum Gentilium, qui suspicionem movebant in Christianos, perinde ac Acrostica nomine Sibyllarum confinxissent ; Oraculorum istorum veritatem probat, aitque, Christianorum peritissimos examinasse, & subduxisse diligentia & studio tanto tempus, quo edita sunt Oracula ista, ut nemo suspicari possit, Poema hoc post adventum Jesus Christi fuisse conflatum. Habeto

Cap. 19. & 20. ejus verba : *Verum de hujus rei veritate satis constat ; quippe nostri homines tempora adeo accurate & magno studio collegerunt, ut nemo possit suspicari, Poema hoc post Christi in terra descensum editum fuisse : atque illi propterea, mendacii perspicue convincuntur, qui ista carmina non olim a Sibylla condita esse prædicant.*

Tametsi D. Augustinus multis in locis de Sibyllarum Oraculis disputaverit, huc afferam unum duntaxat locum, in quo ait : *Erythræa Sibyl-*

bylla quædam de Chriſto manifeſta conſcripſit, quæ etiam nos in Latina Lingua verſibus male latinis, & non ſtantibus legimus per neſcio cujus Interpretis imperitiam, ſicut poſt cognovimus ..... Nam Vir Clariſſimus Flaccianus cum de Chriſto colloqueremur, Græcum nobis Codicem protulit, carmina eſſe dicens Sibyllæ Erythreæ; ubi oſtendit quodam loco in capitibus verſuum ordinem Litterarum ita ſe habentem, ut hæc in eo verba legerentur Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱος σωτὴρ, *quod eſt Latine: Jeſus Chriſtus Dei Filius Salvator.* S. Proſper quoque animadvertit, verba hæc in Carminibus Sibyllarum reperta fuiſſe.

Aug. De Civ. Dei l. 18. c. 23.

Proſper. De prædeſt. p. 2. c. 19.

Hic non affero dicta Origenis, Hieronymi, aliorumque Patrum primorum ſæculorum, in quibus ad defendendam Religionem Sibyllarum Oracula laudarunt. Hæc inferius recitabuntur: ſatiſque erit in præſentia, Autorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis ſubtexere conſenſionem Eccleſiæ, quæ in Proſa Miſſæ de Defunctis docet teſtimonio Davidis & Sibyllæ, orbem terrarum igne conflagraturum: *Dies iræ, dies illa, Solvet ſæclum in favilla, Teſte David cum Sibylla.*

ARTICULUS IV.

Conficitur Criticis præceptionibus, Traditionem iſtam æquiſſimam eſſe.

QUO veritas hæc nobis ſit explorata, intereſt tantum huc paucis revocare Criticas Leges, quas poſuimus, ut conſtare poſſet, num Traditio aliqua ſit recipienda. *Lib. 1. Diſſ. III.*

1. Traditio hæc, quæ fert, Sibyllas multa vaticinatas eſſe Legi Evangelicæ utilia, optimis teſtimoniis munita eſt. Eccleſiæ Patres vetuſtiſſimi, omniumque judicio ſapientiſſimi prudentiſſimique, eam poſteritati commendarunt. Hujus Traditionis catena nunquam interrupta fuit, vel impugnata ab aliquo ante ſæculum XVI. Nullus demum ex Eccleſiaſticis Scriptoribus eſt, cui fermo de Sibyllis inciderit, & Traditionem hanc ſuffragio ſuo non firmaverit. Adeoque non reperies fortaſſe Factum hiſtoricum vetuſtum autoritate melius roboratum, conſtitutum, aut communius probatum. *Teſtimoniis luculenter fulcitur.*

2. Quidquid Scriptores Eccleſiaſtici de Oraculis Sibyllinis pro Religione protulerunt, nihil præſefert fabuloſum, quod aures lædat, aut minus æquum ſit; verum comprehendit Myſteria Fidei noſtræ ſublimiſſima, *Nihil non æquum complectitur.*

ſum-

ſummeque verenda: nimirum Unitatem Dei, Incarnationem Verbi, aliaque, de quibus locuti ſumus.

Patres Carmina hæc non adduxerunt ſine delectu.

3. Niſi ſi velimus Sapientiſſimis Eccleſiæ Patribus credulitatem immoderatam, aut negligentiam vituperabilem apponere; non poſſumus cogitatione concipere, præclariſſimos hoſce Viros commiſiſſe, ut Sibyllarum Oraculis uterentur, ſive ad dejiciendum Paganiſmum teſtimonio ipſo ſuarum Vatum, ſive ad confirmandam Religionem; quin de authentica Carminum iſtorum veritate argumenta ipſis validiſſima ſuppeterent. Hactenus ne eos defeciſſet recta intelligentia, ut cum præſto eſſent ipſis Verbum divinum, Miracula, Prodigia, totque alia momenta illuſtria, quibus Æthnicos de vanitate Deorum ſuorum, & falſitate jactatæ Religionis ſuæ coarguerent, necnon Legis Evangelicæ inconcuſſam veritatem propugnarent; adeo ſui ipſius obliti eſſent, & veritatis negotium parum diligenter egiſſent, ut ad Oracula mendacia confugerent, citraquam antea Gentilium teſtimonio, ſuiſque ipſis oculis certiores effecti fuiſſent, an illa revera ediderint Sibyllæ?

Appellamus ad Regulas Criticæ.

4. Quandoquidem Critici noſtri eruditi hæc Sibyllarum Oracula exiſtimant non modo dubia & ſuſpicioſa, ſed certo ſuppoſititia, haud moleſte ferant, nos ad proprias ipſorum Leges appellare. Accepimus nanque ab ipſis, quoties Factum aliquod hiſtoricum autoritatem habet in priſcis Scriptoribus, quorum maximi ponderis eſt teſtimonium, non eſſe magnopere facienda, quæ adverſus eventi hujus veritatem afferuntur; niſi ejus ſuppoſitio oſtendatur argumentis claris, evidentibus, quæque, ut ita dicam, Demonſtrationem efficiant. Impoſterum videbimus, utrum hujuſmodi ſint argumenta a Sapientibus Viris Iſtis objecta.

Arnald. Tillemont. Mabill. Dupinus, &c.

ARTICULUS V.

Conjecturæ probantes, Oracula Sibyllarum, a Patribus relata, ſpuria non eſſe.

POſtquam authenticam Oraculorum Sibyllinorum veritatem Eccleſiæ Traditione, Patrumque autoritate ſtatuimus, e re erit, quaſdam attexere conjecturas, quæ propoſitum efficere videntur.

Conjectura Prima.

Prima eſt: Libros, in quibus Sancti Patres de Carminibus Sibyllinis meminerunt, Gentiles non latuiſſe. S. Juſtinus de illis memoriam habet in Cohortatione ad Græcos, atque in duabus Apologiis, quas obtulit Imperatoribus Antonino & Marco Aurelio; ut Senatus & Populus Roma-

nus

nus ignorare non potuerint, quæ Sanctus hic Martyr dicebat de Oraculis Sibyllarum, quæ adhibet, ut Paganos proſternat, & Chriſtianam Religionem extollat. *Opera autem, & inſtinctu malorum Dæmonum*, ait D. Juſtinus ad Imperatorem Antoninum, *mortis ſupplicium adverſus librorum Hydaſpis, aut Sibyllæ, aut prophetarum lectores conſtitutum eſt: ut per timorem homines ab illis, quominus ſcripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſervitute eorum retineantur, abſterrerentur. Quod certe quidem efficere & ad finem ſuum perducere nequiverunt. Non enim abſque timore tantum hujuſmodi ſcripta legimus: verum etiam vobis ad inſpiciendum quæ in eis traduntur, ut videtis, afferimus, grata acceptaque omnibus fore ſcientes.* Athenagoras, Theophilus Antiochenus, aliique priſci Patres ſæpius adeo de Religionis noſtræ myſteriis, ab Ethnicis iſtis Vatibus enunciatis, diſſeruerunt, ut fieri non poſſit, quin hæc neſcirent Idololatræ. *S. Juſt. Apol. 2. ad Ant. Pium.*

Secunda Conjectura eſt, Autores Eccleſiaſticos primorum ſæculorum hortatos fuiſſe Gentiles, ut Sibyllarum Oracula legerent, atque expenderent. *Perfacile autem vobis erit*, ait ad Paganos Juſtinus, *rectam Religionem ex parte aliqua, & ea, quæ proxime ad Prophetarum accedunt doctrinam a veteri Sibylla, ex afflatu quodam mirifico, per ſortes ac reſponſa vos docente, percipere.* Lactantius quoque, Auguſtinus, aliique Patres Ethnicis hominibus lectionem Carminum Sibyllinorum ſæpius propoſuerunt, eiſque ad falſam eorum Religionem deturbandam uſi ſunt. Altera conjectura. *S. Juſt. Cohort. ad Græcos.*

E quibus duabus conjecturis colligere poſſumus; ſi Oracula, a Chriſtianis in medium producta, ſuppoſititia eſſent, nullo modo fieri potuiſſe morali ratione, ut Imperatores, Pontifices, Sapientes, Senatum, & Populum lateret falſitas Carminum illorum, quæ ipſis ad Deorum cultum evertendum objiciebantur. Nihil facilius erat, ut Patres falſitatis & calumniæ redarguerent, quam carmina ab ipſis recitata conferre eum archetypis, quæ in Capitolio ſervabantur, ſive cum exemplaribus, quæ per orbem univerſum diſperſa erant, uti narrat Sanctus Juſtinus. Quare Pontifices, apud quos extabant ipſorum Exempla, non reclamarunt, neque ab Imperatoribus expoſtularunt, ut S. Juſtinus, Athenagoras, aliique Chriſtiani, qui ad Deorum venerationem ab univerſo Imperio propulſandam Oraculis iſtis utebantur, tanquam calumniatores & ſeditioſi plecterentur? Hoc ſane pacto viam intercluſiſſent errori, qui jam per orbem univerſum diſſeminatus fuerat. Animadverſiones ſuper his duabus conjecturis.

Conſtat ne, Imperatores Edicta unquam vulgaſſe, quibus caverent ab Oraculis Sibyllarum, quæ Veteres Patres in medium producebant? Declararunt ne aliquando, ea falſa eſſe, notha, mendaciis & calumniis referta, adeoque abhorrentia ab Archetypis, quæ Romæ ſervabantur,

vel

vel in Ethnicorum manibus erant? Nihil majus opus fuiſſet, ut ipſorum exiſtimatio penitus exterminaretur. Porro Imperatores nunquam Chriſtianos de Librorum illorum confectione accuſarunt: neque apparet, Juſtinum, alioſque Patres hac de re ſe purgaſſe: contra vero hortabantur publice Imperatores, ceteroſque Gentilitatis eruditiſſimos, ut ea legerent, perpenderent, & eum iis, quæ præ manibus habebant, conferrent; ipſis revocabant in mentem, Oracula hæc undique diffuſa eſſe; contendebant vetuſtiſſima, atque in illis firmiter adeo & ſolide Religionem Chriſtianam conſtitutam, ut nullo modo ſubverti poſſet.

Tertia conjectura.

Tertia conjectura ducitur ab ipſa exprobratione, quam Ethnici in Chriſtianos jaciebant, perinde ac falſas res in Sibyllarum Libros intruſiſſent, multis locis contaminaſſent, & ſi placet etiam, excogitaſſent. Si nanque Patres vel leviſſima attigiſſent ſuſpicione, Oracula hæc opus eſſe Chriſtiani alicujus, id ne præſtitiſſent unquam, ut certam ipſorum veritatem coram iis aſſererent, qui ex tempore ipſos potuiſſent de calumnia inſimulare, eandem graviter removere, & injuſte conflatam oſtendere? Nonne provocarunt Paganos, apud quos extabant Codices, ut quæ eauſſabantur, probarent? Oportet ſane, ſuſpicionem hanc Ethnicorum futilem fuiſſe, dum nunquam auſerunt Libros Sibyllarum produeere, ut liquido compertum facerent, non pauca in illos a Chriſtianis illata, & varietatem vetuſtorum exemplorum ab iis, quæ tunc recitabantur?

Origenes.

Deinde neſcio, ait Origenes contra Celſum, *quid ei venit in mentem .... aſſeverans, nos multa Sibyllæ verſibus inſeruiſſe maledica, non tamen illa indicans, quæ ſint illa, quæ nos inſeruimus. Indicaſſet autem, ſi aliqua habuiſſet incorruptiora Exemplaria, in quibus non reperiantur, quæ putat a nobis interpolata, quod tamen non fecit.* Hucuſque ingenioſiſſime Origenes.

Libro 7. contra Celſum.

Lactantius.

Lactantius ita ſuper eadem re diſputat: *His teſtimoniis quidam revicti ſolent eo confugere, ut aiant, non eſſe illa Carmina Sibyllina, ſed a noſtris ficta atque compoſita. Quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legerit, alioſque Veteres, qui Erythræam Sibyllam, ceteraſque commemorant, ex quorum Libris iſta exempla proferimus. Qui Autores objerunt, antequam Chriſtus ſecundum carnem naſceretur.*

Lib. 4. de Vera Sap. c. 15.

Alia conjectura.

Aliam quoque conjecturam capere poſſumus ab hoc Lactantii loco, qui, ut ita dicam, videtur efficere demonſtrando, Chriſtianos non eſſe Autores Carminum Sibyllinorum, immo neque illis addidiſſe res commodas Chriſtianæ Religioni. Neque enim Lactantius aſſerit tantummodo, in Libris Sibyllarum extare teſtimonia de Jeſu Chriſti Divinitate, miris factis, aliiſque multis Fidei noſtræ myſteriis; ſed hæc omnia aperte enunciata eſſe in Libris Ciceronis, Varronis, aliiſque celeberrimis Paganiſmi

niſmi Scriptoribus, qui a Vatum iſtarum Libris ea depromſerant. Porro quamquam in Ethnicorum iſtorum Operibus id non reperiatur ad hanc diem, non tamen Lactantii lueulenter affirmantis teſtimonium videtur eſſe explodendum. Critici namque noſtri noane Facta hiſtoriea multa tuentur Scriptorum teſtimonio, quorum Opera perierunt, præſertim ſi ab Euſebio, Photio, vel alio, qui ea ſe vidiſſe perhibeat, laudentur? Quare itaque Lactantii fidei non ſtabimus de Sibyllarum Libris ab Autoribus Idololatris citatis?

Conjectura, quæ ultimo loco eſt, vim habet in Oratione, quam recitavit Conſtantinus Magnus coram Patribus Concilii Niceni, & nos ſuperius memoravimus. Cum igitur Imperator hic Sibyllam adduxerit in conſpectu Cœtus Auguſtiſſimi quotquot unquam fuerunt, quippe conſtantis Martyribus, Confeſſoribus, Sanctiſque Præſulibus & eruditiſſimis, neque inter tot præclariſſimos homines, & Religionis ardore in primis flagrantes ullus repertus fuerit, qui moneret, Religionem in fraudem impelli, & quæcumque de Sibyllis prolata fuerant, fabuloſa eſſe & mendacii plena: Silentium, inquam, illuſtrium omnium Patrum illorum de re tam gravi, & tacita Orationis Imperatoris approbatio, certo ſunt argumento, Oracula Sibyllarum pro Religione ab univerſa Eccleſia tum fuiſſe recepta. Quod ſi vel leviſſima fuiſſet de illis dubitandi ratio, Epiſcopi Ariani, qui Concilio intereraut, non deſiiſſent inſurgere adverſus authenticam Oraculorum illorum veritatem; eum præſertim Conſtantinus illorum teſtimonium aſſumeret ad confirmandam Jeſu Chriſti Divinitatem, & Diſcipulos Arii autoritate eadem redarguendos. Ae ſi conjecturæ iſtæ ſimul ſumtæ quoddam veritatis moraliter certæ genus non pariunt, qua Oracula Sibyllarum a Chriſtianis laudata non ſint ſuppoſititia: mihi tamen ſpes eſt, fore, ut perſuaſum omnibus ſit, conjecturas ab Eruditis noſtris ductas ad illarum falſitatem demonſtrandam, meas nullo modo in lanee ſuſpendere; mihi videor nanque id commodi præ illis habere ſententiam meam, ut ipſi nequeant noſtris conjecturis infirmandis reſponſiones adeo explentes animum afferre, quemadmodum nos probationibus illorum allaturi modo ſumus. Lectoris ſit de hoc judicium ferre.

Poſtrema conjectura.

ARTICULUS VI.

Argumenta Criticorum convelluntur, quæ oſtendunt, Oracula Sibyllarum a Patribus laudata, non eſſe genuina.

Duo argumentorum genera.

CRitici duplex argumentorum genus intorquent; ut Carminum Sibyllinorum veritatem labefactent. Aliud eſt generale, aliud peculiare: nimirum illud innititur quatuor aut quinque Locis communibus, quos rei cuilibet accommodant Litterati noſtri, ſtatim ac propoſita eſt Traditio aliqua vetuſta, quæ ipſis non placet; uti *in* antecactis vidimus, & deinceps videbimus. Quod eſt argumentorum alterius generis, hæc directo ſententiam noſtram aggrediuntur. Verum ut melius utrorumque levitas deprehendatur, e re erit illa ſingillatim expendere.

Anim. in Reg. & Uſum Critic. Diſſ. 2. art. 2. §. 5.

§. I.

De priori rationum genere, quod plerumque Critici in pias Traditiones jaciunt, atque illis, quas in præſens tuemur, accommodant.

Simonius. Launojus. Thierrat. Tillemontius. Bailletus. Dupinus. Alexander, &c.

SAncti Patres, inquiunt Critici noſtri, nimia quam par erat credulitate laborarunt. Rumores vulgi collegerunt plus æquo leviter, eoſque ut germanas hiſtorias habuerunt. Res non ſatis accurate librabant, atque ab omnibus modis cum juſtis tum injuſtis non abſtinebant, ut Chriſtianam Religionem propugnarent * „ Incaſſum, inquit autor „ Bibliothecæ Criticæ **, autoritas Patrum adducitur ſuper controverſia „ præſenti; quandoquidem meridiana luce clarius oſtendimus, priſcos „ Patres nimis fuiſſe pronos ad habendam fidem Oraculis Sibyllarum;

Bibl. Crit. Tom. 1. c. 34. Gall.

* *Norunt qui aliquam rerum Eccleſiaſticarum cognitionem habent, quam vafre priſci illi Patres cum Judæis ac Gentilibus diſputarent.* Simonius Caſtig. ad Opuſc. Voſſii Orac. Sibyll.

** Autor hic ait, ſermonem, quem capite 34. collocavit, opus eſſe Baratii paullo ante in Collegio Mazarino vita functi. At duo huic dicto adverſantur. Primum eſt, Baratium magis honorifice loqui de Patribus Eccleſiæ, quam loquatur Autor capitis 34. alterum, in priore Tomo Bibliothecæ ſelectæ, impreſſæ Amſtelodami anno 1714. qui ſaltem ſecundum meliorem partem confectus eſt a Baratio, compendium extare duorum Librorum ſuper Sibyllis. Primus eſt Opſopæi, alius Davidis Blondelli. Verum in utraque hac Epitome, quæ complectitur capita 9. & 10. Baratius nihil habet, quod conveniat cum iis, quæ ipſi tribuuntur cap. 34. Tomi primi Bibliothecæ Criticæ.

„ quæ

„ quæ primis Eccleſiæ ſæculis a quodam calumniatore conſecta ſunt. Ex- *Dupinus Bibl. Tome 1. de Sybillis.*
„ euſatione digni ſunt Patres, ait Dupinus, quod nimirum illa non ex-
„ penderant .... & quidem mirum non eſt, Patres haud penſitaſſe dili- *Patrum obſequii Patribus gerunt Critici.*
„ genter & Critica trutina Libros iſtos, &c.

Qui jam argumenti hujus levitatem ad Patrum autoritatem enervandam alias probavi, hoc loci tantum addam, ſi opus eſſet vagis iſtis Criticorum noſtrorum reſponſis attendere, dejectum iri omnem penitus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ veritatem, quæ uno Veterum innititur teſtimonio. Cum Eruditi iſti in medium afferunt Factum aliquod, uno vel pluribus Autoribus Eccleſiaſticis probatum, nonne conclamarent, ubi ad ſubtraendum ipſis fundamentum hoc, ſatis eſſet nobis reſpondere, veteres fuiſſe nimirum credulos, res haud examinaſſe, vulgique rumores collegiſſe? Non facerent ſane, quominus conquererentur reſponſa hæc æquitati, & Criticis præceptis non reſpondere. Cur autem hi, qui tanta præſtant nominis dignitate, ad illa tam ſæpe confugiunt? *Ita Animadver. Critic. &c. alibi ubi ſupra.*

Quem fugit, ſubjungunt Critici, Antiquos pluribus captos fuiſſe, atque in errores multos ineidiſſe. Quod præ manibus eſt Factum, non leve ſufficit argumentum. S. Clemens Alexandrinus parum ſollicitus erat, ut Libri quos Æthnicis opponebat, veri aut falſi eſſent, modo ſententiæ ſuæ reſponderent. Quæ modica accuratio ſatis apparet eo ipſo in loco, quo de Sibyllis diſputat, affert nanque in medium Librum ſuppoſititium. Cui dubium eſſe poterit, ſubdunt, quin S. Juſtinus nimis ad credendum factus eſſet? Celebres cellulæ in quibus ſentiebat, ſeptuaginta duos Interpretes Græcam Bibliorum Verſionem ex archetypo Hebraico confeciſſe; Idolum *Semonis Sangi*, Dei Sabinorum, quod non diſtinguit a Symulacro Simonis Magi, ratum facere poſſunt, quam eſſet a natura comparatus ad hauriendas calumnias iſtas. Denique nemo poteſt ignorare, Antiquos alios, qui Oracula Sibyllarum tutati ſunt, non raro offendiſſe, & erroribus multis affectos fuiſſe. *Bibl. Crit. T. 2. c. 34. Gall.*

Verum ſi de Sibyllis admittendum non ſit Patrum teſtimonium, ad quem deducenda res erit, ut dirimatur? Cum etenim nemo ſit inter veteres Scriptores, qui diligentiæ aliquando non defecerit, & lapſus non ſemel fuerit, nonne erit neceſſum ad Scripturas Sanctas confugere. At in illis ne verbum quidem de Vatibus Gentilium. Ex judicio itaque Criticorum noſtrorum dijudicandum erit Factum viginti ferme ſæculorum ætatem ferens. Porro ſi Patres eidem Facto pene contemporanei hallucinati ſunt, & nulla ipſorum dictis adhibenda fides eſt, quo fundamento contendunt Critici, nos illis adhæſuros. Ipſæ ſuæ leges hoc ab illis removent privilegium. Si nanque per eos ſtandum non eſt verbis Patrum, quod nimirum vel accurationis vel monumentorum bonorum vitio in *Reſponſum ad ea, quæ ex Patribus objiciuntur.*

errorem inducti ſint, anne ſe potuerunt jactare Viri iſti Litterati, nunquam peccaſſe vel temere præcipitanter, vel mille aliis modis? adeoque vi conſecutionis ſuæ multo minus antiquis merentur, nos eorum ſententiæ ſuper hoc Facto ſubſcribere.

Quamquam verum eſſet, S. Clementem Alexandrinum, S. Juſtinum, alioſque Priſcos, qui de Sibyllarum Oraculis meminerunt, de re aliqua peculiari in errore verſatos fuiſſe; nunquid licet, ut iſti faciunt, inde colligere, eos in hac quoque offendiſſe? Si Logica principia hanc reſpuunt argumentationem, per accuratæ & rectæ Critices monita ab univerſa Republica Litteraria perpetuo exulare deberet. Denique fidem omnem excedit, Doctor quidam Sorbonicus inquit *, Viros adeo præſtantes, deque Religionis defenſione mirifice ſollicitos, falſitatem ſenſibus tam illuſtrem in Ethnicos intorſiſſe. At id argumentorum genus, reſpondet Autor Bibliothecæ Criticæ, quæ vocant *ex abſurdo*, nihil evincunt, ubi clara adverſæ parti teſtimonia præſto ſint, uti ſunt, ait, in re præſenti. Atque id profecto in quæſtione eſt, nonne argumenta ſuppetant ſatis firma ad Patrum teſtimonium rejiciendum, eoſque coarguendos, quod mala fide egerint, cum Idololatras oppugnarunt. Audi, quam afferat hic Autor rationem de Facto, quod ſtatuit tam audacter: *Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis prudenter animadvertit, Sanctos Patres non omnia vidiſſe*. Quis ignorat, Sanctos Patres cuncta neque vidiſſe, neque cognoviſſe? Sed eccur inde conſequitur, illos ſuper Sibyllarum capite captos fuiſſe? quare colligitur, Doctores Sanctos fallacias & mendacium, quibus Paganiſmus everteret, adhibuiſſe?

Ubi ſupra.

Blondellus ſæpe erravit.

Plus tamen obſequii & moris geramus Viris iſtis, quam gerant ipſi Patribus Eccleſiæ; illiſque ultro concedamus, Veteres, quippe lapſos in aliis rebus, neque in hac mereri fidem. Ex hoc autem opus erit, ut fateantur, erudito Blondello, ab ipſis habito inſtar Patris opinionis ſuæ de Oraculis Sibyllarum, nullam eſſe de hoc Facto autoritatem tribuendam. Præter nanque innumeros graviſſimoſque, in quos inductus errores eſt ob minorem diligentiam, eruditionem, atque adeo malam fidem; labitur etiam ſummopere de re Chronologica in Tractatu di Sibyllis, uti fatetur Autor Bibliothecæ Criticæ.

Ubi ſupra.

Quod ſi quis velit Chronologicis Proteſtantium iſtorum vitiis excuſationem prætexere, ut vitia ſint quoad Factum, de quo agimus, minoris notæ; non laborabo: ſed conveniat identidem neceſſe erit, menda, quæ Priſcis affinguntur de rebus, ab hac penitus remotis, non poſſe ipſo-

* *Quis ſibi perſuadeat*, verba ſunt Boilæi, *falſitatem a tantis viris, & in tam Chriſtianam vigilantibus, Gentilibus objectam fuiſſe, in oculos omnium hominum ſenſim incurrentem?* Colloq. Crit. Boil.

rum

rum teſtimonium imminuere; quandoquidem pleraque ab ipſis allata momenta, ut oſtendant Oracula Sibyllarum a Deceptore minime conficta fuiſſe, firmiſſima revera videntur.

Fallax Criticorum argumentatio.

Tametſi etenim non negarem, quemlibet ſingillatim Eccleſiæ Patrem ſæpius hallucinatum fuiſſe, Libros Apocryphos laudaſſe, exigua aliquando fuiſſe diligentia; efficitur ne hinc univerſos Sanctos Doctores de Carminibus Sibyllinis in fraudem decidiſſe? Integrum erit affirmare, Autores omnes quatuordecim circiter ſæculorum intervallo ſuper hac re captos errore fuiſſe? Ac ſi Scriptorum ſingularium hallucinationes ſatis communes ſunt, cogerent nos eruditi Critici noſtri vel Factum unum indicare, de quo Autores omnes Eccleſiaſtici longo adeo temporis ſpatio a veritate deflexerint, quin alii ſurrexiſſent adverſus ipſos. „ Licet maximo„ pere habenda ſit autoritas Patrum in iis, de quibus conveniunt om„ nes, nihili tamen facienda eſt, ubi de factis Criticis unice quæſtio ſit. Ita argumentatur Autor Bibliotheeæ Criticæ. Verum vi principii hujus autoritas Patrum maximi ponderis eſt ſuper Capite de Sybillis, cum de illo idem ſentiant univerſi, & putum putum ſit Critices Factum. 2. Hoc principium funditus evellit Hiſtoriam Eccleſiæ, cujus eventa pleraque non ad fidem, neque ad mores, ſed ad Criticen ſpectant. Si nanque Patrum autoritas non multum valet, quoties idem ſentiunt omnes, agiturque tantum de Criticis quæſtionibus, quid certi nobis ſupererit in Hiſtoria, quæ in Veterum teſtimonio ſedem habet, cum non omnia Facta eunctorum Patrum, ſed vel unius vel paucorum verbis fuita ſint? 3. Hoc loci admiranda eſt Autoris hujus in argumentando ſubtilitas: *Non magnopere habenda eſt Patrum autoritas, ubi de Factis Criticis unice quæſtio eſt.* Si teſtimonium Veterum, ut nullus Litteratorum repugnat, primum eſt & ſolidiſſimum Critices fundamentum; ſique autoritas Patrum, quoties etiam in idem omnes conſpirant, non magnopere habenda eſt, *ubi de Factis tantum Criticis ſermo eſt*, quo nam principio Criticen ſtatuemus? Fundamento itaque quocumque carebit; adeoque funditus ruet Critice, ſtatim ac non audiemus Priſcos Scriptores, quoties etiam invicem non diſſentiunt.

Tom. I. c. 34.

Quo autem ſententiam ſuam confirmet, ſubjungit: „ Ab antiquis om„ nibus Patribus, Septuaginta Bibliorum in Græcam Linguam Interpretes „ habiti ſunt veluti totidem Prophetæ afflati divino Numine: Interpre„ tum tamen iſtorum afflatum, necnon ipſorum cellulas in nihilum re„ degit S. Hieronymus Critices peritus.

Qua de re animadvertas 1. Sophiſma Criticorum noſtrorum, qui inferunt, Patres deceptos fuiſſe de præſenti Facto, quoniam de aliis decepti ſunt: ac ſi quis diceret: Patres hallucinati ſunt de cellulis ſeptuaginta Interpre-

pretum: igitur de Sibyllis quoque eos opinio fefellit. 2. Autor hic affert in exemplum deceptionis Patrum Factum non modo non falſum, verum rationi maxime conſentaneum, a peritiſſimis Criticis propugnatum, quodque opinione contraria probabilius paſſim exiſtimatur. 3. Differunt maxime inter ſe Facta iſta, & quamquam Factum Cellularum falſum eſſet, non fit inde, aliud quoque de Sibyllis falſum eſſe; propugnatur etenim a Veteribus omnibus, ceteriſque ad Sæculum uſque XIV. Scriptoribus. Propterea unanimis eſt de iſtis ſenſus; contra vero Factum, quod attinet ad cellulas, atque afflatum ſeptuaginta Interpretum, impugnant Divus Hieronymus, aliique ejus ſententiæ ſectatores.

In Bibl. Crit. ubi ſupra.

Denique ajunt Litterati noſtri, quemadmodum non poſtulamus ab aliis, ut deſerant opinioni noſtræ de Facto Sibyllarum, haud ſecus æquum non eſt, alios velle nos cogere, ut inconſulto, quæ tradunt Patres de re hac, ſequamur. Sed rationem dicimus eſſe conſulendam. Nonne autem ratio ipſa poſcit, ut Patrum citius, quam ævi noſtri Criticorum ſententiæ deferamus? Æquum ne eſt credere, magnos omnes Viros iſtos cæcos fuiſſe, & exigua fide vel nimia credulitate peccaſſe; neminemque præter Criticos noſtros accuratione atque æquitate præſtitiſſe? Cui porro fidem noſtram adjungemus, niſi adjungamus Scriptoribus præclariſſimis, & pene ejuſdem cum illis ætatis, qui Oracula iſta propugnarunt coram Æthnicis Imperatoribus, & totius Gentilitatis eruditiſſimis, quos ad reſpondendum argumentis ſuis, ſeque calumniæ redarguendos provocabant? Poſtremo docet ne ratio, ut ratum habeamus, errore captam fuiſſe ſuper hac re Chriſtianitatem omnem, donec prodierunt docti homines iſti, qui mendacem Carminum Sibyllinorum confictorem veluti egeſta humo effoderent, de quo tamen indicare nequeunt nomen, vel regionem, vel tempus, quo vixerit, neque ullam de eo præter leviſſimas conjecturas notitiam habent? Fortaſſe paullo latius quam par erat hac de re diſputavi; at eum inconſtanter eadem objecta Critici noſtri refricent, quæ ad extenuandam Antiquorum autoritatem a locis iſtis communibus depromunt, neceſſum erat exiguam ipſorum ſoliditatem palam facere. Quod nos ſolvet ab hiſce rebus impoſterum inculcandis, niſi ſi Criticorum eorundem importunitate ad id impellamur.

Magis deferendum eſt Patribus, quam Criticis.

§. II.

Argumenta, quibus probant ſuppoſititia eſſe Oracula Sibyllina.

EX quo Blondellus celebris Calviniſta adverſus Oracula Sibyllarum claſſicum cecinit, ejus opinio quamplurimis, Catholicorum etiam, pro-

probata fuit. Illius argumenta tam concluſe rem efficere viſa ſunt, ut qui adhæſerunt ipſi, eadem adoptare non dubitarunt. Quæ cum multa ſint, ſatis erit nobis ſecundum propoſitum noſtrum iis occurrere, quæ ſolidiora videntur: aliis nanque, quæ vel e locis communibus ducta ſunt, vel conjecturis gratis allatis innixa, immorari non vacat; eoque magis, quo Scriptores peritiſſimi objecta hæc omnia firmiter diluerunt.

Primum argumentum in Sibyllarum Oracula.

Ajunt itaque primo loco, Oracula Sibyllarum diligenter a Romanis cuſtodita fuiſſe. Tarquinius priſcus, qui tres Sibyllæ Amaltheæ ſive Cumanæ Libros ab incendio liberavit, eos tradidit in cuſtodiam Viris duobus, quos *Duumviros* appellarunt. Ducentos vero & treſdecim poſt annos auctus fuit numerus ad decimum uſque, iique *Decemviri* vocati ſunt. Sylla his quinque alios addidit, quo factum eſt, ut deinceps *Quindecimviri* nuncuparentur. Fieri itaque non potuit, Chriſtianos Carmina Sibyllarum evolviſſe, quæ ſtudioſe adeo ſervabantur: ex quo fit ea, quæ Patres citarunt, Deceptoris cujuſdam opus fuiſſe.

Reſponſum.

Id tamen enervatur, ſi dixerimus, Vatum iſtarum carmina hactenus abſcondita non fuiſſe, ut ea Cicero, Virgilius, Ovidius, Svetonius, Plutarcus, Solinus, Pauſanias, aliique multi non viderint. Quapropter tanti negotii Chriſtianis non fuit, ea legere ſive ope Sacerdotum, ſive Cuſtodum, qui tempore ipſius Tarquinii exempla illorum amicis ſuis deſcribebant. Perhibent etenim Valerius Maximus & Dionyſius Halicarnaſſeus, Marcum Attilium Parricidarum morte ſublatum fuiſſe, quod nimirum Petronio Arbitro Librorum iſtorum exemplar dediſſet. Inſutus ſiquidem in culeum juſſu Tarquinii, in mare demerſus eſt.

Valer. Max. l. 1. c. 1.
Dion. Halic. l. 4.

Inſuper Varro, qui Chriſtum Dominum ætate præceſſit, & Lactantius teſtantur, Carmina Sibyllæ Erythreæ *, aliaque in manibus omnium verſari ſolita; atque illa tantum Cumanæ ** *Quindecim Viris* in cuſtodiam tradita; quod crederent Romani, Reipublicæ ſuæ univerſæ fatum in illis contineri. Porro inter Sibyllas omnes nulla eſt, quæ de Domino noſtro apertius loquatur Sibylla Erythræa.

Carmina quoque ipſa Cumanæ Sibyllæ omnibus non occulebantur; quoniam Cicero & Virgilius quædam ipſius Oracula recitarunt. Mirum itaque non eſt, Chriſtianos hæc volumina percurriſſe. Illud certe extra controverſiam eſt, Conſtantinum Imperatorem, utpote Imperii atque Urbis Principem, ea legere potuiſſe. Immo ſpecies eſt, hunc collationem

* Nullum fere Patrum reperias ante Conſtantini tempora, qui alia in medium adduxerit Carmina præter illa Sibyllæ Erythreæ, non autem Cumanæ.

** *Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur praterquam Cumana, cujus Libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo niſi a quindecim viris inſpici fas eſt.* Lactant. de falſa Relig. c. 6.

ha-

habuiſſe illorum quæ per orbem univerſum propagata erant, cum germanis, ut cognoſceret certo, num quis Religionem fefelliſſet. * Propterea eſt, illum tam perſpicue edicere, eos capi & mendacii reos eſſe, qui Carmina iſta a Sibylla putant aliena eſſe.

Alterum argumentum. Secundo loco mouent, Carmina Sibyllina igne abſumta fuiſſe in Capitolii conflagratione, quæ contigit Olympiade centeſima quinquageſimæ tertia, anno urbis conditæ 671.

Infirmatur. Non ſum neſcius, Syllæ temporibus Capitolium univerſum conflagraſſe, atque ipſa Sibyllæ carmina in incendio illo periiſſe. Verum hæc erant *Dion. Halic. l. 4.* unius Sibyllæ Cumanæ; neque penitus interciderunt, quod ſcilicet exemplaria multa ſupereſſent. Inſuper Auguſtus Legatos in Aſiam, Africam, Italiam, & præſertim Erythræam miſit, ut colligerent quæcumque carmina Sybillarum reperire poſſent; qui profecto mille illorum ad eum detulerunt, atque illa Imperator in baſe Templi Apollinis Palatini con- *Tacitus l. 6. Annal.* cluſit. Quibus addit Tacitus, Auguſtum ideo conſilium cœpiſſe accurate *Lact. l. 1. de falſa Relig. c. 8.* perquirendi Carmina Sibyllina, quod videlicet Romæ fabulæ multæ nomine Sibyllarum diſſeminarentur. Hæc autem conquiſita & undique collecta, tot fuerunt, ut ad duo millia aſcenderent; quibus expenſis accurate, ab hoc Principe in ignem projecta ſunt, quæ ſpuria erant, & genuina ſervata. Ita refert Svetonius in Vita Auguſti **.

Incendium Capitolii. Præterquamquod ejuſdem Scriptoris verbis oſtendere poſſumus, Sibyllarum Libros in Capitolii incendio non arſiſſe: Animadvertit enim, Auguſtum, cum Vatum iſtarum Gentilium Carmina e Capitolio ad Apollinis Palatini templum tranſtuliſſet, ea a Pontificibus excribi juſſiſſe, quod ſcilicet vetuſtate pene deleta eſſent: *Juſſu Auguſti tranſcripti a Pontificibus, quia caracteres exoleſcebant;* eaque in duobus aureis armariis clauſa ſub Templi baſe collocaſſe: quod perſpicue argumento eſt, Carmina iſta neque cremata, neque poſt Jeſu Chriſti mortem compacta fuiſſe.

Quod eſt autem alterius incendii Templi Apollinis, non diffiteor, Verſus Sibyllarum diſcrimen ſubiiſſe in igne pereundi; ſed conſtat, non periiſſe, quippe præſenti auxilio ſublata ſunt. Id affirmant Flavius Vopiſ- *Ammia l. 23.* cus in Aureliano, & Ammianus Marcellinus. Incendium, inquit iſte, excitatum eſt in Templo Apollinis Palatini: *Ubi niſi multiplex juviſſet auxilium, etiam Cumana Carmina conſumſerat magnitudo flammarum.* Ea-

* *Illi propterea mendacii perſpicue convincuntur, qui iſta carmina non olim a Sibylla condita eſſe prædicant.* Orat. ad S. Cœtum apud Euſeb. c. 19.

** *Quidquid fatidicorum Librorum græci latinique ſermonis, nullis vel parum idoneis auctoritatibus vulgo ferebantur, ſupra duo millia contracta undique cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos. Hos quoque delecto habito.* Svetonius in Auguſto.

pro-

propter Sibyllina Carmina in Templo Apollinis ſervabantur adhuc tempore Juliani Apoſtatæ. Convenit inter Scriptores extitiſſe Libros iſtos ad annum noſtræ ſalutis 399. quo illas combuſſit Stilico, ut obſervat Rutilius Claudius Numatianus. *Lib. 2. Itiner.*

Argumentum tertium omnium firmiſſimum eſt. Quis credat, inquiunt, Libros illos, quos cuſtodiebant Romani, ut cunctis ſuperſtitionibus ſuis autoritatem afferrent, quoſque Religionis ſuæ fulcimentum exiſtimabant, comprehendiſſe Prophetias de Jeſu Criſto clariores iis, quas unquam Judæorum Prophetæ enunciaverint? Tertium argumentum.

Quanquam Oracula Sibyllarum quadam ratione Judaicis prædictionibus clariora eſſent, Ethnici nihilominus tam apertam de Deo cognitionem, quam Judæi, minime habebant. 1. Quia cum Sibyllarum Oraculis falſa innumera intermixta eſſent, ea non conſulebant, niſi ut inde ſacrilegas ceremonias addiſcerent. 2. Gentiles cæci erant, proindeque etſi apertiſſima eſſent carmina illa, non tamen intelligentiam eorum aſſequebantur. 3. Lex non data eſt Gentilibus, ſed Judæis, atque ad eoſdem Prophetæ miſſi ſunt. 4. Prophetiæ Judæorum Sibyllarum vaticinationibus certiores erant; quantumvis hæ claræ eſſent, & evidentes. 5. Præſumere poſſumus, Sibyllas non intellexiſſe myſteria in carminibus ſuis comprehenſa, quemadmodum Caiphas vaticinatus eſt, neſciens quid diceret, & Propheta Daniel faſſus eſt, ſibi id non ſemel accidiſſe. 6. Ea, quæ Sibyllæ nunciabant non poterant ab Æthnicis percipi. *Non dubito*, inquit Lactantius, *quin illa Carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita ſint, cum ea nemo intelligeret: denuntiabant enim monſtruoſa quædam miracula, quorum nec ratio, nec autor, nec tempus deſignabantur.* Elevatur. *Lact. l. 4. de vera Sap. c. 15.*

Quamvis autem Pagani Sibyllarum Oracula non intelligerent, non tamen, ait Divus Auguſtinus, ſæculis inſequentibus inutilia fuerunt, cum teſtimonium eſſent Providentiæ Divinæ, atque ad Idololatras ipſos evincendos opportunitatem haberent. *S. Auguſt. contra Fauſtum l. 13. c. 15.*

Afferunt quarto loco, non videri, Deum afflaſſe Vates atque Antiſtitas Numinum mendacium, quæ homines fallebant, ut ipſis Dæmonum cultum divinoſque honores tribuendos perſuaderent, a quibus invadebantur? Cui verum erit, Deum hujuſmodi Miniſtros adhibuiſſe, ut Myſteria ſua hominibus nunciaret? Quartum argumentum.

At enim quem præterit, Deum eum bonis tum malis donum Prophetiæ poſſe concedere? Lumen hoc eſt, quod mentem afficit & illuſtrat, nulla ratione habita Gratiæ hominem Sanctum facientis, atque amoris divini voluntatem perficientis. Prophetia nanque, cum e recta ſui notione, munus non ſit ad Prophetæ Sanctitatem, ſed ad Eccleſiæ utilitatem collatum, ſicuti ceteræ gratiæ gratis datæ, de quibus ſermonem ha- De medio tollitur.

bet Divus Paulus; mirum non est, Deum impiis etiam lucem propheticam immisisse. Homo etenim, ut adnotavit D. Thomas sapientissime, Propheta esse potest, nec tamen bonus; *& ideo prophetia potest esse sine bonitate morum*. Si reprobi per Matthæum dicturi sunt in extremo Judicii die: *Domine nonne prophetavimus in nomine tuo?* Si Balaamus Idololatra, Dæmonumque Propheta electum populum benedixit, atque ortum filii ejus celebri hac Prophetia prædixit: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel*. Si demum Caiphas, aliique mali homines a Deo vaticinandi gratia cumulati sunt, quare præstantiam hanc Sibyllis denegabimus, quam ipsis cuncti Ecclesiæ Patres tribuerunt? Quod in causa fuit, ut diceret D. Thomas; *etiam Sibyllas multa vera prædixisse de Christo*.

2. 2. quæst. 117. art. 2.

Matth. c. 7.

Numer. c. 24. Joann. 11. 51.

Ecce illa, ut mihi videor, quæ vero magis affinia objiciuntur adversus Oracula Sibyllarum, quæ Patres laudaverunt in scriptis suis. Porro non me latet, multa alia in medium afferri, ut compertum fiat, octo Libros, qui reperiuntur in Bibliotheca Patrum, quique Sibyllarum vocabulo notati sunt, supposititios esse, atque anacronismis plenos, quod nemo inficias ibit. Neque vero mea fuit id tueri, sed tantummodo verisimilimum esse, Gentilium Vatum istarum Carmina Religioni faventia, atque a Patribus memorata, non fuisse a Christianis primis conficta. His omnibus subtexam ante articuli finem, Dupinum non fugisse ullam rationem tutam magis & conclusam, ut ostenderet, Epistolas, quæ Ignatii titulo extant, legitimas esse Sancti hujus Martyris lucubrationes. Atqui probavi ego quidem in anteactis, posse nos efficere, earundem legum pro Carminibus Sibyllinis vi, quæ latæ sunt pro Epistolis Ignatii a Critico isto celeberrimo, Oracula Ethnicarum Vatum istarum nihil esse minus legitima, quam sint Epistolæ Ignatianæ. Si tamen non de octo Libris, ut nunc extant, Sibyllinis, sed de fragmentis illis, quæ Patres recitarunt, sermo sit.

Dupinus in Biblior. Ant. Eccl. 3. prior. sæcul. Gall.

In animadv. in Regul. & usum Critic. Dissert. 6. art. 2. §. 2.

ARTICULUS VII.

Ad trutinam revocantur variæ Criticorum sententiæ de Oraculis Sibyllis adjudicatis, & de tempore, quo conficta esse dicuntur.

EQuidem non viderer mihi operæ pretium fecisse, ubi authenticam Carminum Sibyllinorum veritatem Veterum Ecclesiæ Patrum testimoniis, atque accuratissimæ Critices conjecturis roboravi, atque adversus

verſus objecta in piam hanc Traditionem multa ſarta & tecta defendi: niſi diligentiam omnem eò conferrem, ut omnibus notum fieret, diverſas Criticorum hac de re ſententias haud ſolvendis difficultatibus implicari. Quo autem melius de his judicium ferre poſſimus, ſententias omnes ad tres redigam.

§. I.

SENTENTIA PRIMA.

Carmina Sibyllarum ſuppoſita ſunt ad annum 138. poſt Chriſti nativitatem.

Carmina hæc non ſunt excogitata anno circiter 138.

CUm Divus Juſtinus, Athenagoras, aliique ſecundi & tertii ſæculi Patres Sibyllarum Oracula produxerint in Operibus ſuis, Critici noſtri nullum aptius tempus invenerunt, cui Carminum Sibyllinorum epocham affingerent, quam initium ſæculi ſecundi, atque antequam Sanctus Juſtinus perſpicue adeo de re hac mentem ſuam aperiret.

Dupinus in nova bibl. Tom. 1. de Libris Sibyll.

„ Ratum omnibus & conſtans eſſe debet, inquit Dupinus, Libros Si-
„ byllarum conſutos eſſe ſecundo ſæculo labente. Certo autem deſignare
„ non poſſumus, quo revera tempore, & a quo. Id unum conjici poteſt
„ magis probabile, eos prodire expiſſe ſub finem Imperii Antonini Pii. Celeberrimus Blondellus, a quo ſumſiſſe videtur Dupinus ſententiam ſuam, ait, ſartorem hunc Carminum Sibyllinorum rapſodiam ſuam confeciſſe inter annum 138. & 142. ſive 151., auguraturque conjectura, fuiſſe hunc Montanum Principem Montaniſtarum.

Falſa eſt epocha Dupini.

Quæ tamen epocha per ſeſe ruit, ſi attendamus, 1. Ciceronem annis ſeptuaginta plus ante Chriſti ortum florentem, tria vel quatuor maximopere animadvertenda de Carminibus Sibyllinis narrare. Ait primo, extitiſſe verſus Sibyllæ affirmantes, ſuſcipiendum quemdam Regem eſſe, *ſi ſalvi eſſe vellemus*. Alterum verſus iſtos Acroſticos eſſe, uti ſunt verſus Sibillæ Erithreæ a Patribus memorati, & primis illorum litteris ſententiam Carminis illius pretexi. Dionyſius quoque Halicarnaſſeus, qui paullo poſt Ciceronem Auguſto imperante vixit, animadvertit, Acroſticorum iſtorum ſigno Sibillarum Carmina dignoſci conſueviſſe. Tertium eſt, per Ciceronem *Carmina hæc valere ad deponendas Religiones*; ex quo conſudebat, habenda eſſe condita & ſepoſita, agendumque cum Pontificibus, ne proferrentur. Porro citra dubium eſt, Carmina hæc Acroſtica Sibyllæ Erithreæ fuiſſe, quæ teſtatur Conſtantinus

Tull. l. 2. de Divinatione c. 110. 111. 112.

Cicero Carmina iſta cognovit.

ſe legiſſe, a Cicerone latine reddita. Non diffiteor interea, Oratori huic dubium videri, num verſus iſti in Libris Sibyllarum reperirentur: *Hoc ſi eſt in Libris*. Verumtamen quamquam per id temporis excogitati fuiſſent verſus illi, ſequitur certe perſpicue, commentum Chriſtiani hominis non eſſe poſt adventum Jeſu Chriſti. Ceterum quoniam Cicero adverſus Oracula iſta non inſurgit, ſed concludit tantum eſſe occultanda, apertum eſt, illum hæc germana exiſtimare; adeoque Sybillæ de Filio Dei, antequam naſceretur, locutæ ſunt,

2. Conſtantinus Magnus, Lactantius, & S. Auguſtinus Carmina Virgiliana *in authentieum Religionis noſtræ teſtimonium protulerunt. Verum quidem eſt, autorem iſtum politica quadam aſſentatione hanc Sibyllæ vaticinationem referre ad Salonimum, filium Aſinii Pollionis, recens ad Conſulatum evecti. Sed cœcus eſto qui non videat, verba illa nihil ad ipſum ſpectare. Quid? Puer ne hic cœlo demiſſus eſt. Aureum ne ſæculum duxit? &c. Conſtat itaque per ſeſe ea, quæ ſcripſit Virgilius, apprime ad Filium Dei convenire, qui natus eſt ætate illa, neque in alium quemquam apte cadere poſſe. Qui nanque infans hic eſt, qui de cœlo deſcendit, niſi Salvator? Quænam mundi inſtauratio, niſi tempus gratiæ. Quodnam hoc aureum ævum & populus ſanctus, niſi Regnum Jeſu Chriſti, & Chriſtianiſmus. De quo etiam homine vel Angelo dici poterit, eum noſtrorum criminum veſtigia, orbemque ipſum formidine atque infelicitate perpetua foluturum?

Carmina iſta Salonino tribui nequeunt.

3. Autor Reſponſi ad queſtiones Orthodoxorum centum quadragintæ ſex, quæ nomen D. Juſtini** in fronte gerunt, ait conceptis verbis, S. Clementem in Epiſtola ad Corinthios, cujus finis nunc deſideratur, Sibyllam afferre, ut probaret, homines impios poſt judicium extremum igne cruciandos.

In reſp. ad quæſt. 74.

Paſt lib. 1, viſio. 2.

Novimus etiam, Hermam S. Pauli diſcipulum de Sibylla loqui, tanquam de Vate, quæ multa dixerat pro Chriſtiana Religione. Quod firmo argumento eſt, perſuaſum habuiſſe Chriſtianos a ſæculo primo, extare tunc Oracula Sibyllarum, in quibus de noſtris Myſteriis mentio facta erat. Quid quod oportebat ſane, Carmina Sibyllarum a primo Eccle-

* *Ultima Cumæi venit jam carminis ætas;*
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt & Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto. Virg. Egl. 4.

** Cavius in hunc modum de Opere iſto pronunciat: *Iſtud enim Juſtini opus fuiſſe genuinum, accuratum Photii judicium, acumen, atque doctrina nos dubitare non ſinunt.* Cav. Hiſt. Litt. Sæc. 2. Doduvellus affirmat Juſtinum hunc Siculum fuiſſe, & quinto ſæculo exeunte vixiſſe. Verum quiſquis ille fuerit Juſtinus hic, autor fuit *magni judicii, variæ eruditionis, & elegantis ingenii*. Cavius.

ſiæ

ſiæ ſæculo nota fuiſſe; quandoquidem Joſephus de Turri Babelica & Linguarum confuſione diſſerens, teſtimonium affert a Sibylla depromptum, ut ea, quæ de illis habent Litteræ ſanctæ, confirmet. Revera autem Judæus hic ea refert, quæ apud Theophilum Antiochenum reperiuntur. Quod cum probe animadvertiſſet Dupinus, verba nimirum Joſephi & Hermæ ſententiam ſuam convellere, ſibi viſus eſt, ſatis eſſe, quo ſe ex his laqueis expediret, ſi dixiſſet, ut dicit in quadam notatione ſua de Sibyllis: „ Joſephum atque Hermam di Sibylla mentionem facere, ſed ge„ neratim, „ additque: „ Fieri potuit, tunc quoque extitiſſe quoſdam „ verſus nomine Sibyllarum; ſiquidem Joſephus unum illorum de Turri „ Babelis in medium protulit. „ Atqui licet generaliter tantum Sibyllam citaverint Autores iſti, inde tamen plane conſequeretur, Oracula Sibyllarum ad noſtræ Religionis myſteria ſpectantia, primo ipſo ſæculo perſpecta fuiſſe: ſique tunc extabant per Dupinum carmina Sibyllæ, qui altero Sæculo ea componere potuit homo Chriſtianus, & in lucem edi cæperunt ſub exitum ſolummodo Imperii Antonini Pii?

Joſephus l. 1. antiq. c. 5.

Theop. Antiochi l. 2 ad Autolic.

4. Si tenenda eſſent principia Dupiui, dubium nemini eſſe poſſet, quin Oracula Sybillarum a Patribus citata, cognita fuiſſent ante Imperium Antonini Pii. Hic nanque Doctor tradit, ea laudaſſe S. Juſtinum in Apologia, quam obtulit huic Imperatori, duobuſque Cæſaribus, ab illo in filios adoptatis; Athenagoram etiam eorundem meminiſſe in Apologia ad M. Aurelium oblata; eodem Imperatore regnante iis uſum fuiſſe Theophilum Antiochenum, quem imitati ſunt Tertullianus, Clemens Alexandrinus, aliique plures. Poſt quam Dupini confeſſionem, non multi negotii eſt, oſtendere verſus hoſce in controverſia poſitos, multo antiquiores eſſe, quam ipſe velit? palam enim edicit S. Juſtinus, ætate ſua Sibyllinos Libros per totum Orbem diſperſos fuiſſe: *Cujus Libri in univerſo extant Orbe*, & vulgatiſſimos fuiſſe, quippe vetuſtiſſimi Autoris opus. Qui vero in animum inducat, S. Juſtinum coram Imperatore & frequente Senatu aſſeruiſſe Oracula iſta vetuſtiſſima & vulgatiſſima, ſi paullo ante deprompta fuiſſent ex officina Deceptoris illius, cui tribuuntur? Neceſſum itaque erat, Romanis, quos Vatum ſuarum teſtimonio redarguere conabatur iſte Pater, explorata fuiſſe oracula iſta: alioquin obſtruere ipſi os potuiſſent, & reſpondere, ipſum Opera ſibi ignota, & noviſſime confecta in medium adducere.

§. II.

SENTENTIA ALTERA.

Oraculorum Sibyllinorum ſuppoſitio primo ſæculo contigit:

Petitdidierus in Animad. Tomo 1. parag. 4. pag. 206.

NON diſcrepat a Dupino Petitdidierus, opus eſſe ſcilicet Deceptoris Chriſtiani Carmina Vatum Ethnicarum, a S. Patribus recitata; ſed contendit antiquiora longe eſſe, ac poſuerit Doctor iſte; atque adeo primo ſæculo manaſſe. Quod ſi peritus hic Benedictinus tam firmiter ſententiam ſuam ſtatuiſſet, quam refutavit Dupinianam, haberet quidem unde ipſe ſibi de ſuo labore placeret. Sed cum opinio ſua nullius Autoris vel priſci vel recentis autoritate fulta ſit, eamque arbitrariis tantum ducat conjecturis, haud moleſte feret, nos ab ea deficere, ut antiquæ Eccleſiæ Traditioni adhæreamus.

Probationes hujus ſententiæ.

Habeto qui probet epocham Librorum Sibyllinorum. „ Libenter dicerem, hæc ſunt ejus verba, Chriſtianos immoderato quodam Religionis ardore correptos, prædictiones iſtas Sibyllis commodaſſe, ut inter „ Paganos quoque oracula Religioni ſecunda deprehenderent. Dicerem, „ Chriſtianos iſtos non ſane omnia excogitaſſe, quæ Sibyllarum nomine „ venditabant, ſed quædam addidiſſe, quæ ipſis commoda videbantur, ut „ Ethnici facilius Evangelium reciperent. „ Poſt etiam duos vel tres alios, *dicerem*, ſubjungit, Imperatoribus viſum eſſe, quo facultatem Chriſtianis adimerent, his vaticinationibus uteudi, oportere, ut pœna capitis ipſis caveretur, nc vel legerent Sibyllarum Libros, vel penes ſe retinerent; * reſque ita ſe habuiſſe, cum S. Juſtinus primam Apologiam ſuam obtulit Imperatori Antonino Pio. „ Mihi videor itaque, concludit doctus iſte Criticus, ſententiam hanc nihil haud æquum complecti, quodque optime non conveniat cum iis, quæ apud antiquos de „ Libris Sibyllinis reperiuntur. „

Poſitio ſine fundamento.

Opinionem hanc tueri nemo poteſt.

Quantumvis autem plurimi fiat Petitdidieri eruditio, non crediderim tamen fore multos, qui communem ſuper hac re ſententiam deſerant, ut novæ huic, quinque tantum aut ſex *dicerem* confirmatæ, ſubſcribant. Quoniam igitur alibi ſententiæ hujus levitatem demonſtro, ſatis erit hoc loci addidiſſe, argumenta a nobis allata pro antiqua Eccleſiæ Traditione, ſerente Sibyllas Chriſtianæ Religioni teſtimonium dediſſe, non minus adverſus hanc facere ſententiam, quam adverſus Dupini & ſectatorum ejus.

In Animad. in Reg. Crit. Diſſ. 7. art. 6.

* S. Juſtinus ubi loquitur de Lege, quæ interdicebat lectionem Librorum Sibyllinorum, ait tantum: *Decretum eſt, ut capite luerent, ſi qui legerent.* Non vero, *ſi qui Chriſtiani legerent.* Lex igitur hæc communis erat Paganis omnibus, & cuſtodibus ſolis Carminum iſtorum fas erat, ea legere.

aſſer-

aſſertionem faciant. Opus nanque eſt, Criticos iſtos criminari præclariſſimos Eccleſiæ Patres, eoſque habere tanquam nimis credulos, præjudiciis laborantes, & malæ fidei homines; vel utraſque epochas iſtas de Sibyllinorum Oraculorum figmento deponere. Incommoda profecto ſententiæ illorum conſecutio, & longe admodum periculi magis plena, quam ſit, Æthnicorum Vates agnoſcere Oraculorum, quæ ipſis adjudicantur, auctores.

§. III.

TERTIA SENTENTIA.

Judæi a Bibliis Sanctis decerpſerunt Oracula, quæ Sibyllis tribuuntur.

Sententia Voſſii.

VOſſius tertiæ hujus opinionis autor, fatetur ingenua fide multo ante Chriſti Jeſu adventum extitiſſe carmina, quæ præcipua Chriſtianæ Religionis myſteria nunciabant. Non tamen aſſerit, a Sibyllis conſectas eſſe divinationes iſtas, ſed ad Judæos pertinere, qui eas e Sacris Litteris depromtas, Sibyllarum nomine divulgarunt quo tempore Pompejus Hieroſolymorum potitus eſt, ſexaginta circiter annis ante Incarnationem Filii Dei. Addit quoque, Romanos Carmina hæc tanquam germana Sibyllarum Oracula recepiſſe, eaque quindecimviris in cuſtodiam tradidiſſe.

Voſſius de Sibyllinis Oraculis.

Argumenta pro hac opinione.

Cum etenim ſimul cum Capitolio conflagraverint verſus iſti, non nulli Judæorum rudes homines ſimilia quædam ſimularunt, & tribus Romanis Legatis, a Senatu Ærithræam miſſis obtulerunt, veluti antiquiſſima carmina, & germana Sibyllarum vaticinia: prudentes item Legati iſti ab illis deceptoribus circumventi ſunt: ad quorum denique normam Chriſtiani quidam alia confinxerunt, quæ prioribus ſæculis celebrata ſunt, atque a S. Patribus adhibita.

Quæ faciant contra illam.

Quæ certe ſententia, ut pote nova, nihil magis firma eſt, quam ceteræ; & quanquam ingenioſe excogitata videatur; magis tamen difficultatibus premitur. 1. Qui fieri potuit, ut Judæi a Scripturis Sanctis Oracula pro Chriſtiana Religione deſumerent; eum nemo unus diſſentiat, Myſteria a Patribus memorata, ac ſi eſſent Sibyllarum, ultra quam dici poſſit, clariora & magis enucleata eſſe in Carminibus mulierum iſtarum Gentilium, ac ſint in Divinis Bibliis? Hæc ſane validior probatio eſt, qua Critici verſuum iſtorum authenticam veritatem exagitent.

2. Convenit inter omnes, in illis impia non pauca veritati, atque iis, quæ Religionem attingunt, permixta fuiſſe. Qua de re unde apparet, Judæos eſſe potuiſſe illorum autores, eum Idolorum eſſent hoſtes aperti?

3. Quem præterit, Dionyſium Halicarnaſſenſem, Plinium, Aulumgellium, Solinum, alioſque Hiſtoricos narrationem exequi annoſæ illius fœminæ,

quæ

poſititia ? Teſtes, ſubjungunt, hujuſmodi non ſunt, ut recipiantur; nequeunt etenim ſimul eſſe teſtes & poſſeſſores. Denique veritas nunquam præſcriptionem habet. Atqui rationes iſtæ non magni momenti eſſe videntur.

Intereſt ſcire, utrum nec ne extiterint Sibyllæ, quæ de Chriſto Domino ante adventum ejus locutæ fuerint. Nos ajentem partem ſequimur, nimirum, Oracula iſta comprehenſa fuiſſe in Libris Vatum Gentilium iſtarum, qui Romæ cuſtodiebantur. Hæc hæreditas illa eſt, quam ab Avis noſtris accepimus, & ſine ulla controverſia per XV. ſæcula, immo ſumma tranquillitate poſſedimus: monumenta noſtra ſunt teſtimonia, e Scriptorum cum Eccleſiaſticorum tum profanorum voluminibus depromta: teſtes habemus Eccleſiæ Patres, atque adeo Eccleſiam ipſam, nec earemus firmis momentis, quæ jus noſtrum fulcire poſſint. Argumentum pro hac poſſeſſione.

Nemo in Traditionem hanc directo pugnavit, niſi quidam Pagani pauciſſimi, qui nec reipſa Oracula denegarunt; ſed ſuſpicati tantummodo ſunt, ea interpolata fuiſſe, quin auderent unquam aggredi ad id probandum. Blondellus, Marchius * aliique Critici nonnulli fuerunt ii ſoli, qui primum hoc Religionis noſtræ monumentum Eccleſiæ furripere ſtuduerint. Quibus igitur autoritatem tribuemus? Criticis; an vero Eccleſiæ Patribus?

Cum pereuntamur Sapientes de Autore Oraculorum iſtorum? Reſpondet hic, Chriſtianum hominem fuiſſe, alter Judæum; quidam ad Hæreticos Montaniſtas vel Gnoſticos referunt; paucis, fatentur omnes ſe id non ſcire; & nondum cognitus alicui fuit improbus hic, qui verſuum Sibyllinorum figmento Orbem univerſum decepit.

Præterquam quod vel carmina iſta ab homine Chriſtiano conficta iis aſſimilabantur, quæ Sacerdotes in Templo Apollinis cuſtodiebant, vel non. Si aſſimilabantur, eædem igitur vaticinationes de Chriſto Jeſu erant in Sacerdotum ac in Chriſtianorum Codicibus. Quod ſi diſſidebant ab illis, quæ a XV. viris ſervabantur, & Auguſti juſſu in Templo Apollinis concluſa erant, nunquid non conferre illa poterant cum iis, quæ vulgabant Chriſtiani, & comperto iſtorum ab Archetypis diſcrimine, Chriſtianos calumniæ redarguere? Interim tamen id nunquam præſtiterunt, neque in illos Criticorum conjecturas intentarunt, etſi melius his modum ſcirent, quo Volumina illa ad eam diem ſervata fuerant. Aliud argumentum.

* Marchius Miniſter Batavus, & Profeſſor Academiæ Franekerienſis in Friſia, differit de Sibyllis in refutatione Tractatus Craſſeti de Oraculis Sibyllinis. At doctus hic Jesuita illum ſtrenue iterum retudit.

DISSERTATIO III.

De Oraculis Regis Thulis, & Auguſti Imperatoris.

EQuidem ea non ſum erga pias Traditiones animi anticipatione, ut ſine delectu me in illis propugnandis implicare velim. Et quam æquum non eſt ab eis diſcedere, quæ ad leges a nobis conditas exactæ ſunt; tam rectum non cenſeo, illas tueri, quæ ipſis eisdem legibus non obtemperant: tametſi priſcæ Traditiones iſtæ Chriſtianæ Religioni profuturæ videantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Oraculum Regi Thuli redditum mendax eſt.

SI Suidæ fides, Thulis erat Rex Ægypti, cujus Imperium ad Oceanum uſque intendebatur. Ampliſſimi autem jactati hujus Regni fines non redolent minus fabulam, quam hiſtoria, quæ refert, Regem hunc nomen Thulis dediſſe Inſulæ cuidam Oceani ſeptentrionalis, ſive Maris glacialis, quam modo Islandiam vocant.

Thulis conſulit Oraculum.

Rex iſte rerum ſucceſſibus elatus, ad Serapidis Oraculum ivit, factaque re divina, hæc quæſivit: Dic nobis Ignipotens vera, Beate, qui curſum æthereum inclinas. Quis ante meum regnum potuit tantum? Aut quis erit poſt me? Datum autem ipſi reſponſum hujuſmodi: Primum Deus, deinde Sermo, & Spiritus cum ipſis. Concreta autem ſunt omnia, & in unum euntia, cujus potentia eſt æterna. Velocibus pedibus vade mortalis, incertam tranſigens vitam. Egreſſus autem ex templo a ſuis in Afrorum regione, jugulatus fuit. Hæc narrat Suidas.

Oraculum hoc, quod perſpicue adeo unitatem Dei, & Perſonarum exprimit Trinitatem, ſatis commodi afferret Religioni noſtræ, ſi congrua autoritate munitum eſſet. At Suidas illius narrator tanti non eſt, ut Facto huic fidem conciliet. Illud nullo alio ſponſore intercedente protulit, de quo ne verbum quidem ante X. Sæculum apud alios exciderat, quo ævo ad occaſum vergente floruit Scriptor hic Græcus.

Ceterum Hiſtoria hæc Anacroniſmo laborat, a quo funditus everti neceſſe eſt. Certo conſtat, Thulem hunc Ægypti Regem ex Ptolomæis unum

num non fuiſſe. Porro * Serapis Deitas falſa erat, in Ægyptum a Ptolomæo quodam deducta, qui eam e Ponti Provincia traduxerat, ut conjecturis firmiſſimis placet non paucis. Illud certe extra omnem dubitationem eſt, Herodotum de Serapide non meminiſſe. Ac Tacitus diffuſe perſequitur quare & quomodo Ptolomæorum quidam e Ponto, ubi ſolum per id tempus notus erat, Serapidem Deum in Pontum tranſtulerit.

ARTICULUS II.

Quod ferunt de Oraculo, reddito Auguſto de Puero Hebræo, fabuloſum eſt.

NArrant, Auguſtum Imperatorem jam feneſcentem, deque ſucceſſore deligendo ſollicitum, Oraculum Delphicum conſultum iviſſe, quod jampridem non reſpondebat (Demon ſiquidem poterat optime e Sibyllarum Oraculis & Prophetarum vaticinationibus explorata habere mala, quæ in ipſum ex Jeſu Chriſti adventu impendebant) Conſuetis itaque Sacrificiis ab Auguſto rite peractis, Oraculum nihil edidit prorſus: illis vero rurſus inſtauratis, hoc ab illo retulit reſponſum.

Niceph. Hiſt. l. 1. c. 17. Suidas in Hiſt. verbo Aug. Cedrenus in comp. Hiſt. Baronius in apparatu num. 25. Alexander Hiſt. Eccl. ſec. 1. cap. 13.

Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Reſponſum Oraculi Delphici.

Hoc autem Oraculum de Puero Hebræo, Auguſto redditum nullo modo admittendum eſt. Non inficior quidem Cedrenum illud ex Euſebio citare, ſed hodierna die in ejus Operibus non reperitur.

Patres nullam de Oraculo iſto mentionem fecerunt.

Primi Chriſtianæ Fidei propugnatores, Juſtinus videlicet, Athenagoras, Tertullianus, Theophilus, & Tatianus, ſilentio ne præteriiſſent Oraculum Religioni tantopere favens? Parum adeo ejus ardore flagrabant, ut id emolumenti negligerent? Ac illud, quod pro certo ponitur de ſilentio Oraculi Delphici, aperte falſificatis evincitur ex iis, quæ tradit Plutarcus in Opuſculo *De defectu Oraculorum*: quandoquidem teſtatur, ætate ſua Oraculum Delphicum maxima fuiſſe, quam retro nunquam, in exiſtimatione. Nec non leviſſimum eſt ſilentii hujus argumentum, quod ſibi videtur Baronius ſtatuere in loco quodam Ciceronis; ubi etenim ait Orator hic: *Cur iſto modo jam Oracula Delphis non eduntur, non modo noſtra*

Baronius in Apparatu num. 25.

* Serapis fallax Deus erat, qui ab Ægyptiis colebatur, eique magnificum Templum conſtruxerunt. Templum autem hoc & ſimulacrum demolita fuere ætate Theodoſii Magni anno 389. propter ſeditionem inter Æthnicos Alexandriæ exortam.

Cicero l. 2. de Divin. *ætate, ſed jamdiu*; non ſignificat, Oraculum hoc haud reſponſa tuliſſe; quamvis tanti non fierent, quanti olim; ſed monet, illa tunc non fundere conſueviſſe, ſecundum etiam Plutarchi verba, niſi *ſoluta oratione & vilibus verbis*.

Argumentum pro falſitate hujus Oraculi. Quod ſi Oraculum Delphicum reſponſa non dabat niſi ſoluta oratione, qui factum eſt, illud Auguſto verba feciſſe, ut volunt, carminibus Hexametris? Inſuper aperte falſum eſt, Auguſtum conſuluiſſe unquam Oraculum Delphicum; neque ullum reperies Autorem, qui de re hac mentionem habuerit. Quodque magis animadvertendum eſt, Auguſtum exacto itinere, quod ſuſceperat in Græciam annis ante adventum Chriſti undeviginti, nunquam eo rediit. Neque item veri ſpeciem habet, Auguſtum jam ſenem Delphum Roma petiiſſe, ut noſſet ſucceſſorem ſuum, eum ad eam dignitatem Tiberium deſignaſſet. Denique compertum eſt, Principem hunc poſt civilia bella nunquam ex Italia alio migraſſe.

Baronius ibidem num. 26. Ii quoque ipſi, qui Oraculum iſtud obtrudunt nobis, illud eorrumpunt, dum addunt, Auguſtum Romam reverſum erigi juſſiſſe in Capitolio Aram cum hac Epigraphe: *Ara Primogeniti Dei*. Unde hauſerat ſpeciem hanc unius Primogeniti Dei, de qua nihil in Oraculo? Quanquam igitur Oraculum hoc, Auguſto redditum, non paucos habeat propugnatores; nihilo tamen ſecius eum Veterum teſtimonio deſtituatur, complectaturque multa, quæ diſcrepant ab Hiſtoria, atque a regulis per nos conſtitutis, ut diſcrimen ſit piarum Traditionum, rumorumque vulgarium, mihi viſus ſum eum iſtud, tum aliud Regis Thulis in eventuum falſorum & ſuppoſitorum ordinem neceſſario redigendum fuiſſe.

ANIMADVERSIONES IN REGULAS, ET USUM CRITICES.

LIBER TERTIUS.

De Jesu Christo ab ejus Conceptione ad Baptisma.

DISSERTATIO PRIMA.

De die & mense, in quibus Christus conceptus est, & num Domus, in qua Mysterium hoc impletum fuit, extet nunc Laureti in Italia.

ARTICULUS PRIMUS.

Jesus Christus conceptus est VIII. *Kalendas Aprilis; atque Ecclesia a primis saeculis Festum hoc ea die celebravit.*

UM in animum induxisset Deus, hominem e captivitate Demonis liberare, Angelum Gabrielem ad Mariam misit, qui nunciaret, edituram illam in lucem eum, quem omnes homines a saeculis quadraginta praestolabantur. *Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu inter mulieres. Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Hoc est mysterium, cujus memoriam celebrat Ecclesia titulo Annunciationis; quod scilicet Angelus nuncium hoc toti Orbi laetissimum venerit allaturus. Luca 1.

rus. Poſtquam igitur Traditione firmavero, Deiparam conceptiſſe Filium Dei die quinto & viceſſimo Martii, atque Eccleſiam a primis ſæculis eandem diem hac celebritate ſolemnem habuiſſe, nec non objecta aliqua eadem de re argumenta ſuſtulero, trutina penſitabo, nonne Domus hæc, in qua Myſterium auguſtiſſimum confectum fuit, extet adhuc in Italia.

§. I.

Traditio hæc Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonio roboratur.

Senſa Criticorum de tempore, quo conceptus fuit Chriſtus Dominus.

Thomaſſ. de Feſtis. Tome 2. l. 2. cap. 12. Gall.

ERuditus Pater Thomaſſinus tot ſcriptis, quibus litterariam locupletavit Rempublicam, celeberrimus, exiſtimat, diem & momentum Incarnationis parum certa eſſe, contenditque ob id unum Doctores illa poſuiſſe VIII. Kal. Aprilis, quod communi ſteterint opinioni ferenti, conceptionem novem menſibus nativitati antecedere. Porro per ipſum opinio hæc nihil explorati habet, vel extra controverſiam poſiti. „ Pro-

Tillem. notat. 1. in Jeſum Chriſtum.

„ fitendum eſt, inquit Tillemontius, propterea Domini Conceptionem die „ quinto & viceſimo Martii collocari, quod putetur ille in lucem veniſſe „ VIII. Kal. Januarii, infanteſque novem menſium ſpatio in utero ma„ terno conſiſtere. Cum vero aliquando nonum menſem excedant, & „ plerumque non attingant, non poſſumus affirmare, diem, quo Chri„ ſtus conceptus eſt, nobis certo notum eſſe. „

Bail. in Vitis SS. 25. Martii de Annunc. Maria art. 7.

Bailletus maxime probabilem exiſtimat opinionem iſtam, & quamvis videatur ſtatim ab ipſa recedere, ad eam tamen revertitur, aſſeritque, Eccleſiam id in more poſitum non habuiſſe, niſi quia viceſimum quintum Decembris diem jam antea pro Feſto Natali delegerat. Nihilominus ratum nos eſſe volumus, Eccleſiam non ob aliud miram Verbi Incarnati Conceptionem nunc venerari viceſimo quinto die Martii, niſi quia Traditio Eccleſiæ conſtans nos docet, feliciſſima hac die Gabrielem Archangelum Incarnationem Filii Dei Virgini Deiparæ nunciaſſe.

Teſtimonia SS. Patrum.

Opus quidem erat, in hanc opinionem Eccleſiam deſcendiſſe, quoniam a III. Sæculo deinceps Sancti Patres hac die Sermones habuerunt, ut tanti beneficii memoriam honore proſequerentur. In rem hanc extant non-

S. Gregorius Neocæſareenſis.

nulli Sermones S. Gregorii Epiſcopi Neocæſareenſis; *neque locus eſt dubitandi ab ipſo hac die prolatos fuiſſe. Primus Sermonum iſtorum incipit in hunc modum: *Hodie ab Angelicis Choris laudes divinæ celebrantur*,

* *Gerardus Voſſius Borcholonius, Præpoſitus Tungrenſis, inter Opera S. Gregorii a ſe collecta, edidit has duas Homilias, græce in Crypta-ferrata repertas, ac collatas cum Vaticanis & Sirletanis exemplaribus.* Henſch. tomo 3. Martii die 25. pag. 534.

& lu-

& lumen Chriſti adventus Fidelibus illuceſcit. * In altero refert Pater iſte, quæ geſta ſunt inter Mariam atque Angelorum Gabrielem, Hiſtoriam exequitur Conceptionis Verbi, & ſummis laudibus Sanctam Virginem afficit. Addit deinde in eodem Sermone, Feſta omnia, quæ celebramus, totidem eſſe Sacrificia, a nobis Deo oblata: *Primum autem omnium Annunciationem Sanctiſſimæ Dei Genitricis, verbis illis comprehenſam: Ave gratia plena*. In promtu habemus Homilias multorum aliorum Patrum, eadem die recitatas, quas conſulere licet apud Combefiſium. ** *Greg. Thaumat. hom. 2.*

Traditio Eccleſiæ communis ætate D. Auguſtini ſentiebat, Chriſtum conceptum fuiſſe VIII. Kal. Martii ***. Anaſtaſius Epiſcopus Nicenus tradit nobis, Jeſum Chriſtum *Octavo Kalendas Aprilis conceptum eſſe*. Cum quo facit Oroſius. *Anaſt. libro quæſt. q. 92. Oroſius l. 7. cap. 2*

Autor Chronici Paſchalis, **** qui Sæculo ſeptimo ineunte floruit, animadvertit die 25. Martii in utero Virginis filium Dei conceptum, Eccleſiamque Catholicam hoc Feſtum ex More Sanctorum Patrum hac eadem die celebraſſe.

§. II.

Eccleſia Feſtum iſtud a prioribus Sæculis celebravit.

VEtuſta hæc Traditio optimum fundamentum nacta eſt in Græcorum Menæis & Menologiis: Eccleſiæque Ruſſienſium, Ægyptiorum, Syrorum, Coptorum, aliorumque Orientalium in Calendariis ſuis Feſtum Conceptionis Jeſu Chriſti ad 25. martii aſſignarunt. *Menæa & Synaxarium Colleg. Claromont.*

Idem legere eſt in Martyrologio pro Eccleſiis Ægypti, Arabice conſcri- *Martyrologia.*

* *Hodie Davidicum adimpletum eſt Oraculum, quod dicit: Lætentur Cæli, & exultet terra, gaudebunt campi, & omnia ligna Sylvæ a conſpectu Domini, quoniam venit .... Hodie Gabriel, qui Deo aſſiſtit, ad caſtiſſimam Virginem veniens, illud Ave Gratia plena ipſi annunciat*. S. Greg. Thaumat. hom. 1.

** Homiliæ iſtæ depromptæ ſunt ex Epiphanio Epiſcopo Conſtantienſi in Inſula Cypri, a S. Joanne Chryſoſtomo, a S. Cyrillo Alexandrino, S. Acacio Epiſcopo Melitinenſi, S. Baſilio Epiſcopo Seleucienſi, Tito Epiſcopo Boſtrenſi, Anaſtaſio Archiepiſcopo Antiocheno, Heſichio Presbytero Hieroſolimitano, atque ex aliis multis. Combef. in Bibl. concionat.

*** *Sicuti a Majoribus traditum, ſuſcipiens Eccleſia cuſtodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur*. Auguſt de Trinit. l. 4. c. 5.

**** *Hac igitur die, 25. Martii, uti Romani numerant, Catholica & Apoſtolica Eccleſia Dei, accepto more a Patribus, celebrat S. M. V. Annunciationem. Sexto igitur Menſe reſpectu Eliſabethæ, 25. Martii, hoc ipſo die, Sanctiſſima & intemerata Virgo Deipara Maria, æternum ejuſdem cum Patre & Spiritu Sancto eſſentia unigenitum Filium, Verbum, Chriſtum verum Deum noſtrum in utero ſecundum humanitatem concepit, & ſtatim ab ipſo ejus incepit ſecundum Hyp[illegible]tio*, Chronic. Alexandr. Olymp. [illegible]

pto,

pto, * quod ſervatur Romæ in Collegio Maronitarum. Antiquiſſima Eccleſiæ Latinæ Martyrologia 25. Martii diei apponunt Annunciationem. In Hieronymiano, ** quo Gallia utebatur, notata eſt *Annunciatio S. Mariæ per Angelum*. Sacramentarium S. Gregorii monet: *Octavo Kalendas Aprilis, Annunciatio Angeli ad Beatam Mariam*; & Præfatio tota de Annunciatione loquitur. Præſto ſunt quoque Calendaria aliqua temporibus Ludovici Pii Gallico Regno vulgata, quæ Feſtum hoc afferunt 25. Martii die. Martyrologia ætatis Caroli Calvi, uti Vandalberti, Adonis, & Uſuardi, quæ omnia in Galliis lucubrata fuere, eadem die ponunt, & priſco Annunciationis nomine deſcribunt. Henſchenius item memorat multa alia Martyrologia, in quibus ſub eadem die ejuſdem Solemnitatis mentio fit.

Inter certiora Monumenta, quæ ſuppetant nobis de celebratione hujus feſti diei in Oriente, Canon eſt Concilii Truſſenſis, Conſtantinopolis celebrati anno 672. Quinquageſimus nanque ſecundus interdicit, ne conficiat quis perfectam Miſſam tempore Quadrageſimæ, *Præterquam Sabbato & Dominica, & Sancto Annunciationis die*. Qui Canon pro certo habet, Feſtum Annunciationis jam tunc obtinuiſſe in Oriente, & quidem multo ante, ut animadvertit Autor Chronici Alexandrini, planeque judicare poſſumus ex Patrum Homiliis a nobis adductis, atque ab ipſis in diei illius celebritate pronunciatis. Et quidem veri ſpeciem ſatis habet, priſca Martyrologia Deiparæ Annunciationem non deſignatura fuiſſe, niſi Feſtum hoc Eccleſiam coluiſſet.

S. Leo Epiſt. 16. alias 4. c. 2.

Illud etiam ſuccurrit dicere, Sancti Leonis ætate, ſolemnem diem iſtum fuiſſe; quandoquidem Pater hic de Feſtorum diſtinctione diſſerens, verba facit de Annunciatione S. Mariæ Virginis, de Nativitate Jeſu Chriſti, de Epiphania &c. tanquam de Feſtis per id temporis celebratis ***. Quo autem liquido conſtet, verba hæc interpretanda eſſe de Feſto peculiari, ſatis erit animum attendere ad ea, quæ ſubdit Sanctus hic Doctor in Epiſtola eadem ad Epiſcopos Siciliæ. Si nimirum non habeamus diſcrimen actorum a Jeſu Chriſto poſt ejus Baptiſma, eaque promiſcue ſine diſtinctione honoris proſequi velimus, tempora omnia Feſtis plena fore, quia miris rebus cuncta cumulata fuere.

* 25. *Martii, Commemoratio Annunciationis Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis, quando ab æterno ſecretum & abſconditum & Angelis incognitum Myſterium divinæ Filii Dei Incarnationis &c.*

** *Illud Martyridit hac Hieronymi, cujus modo quatuor apographa nacti ſumus; & quod ſæpius allegamus: horum antiquiſſimum habemus ante annos fere mille antiquo caractere Anglo-Britannico exaratum.* Henſch. Tomo 3. Mart. ad diem 25. pag. 540. & ſeq.

*** *Unde aliud tempus eſt, quo annunciante Angelo B. M fœcundandam ſe per Spiritum Sanctum credidit & concepit.*

Sunt

Sunt pariter qui velint, inſtitutionis hujus apparere veſtigia quædam in Scriptis, quæ priſci Patres lucubrarunt ab exordio ipſo Eccleſiæ, eum ſub Ethnicorum Imperatorum tyrannide ingemiſcebat; ut hinc pietas Fidelium ſingularis ſine ullo Concilii Decreto religioſum quendam pro Jeſu Chriſti Conceptione cultum ſibi efformaverit. Quod liberum deinde pietatis inſtitutum eum ſenſim ad ceteras gentes manaſſet, in univerſam & fidelibus omnibus neceſſariam conſuetudinis obſervantiam evaſit. *Henſch. Tomo 3. Martii ad diem 25. pag. 534.*

§. III.

Quæ in hanc Traditionem objiciantur:

1. SAnctus Auguſtinus, ajunt, aliique ante ipſum S. Doctores Incarnationem Jeſu Chriſti non ſtatuerunt VIII. Kal. Aprilis, niſi ex communi opinione, per quam conceptio nativitatem novem menſibus antecedit. *Thomaſſ. de Feſtis Tomo 2. l. 2. c. 12 pag. 299.*

Ego vero ſciſcitor ſtatim ab erudito P. Thomaſſino, qui nam ſint Patres iſti, qui, uti aſſerit, id propterea fecerint, & quo idem teſtimonio tueri poſſit? Illud ſaltem certum eſt, Divum Auguſtinum ea non protuliſſe, quæ illum dicentem inducit peritus hic Presbyter Oratorii: nimirum Conceptionem Jeſu Chriſti ſtatuendam eſſe die 25. Martii, quia Nativitas inciderit in diem 25. Decembris. Neque etenim S. Auguſtinus hanc elicit conſecutionem loco a Thomaſſino citato; *immo ejus verba ſenſum edunt ſatis ab eo, quem ipſis Thomaſſinus accommodavit, diverſum. Quid enim intendit aliud Divus Auguſtinus, niſi ut credamus Jeſum Chriſtum conceptum octavo Kalendas Aprilis, quo pariter die mortem oppetiit, natumque ſecundum Traditionem octavo Calendas Januarii; quia a Conceptionis die ad diem ejus Nativitati tributum fluxerunt 276. dies? Et profecto magis ad rei naturam accedit dicere, Eccleſiam Ortum Jeſu Chriſti conſtituiſſe 25. Decembris, quod ſcilicet conceptus fuerit 25. Martii: idque priſcæ traditioni, & Sancti Auguſtini menti magis reſpondet.

Bailletus autem, ut Traditioni huic vim detraheret, aliam ſemitam ingreſſus eſt. S. Joannes Chryſoſtomus, inquit, operam navavit, ut oſtenderet tempore jejuniorum menſis Septembris Zachariæ Sacerdoti Angelum adſtitiſſe, quod viſum conſecuta eſt S. Joannis Baptiſtæ Conceptio, ex qua normam ſumſit Eccleſia, unde Conceptionem Jeſu Chriſti deceerneret VIII. Calendas Aprilis, novemque aliis menſibus exactis Nativitatem. Atqui quanquam S. Joannes Chryſoſtomus nos inſtituat, Zachariæ An- *In Vitis SS. 25. Decembris. Hiſt. de Feſto Natalis Domini.*

* *Octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus. Natus autem creditur octavo Kalendas Januarii, Ab illo ergo die ad iſtum uſque computati ducenti ſeptuaginta & ſex dies reperiuntur.* S. Aug. de Trin. l. 4. c. 5.

gelicum Visum tempore jejuniorum Septembris contigisse, quo robore statuere possunt, Ecclesiam S. Joannis Baptistæ Conceptionem præscripsisse sibi, ex qua Domini nostri Conceptionis & Nativitatis diem designaret? Traditio citius constans Sanctorum Patrum regula est, per quam Festa indicit diebus illis, in quibus ea solemniter celebrat.

Thomassinus ibidem pag. 298.

2. Non novimus, sequitur P. Thomassinus, Homiliam Sanctorum Patrum Græcorum vel Latinorum ullam, quæ certa sit, in qua legamus celebratam esse hac die 25. Martii Conceptionem Jesu Christi, vel Mariæ Virginis Annunciationem; & quæcumque producitur in medium ad alterutram spectans, accuratam Criticen non sustinet. Sermo ipse, quem præbet Ecclesia legendum in Nocturnis Officii Festi hujus, S. Leonis opus est ad Jesu Christi Nativitatem pertinens.

Dupinus in Bibl. Autorum trium Priorum Seculorum Gall.

Non inficior, Dupino supposititias esse Homilias a nobis S. Gregorii Neocæsareensis nomine laudatas, quod videlicet earum non meminerint Veteres, atque Autor de multis Hæresibus loquatur, quæ nondum exortæ fuerat, adhibeatque vocem Θεοτόκος erga Beatam Virginem, eamque immodicis laudibus cumulet. Neque item dissentio, Veterum silentium, quod majorem de hoc sermone injicit dubitationem, uti sensit Alexander, *suspectæ fidei reddere*. Verum idem Pater addit quoque: *Nullum argumentum* (esse), *quod probet, istas Homilias S. Gregorio Thaumaturgo esse abjudicandas*. Critici etiam eruditissimi Leo Allatius, Vossius, Combefisius, Theophilus Rainaudus idem de Homiliis istis judicium tulerunt. Sunt quidem qui illas a Proclo Constantinopolitano conscriptas esse putent; adeoque licet Gregorium Thaumaturgum Autorem non haberent, vetustissimæ tamen essent. Quibus omnibus attexam, mirari nos jure ac merito, Dupinum *immodicas vocare laudes*, quibus Deiparam afficit Pater iste; quandoquidem ab ipso Evangelio depromptæ sunt.

Alex. Hist. Secul. 3. c. 4. art 5.

Rainaudus Tomo 12. in Miscell. Philolog. pag 551.

Non probatur, suppositas esse Gregorio Homilias istas.

Simul itaque ac Thomassinus legitimis argumentis ostenderit, spurios esse Sermones aliorum omnium, quos protulimus, Patrum de S. Virginis Annunciatione, parati sumus illorum defensionem deserere. Interea tamen persuasum habemus satis commodam, at nunquam æquis hominibus probabilem viam & rationem esse, qua plurimorum Patrum autoritas amoveatur, fastidiose causari, omnes illorum, quæ laudantur, tractationes *accuratam Criticen non sustinere*.

Expenditur Sermo S. Leonis.

Ut autem occuramus iis, quæ habet Thomassinus de Sermone S. Leonis, ab Ecclesia adhibito in Officio Festi hujus, animo revocare necesse est, Ecclesiam duo nos[illegible]roponere in Festo Conceptionis Jesu Christi, quod celebrat VIII. Ka[illegible]is. Primum [illegible], summam venerationem indicare suam, qua prosequitur felix momentum, in quo Verbum æternum carnem induit: alterum vero honoribus augere Mariam Virginem, quæ ea

die

die ad Matris Dei dignitatem evecta est. Ecclesia itaque selegit pro Lectionibus secundi Nocturni Officii Festi hujus Homiliam S. Leonis de Nativitate, in qua Incarnationis Mysterium egregie explicatum est; Tertii autem Nocturni Lectiones deduxit ex Homilia S. Ambrosii, in qua S. Virginem extollit propter beneficia ipsi eadem die collata, atque illa enarrat, quæ in celebri cum Angelo Gabriele colloquio gesta sunt. Quare etsi nullus alius in promtu esset de Annunciatione Mariæ Virginis Sermo præter hunc Divi Ambrosii, satis esset, ut quisque convinceretur, non deesse aliquem ex primis Ecclesiæ Patribus, qui accuratissimam Criticem sustineat. *Ambr. l. 2. in Lucam.*

3. Vetuit Concilium Laodicenum, urget Thomassinus, celebrari Festum aliquod tempore Quadragesimæ, & sanxit, ut Annunciationis memoria in Adventu coleretur. Similiter quoque fit simile veri, si solemnitas hæc omissa erat in *Capitularibus* Regum, in Decretis Episcoporum, atque in recensione Festorum Gallicanorum, propterea fuisse, quod Concilii Laodiceni Canon diligenter observaretur. *Thomass. ubi supra.*

Concilium Toletanum, anno 656. coactum, Annunciationis Festum transtulit ad octavum ante Natale Domini diem, quod idem præstabatur in multis aliis Ecclesiis, ut animadvertunt illius Concilii Patres. *In multis namque Ecclesiis, a nobis & spatio remotis & terris hic mos agnoscitur retineri.* Nunquam, item constat, Ecclesiam Mediolanensem admisisse ullam cujusvis Sancti solemnitatem tempore Quadragesimæ & Paschatis. Sunt etiam qui existiment, aliquandiu Ecclesiam Romanam suscepisse morem istum. Post hæc quænam veri species, inquit Thomassinus, Ecclesiæ persuasum fuisse, Incarnationem Jesu Christi in diem 25. Martii incidisse, cum potestatem fecerit, immo imperaverit, ejus memoriam usurpari tempore Nativitati ejus tam proximo? quod haud dubie passa non fuisset, si certo ipsi constasset, Mysterium hoc concurrisse in diem 25. Martii. Celebratum est Festum hoc ante Festa Natalitia. *Concil. Tolet. 10. c. 2.* *Rubrus de Can. non. observ. prop. 16.*

Quamvis aliquæ Hispaniarum, Galliarum, atque Italiæ Ecclesiæ aliquandiu Concilii Laodiceni Canoni paruerint, nunquam tamen in dubitationem venerunt, an Conceptio Jesu Christi impleta fuerit VIII. Kalendas Aprilis, qua die eam signant tot Martyrologia a nobis recitata. Quamvis fateri necesse sit, Ecclesias privatas hac de re mutationi interdum obnoxias fuisse; cum non putarent commode posse Solemnitatis hujus letitiam & Quadragesimæ pœnitentiam tristitiamque componere; neque Incarnationis Festum cum Jesu Christi Resurrectione copulare. Neque enim fieri poterat, ut Annunciatio in præstituto quin[illegible] vicesimo Martii die consistens, non incideret in tempus Quadragesimæ, vel Hebdomadæ Sanctæ, vel Paschatis. Quod in causa fuit, ut Episcopi nonnulli eam ad Decembris mensem, in quo celebraretur, traducerent. Mores Ecclesiarum de hoc Festo.

At vero Solemnitas Annuneiationis non multo poſt ad eundem 25. Martii diem revocata eſt, atque in eo celebrata deineeps, licet ſine Octava, ſi quædam excipias Galliarum loca. Nihiloſecius alicubi Feſtum hoc perſeveravit, prefertim in Hiſpania,* ubi ejus memoria ſit ante Natale Domini, titulo Expectationis. Appellarl alias ſolet Feſtum O; quod ſcilicet toto hujus Octavæ ſpacio in Veſperis eanantur Antiphonæ, quæ exordiuntur a voce O; quæ deſiderii & gaudii exclamatio eſt.

Appellatur Feſtum O.

Tamayo Salazar. Martyr. Hiſpania.

Hæc ſunt ſolidiora, quæ contra priſcam hanc Traditionem afferuntur momenta, nec adæquare ſane poſſunt teſtimonia Patrum & Martyrologiorum vetuſtiſſimorum affirmantium, Eccleſiam a primis Ævis credidiſſe, Jeſum Chriſtum naturam ſibi humanam copulaſſe VIII. Kal. Aprilis, atque ea die Feſtum hoc plerumque celebraſſe.

ARTICULUS II.

Num Domus, in qua Nazarethi conceptus fuit Jeſus Chriſtus, extet nunc Laureti in Italia.

Luca 1. 26. & ſeq.

CUM tempus adveniſſet a ſummo Conditore præfinitum, quo nos in ſui gratiam reſtitueret, miſit Deus Angelum Gabrielem in Civitatem Galileæ de Tribu Zabulon, cui nomen Nazareth, ad Virginem Mariam. Porro Urbs hæc 30. ab Hieruſalem leucis diſtat Septentrionem verſus, & applicata eſt colli. Ibidem morabatur Deipara Virgo, cum primum in ſinu ſuo Dei Filium conecpit. Interea noſtra eſt in judicium vocare, nonne Sancta hæc Domus translata fuerit in Italiam. Ante omnia tamen opus eſt paucis enarrare quidquid de auguſto hoc Sanctuario prodit Hiſtoria ab Incarnatione ad uſque annum 1295. quo ſecundum poſtremorum ſæculorum iſtorum Traditionem Lauretum translatum eſt.

§. I.

Hiſtoria Translationis in Italiam domus Sanctæ Virginis.

UT rem a fonte ipſa repetamus, fert opinio, Apoſtolos Demum hanc in ſacellum convertiſſe, atque in illo Altare ere-

* *Quamvis Annuntiationis Beatæ Mariæ feſtum ſuum locum nunc teneat, & octave Kalendas Aprilis in univerſa Catholica Eccleſia celebretur; Toletana tamen Eccleſia utramque retinet ſolemnitatem; alteram menſe Martio, ut Romana Eccleſia ſanctiſſimum inſtitutum ſequatur: alteram octavo ante Natalem Domini diem.* Breviar. Tolet. Lect. ſec. Noct.

xiſſe.

xiſſe. * Latet autem, quo rerum ſtatu fuerit Sanctus hic locus, donec ineunte ſæculo quarto illum Sancta Helena inter magnificentiſſimi Templi ſepta concluſit. *Pervenit Nazareth, & Salutationis Angelicæ domo reperta, peramœnum inibi condidit Templum.*

S. Hieroymus Nazarethum conceſſit, ubi Sacer hic locus adhuc extabat, quo S. Doctore narrante comperimus, ** duas tunc Nazarethi Eccleſias extitiſſe; alteram eo loco, quo Angelus Mariæ ſalutem dixit; alteram vero in alio, in quo Jeſus Chriſtus educatus fuit. *** Ven. Beda, qui paullo poſt Divum Hieronymum floruit, harum duarum Eccleſiarum mentionem facit. Guillelmus Tyrius animadvertit, eam quæ extructa fuit in domo, in qua Filium Dei Deipara concepit, VII. adhuc ſæculo extitiſſe.

S. Hieronymus Nazarethum ſeceſſit.

l. 2. de bello ſacro.

Quid quod ſub initium XII. item ſæculi oportet ſtetiſſe Eccleſiam hanc; quandoquidem Guillelmus Tyrius, cujus Hiſtoria in annum 1180. deſinit, Tancredum narrat Principem Normannum, qui anno 1100. Galliläæ præfectus fuit, poſt Sacrum Bellum ab Urbano II. Pontifice indictum, Eccleſiam iſtam magnis muneribus donaſſe.

Tancredus Eccleſiam iſtam inviſit.

libro 9.

Regum deinde Chriſtianorum tempore poſt ſubactam bello Terram Sanctam, Eccleſia Nazarethica in Archiepiſcopatus titulum erecta eſt. **** Viſuntur adhuc Ædes Epiſcopi, & clauſtra Canonicorum circum rudera magnæ Eccleſiæ, ſed penitus diruta, & ad quaſdam tantum parietinas reducta.

Jacobus Vitrius Cardinalis & Patriarcha Hieroſolymitanus in deſcriptione Terræ Sanctæ affirmat, ſe non ſemel in hac Eccleſia Sacrum confeciſſe: adeoque Nazarethi adhuc erat medio circiter XIII. Sæculo; diem nanque extremum obiit Cardinalis hic anno 1244. Guillelmus Nangius, Sæculi XIII. ſcriptor tradit, S. Ludovicum in Paleſtina agentem, Nazarethum iviſſe, quo pervenit in Pervigilio Annunciationis, eamque diem pa-

S. Ludovicus Nazarethum petiit.

* *Quareſm. Elucid Terræ Sanctæ Tomo 2. l. 7. c. 1. Adricomius, num 73. Caniſius l. 5. c. 25. de Maria Virg. Niceph. l. 8. Hiſt. c. 30.*

** *Eſt Nazareth, ubi Chriſtus egit, viculus in Galilæa juxta montem Thabor, unde & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Nazarenus vocatus eſt; habet Eccleſiam in loco, quo Angelus ad Beatam Virginem evangelizaturus intravit, ſed & aliam, ubi Dominus eſt nutritus.* Hieron. epiſt. 27. ad Euſto.

*** *Nazareth muros non habet, ſed magna ædificia, duaſque grandes Eccleſias; una eſt in medio Civitatis, ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus eſt infans, altera vero eſt Eccleſia ubi domus erat, in qua Angelus ad B. Mariam venit.* Beda de loc. Sanct. c. 16.

**** *Ob hæc igitur, quæ in hac Urbe operata ſunt myſteria, Apoſtoli poſt Chriſti in cælos Aſcenſionem, B. M. V. domicilium, in quo ab Angelo ſalutata Chriſtum Dominum concepit, Sacris uſibus dedicarunt; ..... eodemque poſtmodum loco Dei Genitrici peramanum, & quod Archiepiſcopali Cathedra præcelleret excitatum fuit Templum.* Adric. in Zabulon de Nazareth, nu-

ne duntaxat toleravit & aqua. Poſtridie * Solemni Miſſæ interfuit, & cæleſtis dape refectus fuit in Auguſto Sanctuario, in quo Deiparæ Virgini Incarnationis myſterium Angelus annunciavit.

Domus hæc Nazaretho in Dalmatiam translata eſt.

Anno 1291. Serafius Ægypti Sultanus, occupata Terra Sancta, Eccleſias evertit, Urbes diruit, & Chriſtianos omnes expulit Paleſtina; Cumque his adempta libertas fuerit inviſendi loca Sancta, & præſertim Saecllum Nazarethicum, niſi difficillime, & ingenti pecuniæ collatione: Sanctam Domum iſtam Angeli tranſtulerunt, & fundamentis tantum ibi relictis, ſublatum in aera ædificium in Dalmatiam, octingentis a Nazaretho leucis diſtantem, deportarunt, & ſuper collem prope litus Maris Adriatici ſub mediam noctem depoſuerunt. **

Anno vero 1294. tribus annis, & ſeptem menſibus a priore translatione evolutis, Sacellum hoc rurſus Angeli, Mare Adriaticum trajicientes ad quinquaginta leucarum ſpatium in Agrum Picenum detulerunt. *** Stetit in Sylvam cujuſdam piæ Matronæ, nomine Lauretæ, unde nomenclaturam mutuavit. Octo deinde poſt menſes, anno 1295. ædificium hoc

Dalmatiam in Italiam tranſ. veſta eſt.

tranſlatum ab Angelis denuo extra nemus fuit ſuper Collem dimidia illine Leucæ parte viam publicam verſus. Collis hic ad duos Fratres ſpectabat, qui cum pro hujus Eccleſiæ poſſeſſione ad pugnam pene exceſſuri eſſent, poſt quatuor menſes tranſlata tandem fuit in alium collem ad teli jactum eodem anno 1295. **** ibique ad hanc quoque diem conquieſcit. Tunc temporis Bonifacius VIII. Romanam ſedem obtinebat; Adolphus Imperium adeptus fuerat; Philippus IV. regnabat in Galliis; Carolus II. Neapolis; Philippus III. in Pannonia; Henricus cognomento bonus in Polonia; & Odoardus I. in Anglia.

Alia Translationes.

Supereſt itaque nobis perpendere, utrum Eccleſia iſta, quæ nunc apud Italos in Piceno eſt, nuncupaturque S. Maria Lauretana, eadem domus ſit, atque illa quam incolebat Maria, cum Angelus Nazarethi Myſterium Incarnationis ipſi annunciavit. Ut autem huic rei majorem, quæ in me eſt, afferam claritatem: ſtatuam initio Traditionem hanc teſtimonio Autorum, deinde conjecturis multis, tertio ſeverioris Critices documentis; tandem enitar in eo, ut diluam quæ ad detrahendum de miræ hujus Translationis veritate afferri ſolent.

* *Ibidem Rex devotus, Miſſa in Altari Annunciationis celebrata, Sacram communionem accepit, & inde regreſſus eſt.* Guill. de Nangis Monachus S. Dion. de Geſtis S. Ludovici.

** Annales Illyrici, Hieron Angelita, Turſellinus Lauret. Hiſt. l. 1. c. 2. Adricomius ubi ſupra. Mantuanus, Caniſius, l. 5. c. 15. de Mar. Virg.

*** Joannes Bapt. Magnati Decora S. Domus, Italice. Victorius Brigantius, Narrationes de S. Domo, Italice. Fulgentius Gallucius Oſtenta S. Domus, & alii Italice.

**** Adricomius; Hieronymus Angelita in Hiſt. Virg. Lauret. Benſonius & alii.

§. II.

§. II.

Translatio hæc Autorum teſtimonio, & miraculorum fide probatur.

EXtra omnem dubitationis aleam eſt, quod Scriptorum multorum ejusdem ævi autoritate roboravimus, Sacrum videlicet Sacellum hoc Nazarethi fuiſſe ſub exitum Sæculi XIII. nihilo tamen ſecius anno 1291. in Dalmatia repertum eſt. Nicolaus Frangipani, Comes Tarſaticenſis, & pro Imperatore Dalmatiæ Præfectus, cum a Parocho Tarſaticenſi didiciſſet, Sacellum Nazarethicum ibi inſediſſe, quatuor Viros graviſſimos delegit, qui Nazarethum proficiſcerentur, exploraturi an res ita ſe haberet. Qui reverſi teſtati ſunt, ſe fundamenta vidiſſe murorum hujus Sacelli in Dalmatiam traducti: menſuras omnino reſpondere: Sacellumque Nazarethi eodem die anni 1291. e conſpectu omnium ſubductum fuiſſe, quo primum die in Dalmatia viſum fuit.

Populi ipſi Piceni in eo toti fuerunt, ut facti hujus veritatem aſſequerentur. Quo primum anno apparuit in Italia Templum hoc, & quinto poſt diſceſſum ejus Nazaretho, nimirum 1296. ſex viri regionis illius delecti ſunt, qui in Dalmatiam pergentes, certiores fierent de iis, quæ huic Sacello contigerant, & quidquid illud attingebat, examinarent. Illinc migrarunt in Galilæam, ubi menſuras omnes, non ſecus atque in Dalmatia, æquales invenerunt. His itaque nunciis legitimum Actum confectum fuit, atque a Legatis omnibus ſignatum, cujus archetypum in Tabularium Recinetenſe, excriptis antea exemplis multis collatis & recognitis, concluſum fuit.

Anno 1566. Vir quidam Patritius Recinetenſis, nomine Bernardinus Leopoldus, Juris Doctor, quoddam exemplorum iſtorum adhuc apud ſe retinebat. Clemens pariter VII. tres fideliſſimos Cubicularios ſuos Nazarethum in Dalmatiam, atque in Picenum ablegavit, qui diligenter penſitarent, nonne omnes de hoc Sacello narrationes invicem convenirent; eaſque revera abſolute congruere reprehenderunt.

Monumenta, quæ in Tabulario Lauretano aſſervantur, & Scriptores bene multi referunt, Paulum Rinalducium, incolam Recineti, a Baptiſta Mantuano *perfectæ fidei, & ſingularis prudentiæ* hominem nuncupatum, cum ex juris præſcripto interrogaretur, teſtimonium jurejurando dixiſſe, Avum ejus ſæpe narraſſe ſibi, quod acceperat ab Avo item ſuo, quod nimirum ſuſpexerit in aera Sanctum Sacellum Nazarethicum, cum ab Angelis per Adriaticum mare in Sylvam Recinetenſis Agri transferebatur; & cum ipſe tum alii illud crebrò ibidem inviſerit. Teſtimonium hoc redditum fuit anno 1460. ſub Pontifice Pio II. coram Petro Georgio, dicto Te-

re-

Gulielmus Tyrius, Vitrius, Adricomius, Nangius.

Quæ proviſiones adhibitæ fuerint, ut de hoc facto conſtaret.

Hieronymus Angelita, Turſellinus. Alexander in Vita Leonis de gloriis Lauretanis.

Præfectus Dalmatiæ Nazarethum Legatos miſit.

Turſellinus ubi ſupra c. 13. Hieron. Angelita, & alii.

Hiſtoria Mariæ Lauretanæ edita 1682. Gall.

Alia Translationis hujus argumenta.

Narrationes multæ in hujus Hiſtoriæ fidem.

remano, Laureti Præfecto, qui in Eccleſiam cum narrationem iſtam, tum Hiſtoriam Translationis Sacelli hujus inferri voluit.

Petrus Georgius. Hieronymus Angelita. Turſellinus lib. 2. c. 5. Codex Lauret.

Habeto aliud, quod nihil minus rem evincere videtur, teſtimonium. Franciſcus cognomento Prior, ortus Recineti, ex formulis juris interrogatus jurejurando reſpondit, Avum ſuum, centum & viginti annos natum, enarraſſe, ſe identidem preces ad Deum in hoc Sacello fudiſſe, cum in nemore ſitum adhuc erat; itemque ubi inde ad collem duorum fratrum traslatum fuit. Eorundem Scriptorum autoritate extat alia narratio ſub anno 1389. affirmans, duos homines ætate longevos teſtatos fuiſſe, conſpexiſſe ſe Eccleſiam iſtam per aera delatam. Alius Patricius Recinetenſis, vocatus Marinus Linzonetti, publice fatebatur anno 1490. ſe domi reperiſſe commentariolum in membrana a Proavo ſuo conſcriptum, in quo hæc verba legebantur: *Vidi Sanctum Sacellum Lauretanum, cum ab Angelis trans mare ferebatur.*

Turſell. l. 2. c. 4.

Turſell.

Nos docet Scriptor idem, decem circiter a S. Domus Lauretanæ Translatione elapſis annis, Epiſcopum Maceratenſem miram ejus Hiſtoriam exaraſſe, quæ ipſius ætate contigerat, cujuſque recens memoria erat, multique commode poterant recordari.

Fabius Biondus in Italia illuſtrata. Qui ſcripſerint de facto iſto.

Anno 1440. Fabius Biondi, ab Epiſtolis Eugenii IV. de hac Translatione mentionem habet in quinta regione Italiæ. Joannes Baptiſta Mantuanus Carmelitarum Præpoſitus Generalis longam Sanctæ hujus Domus Hiſtoriam executus eſt, quam anno 1481. Cardinali a Robure, Siſti IV. Pontificis nepoti, nuncupavit, in cujus auſpicium venerat Sanctum illud ædificium. Inſequenti vero anno Religioſus quidam vir e Valleumbroſa, Bartholomæus nomine, aliam ejusdem narrationem dedit. His tamen omnibus acuratius collegit quodcumque ad hiſtoriam iſtam pertineret Hieronymus Angelita Hiſtoricus præclariſſimus, & Antiquarius Recinetenſis, quem Caniſius ſummæ fidei hominem appellat; cui operi nomen Clementis VII. anno 1517. præſcriptum fuit: Eraſmus, ut autor eſt Caniſius, Orationem habuit de Laudibus Mariæ Lauretanæ. Prætereo innumeros pene Scriptores alios, qui eandem rem litteris tradiderunt, cujus nomina conſule in Libro Laureti edito anno 1682. cujus Titulus: *Sancta Domus illuſtrata a Silvio Seragli a Feronia, ſeu Petra Sancta in Tuſcia.* Italice. Silentio quoque Summos Pontifices prætermitto, qui in Bullis, & Diplomatibus, quæ Mariæ Virginis Lauretanæ gratia ediderunt, celebre hoc Sanctuarium memoria proſequuntur. Vix quempiam poſt Pium II. reperias, qui de illo locutus non ſit, aut nova illi Privilegia non dederit. Quod argumento eſt, eos de legitima Translationis hujus veritate non dubitaſſe. Proditum denique eſt, Sixtum V. anno 1587. Æquitum Ordinem ſub auſpiciis S. Mariæ Lauretanæ inſtituiſſe.

Pontifices prærogativas quasdam huic Ecclesiæ conceſſerunt.

Si

Si liceret hiſtoricum Factum ex divinis rebus ſignificatis, portentiſque deducere, hoc ſane plurima nobis ſuppeditaret, veluti, arcanum reſeratum a Superis Parocho S. Georgii Treſaticenſis, cum Sancta Domus in Dalmatiam trajecta eſt; aliud oſtenſum ſingulari Dei Servo cuidam, nomine Paulo Foreſti, aliaque id genus multa. Quod eſt autem prodigiorum, tot Deus patravit, ut miram hanc Sacri Sacelli Translationem autoritate ſua firmaret, ut illa recenſenti magnum volumen ſuccreſceret. Inter quæ nonnulla ſunt tam explorata, tam publica, tamque minime dubia, ut ea nc Hæreticus quidem in controverſiam vocare poſſet. Cui porro placeret miraculorum iſtorum enumerationem ſingillatim habere, adeat autores illos, a quibus collecta ſunt, & præ ceteris Opera Turſellini, & Canifii, Hiſtoriam S. Mariæ Lauretanæ, editam anno 1682. aliaque bene multa.

Hiſtoriam hanc confirmant mira facta, & res divinitus patefactæ.

Angelita, Turſellinus, & alii.

§ III.

Hiſtoria hæc fulcitur Conjecturis, & regulis Criticis.

TAmetſi conjectura e morali facultate ducta ad Factum aliquod röborandum, non ſatis clariſſimis Criticis noſtris ſapiat; non poſſum tamen quin afferam hic id genus quandam, quæ demonſtrare pene videtur, Sacellum, Laureti cultum, eſſe domum illam, in qua Deus Incarnationis Myſterium operatus eſt. Admirandus nanque Verbi cum humana natura nexus, hoc loci compactus, in eo videtur reliquiſſe vim aliquam Sanctitatis, virtutiſque cœleſtis, qua adhuc quotidie in auguſto illo Sanctuario quiſque afficitur. Quæ non ſuavitatis, pietatis, ardoriſque ſenſa cor ſuccendunt, mentemque illuſtrant, qui verendam domum iſtam ingrediuntur, aut ad illam proxime accedunt? Sanctum quendam horrorem pervadere animum ſentiunt omnes, vivamque adeo Dei præſentiam ipſos urgere, ut aperte fateantur, ſe nunquam quidpiam tale eſpertos fuiſſe. Scelerum cumulatiſſimi emolliuntur, indurati concutiuntur, impii commoventur; atque ipſi hæretici pertinaciſſimi miſcentur atque agitantur. Hujuſmodi ſunt prodigia, quæ Virginis Lauretanæ Peregrinis in dies ſingulos accidunt. Inde namque egreditur qualitas quædam cœleſtis, quæ alte adeo in omnium corda permanat, ut ubi etiam veritatis, quam expendimus, quodcumque aliud deeſſet argumentum, id unum ſatis eſſet ſuperque, unde conſtaret nobis, Domum, in qua Virgo Filium Dei concepit, extare Laureti. Qui miri effectus ſenſibus eo patent, perſpecti ſunt, publici, & tot hominum autoritate roborati, ut non vacet, eos in medium afferre Scriptores *, a quibus enarrantur. Contentus autem ero in hujus articuli fine egregia hac de

Hæreticiquum pervicaces in Ædis hujus ingreſſu excitantur

* *Annunciationis locus ſpirituales aculeos, & ardentes divini amoris ignículos, quibus excitantur, inflammantur, & illuminantur mortalium corda.*

re celeberrimi Mureti ſenſa referre, quæ poſteritati conſeeravit in carminibus, in pietatis ſpeeimeu erga Mariam Lauretanam ab ipſo fuſis.

Alia conjectura capta ab imagine quadam S. Ludovici.

His itaque omnibus aliam tantum conjecturam adiieiam. Superius animadvertimus, S. Ludovicum in Paleſtina commorantem, ad S. Saeellum Nazarethicum iviſſe viſere, ibique rem divinam tanta celebrari juſſiſſe magnifieentia, quanta nunquam impoſterum prodiit. * Satis autem ſimile vero fit, Chriſtianos in ſolemnitatis hujus Regiſque Autoris monumentum, pinxiſſe in latere ſanctæ hujus ædis imaginem S. Ludoviei ſtantis & erecti, Regali purpura induti, & vexillum enſemque gerentis. Effigies iſta conſpieitur adhuc in Æde Lauretana. Et tamen certum eſt, in illa nullam expreſſam fuiſſe ſpeeiem, ex quo in Italiam translata ſuit, ut faeile judieium ferre poterit quieumque murorum diſpoſitionem conſiderabit, imagineſque ipſas, quæ in Paleſtina depictæ fuiſſe videntur. Ex quibus promtum eſt effieere, Sanctuarium Lauretanum aliud non eſſe ab eo, quod Nazarethi inviſit S. Ludovieus.

Statuitur factum iſtud Criticis præceptionibus.

Quod ſi Critiees ſeverioris præcepta ad miram hanc Translationem vindieandam conſulere oportet; nihil magis præſtandum erit, quam huc illa revocare, quæ alias dedimus, & connexa ſimul eertam, ut ſunt humana veritatis alieujus facti notitiam, inexpugnabilemque probationem efficere poſſunt. Præcepta ſunt quæ ſequuntur. *I. Neceſſe eſt Facta comperta eſſe, ſenſibus patere, & de quibus aures atque oculi ipſi judicium ferre poſſint. II. Publica item ſint, atque in Orbis totius conſpectum venerint. III. Extent eorum Monumenta publica, & ceremoniæ ad poſteritatis memoriam inſtitutæ ſint. IV. Oportet denique hæc monumenta, atque has ceremonias tunc inde, cum res accidit, exordium duxiſſe.* Hæc porro præcepta ad rem noſtram aecomodemus.

Animad. in Reg. Crit. Diſſ. 3. art. 2.

Præceptorum iſtorum ad rem noſtram traductio.

I. Quæſtio eſt de Domo, in totius orbis conſpectu poſita; adeoque factum hoc ſub ſenſus eadit. II. Publicum pariter eſt. Poterant Cives omnes Nazareni Eecleſiam hane vidiſſe ante Translationem ſuam, quæ dein ceps non apparuit. Contra vero Itali & Dalmatæ conſpexerunt ibi

Cod. Lauret. *Hinc divinus ille omnium pectoribus incutitur horror ad Sacroſanctæ Domus ingreſſum.* Turſell. l. 1. c. 6. *Homines flagitiis obrutos in Dei filios transformari, ut ex Hæreticis Catholici, ex Lupis oves evadant* Can. l. 1. *Perditi homines hac in ade repente mutantur, impietatem ejurant Hæretici, ultores iras ſimultateſque deponunt, ubi primum in Chriſti ejuſque Matris veſtigiis pedes poſuerunt.* Joann. Boniſ. Hiſt. Virg. *Non arbitror quenquam unquam fuiſſe, aut futurum tam ſceleſtum, tam perditum, quem non Lauretana Maria aſpectus aliqua pietatis ſenſu commoverit.* Chriſt. Mariani Auguſt. Troph. Mar.

* *Quam ſolemniter & glorioſe fecerit celebrari Veſperas, Matutinas, Miſſam, & cetera quæ ad Feſtivitatem tam celebrem pertinebant, atteſtari poſſunt, qui affuerunt, quod poſquam Filius Dei in eodem loco de glorioſa Virgine carnem ſumſit, nunquam tam ſolemne, tamque devotum officium fuerit ibi factum.* Nangius ubi ſupra.

de

de repente Domum, ubi nunquam fuerat. Propterea geſtum eſt miraculum iſtud in oculis omnium Provinciarum illarum. III. Locum habere poſſunt inter monumenta publica, in hujus prodigii memoriam erecta Eccleſia a Frangipano Dalmatiæ Præfecto ædificata. Templum hoc ita conſtructum fuit, ut adamuſſim Nazarethicum æquaret, poſitumque eſt eo loci, in quo erat illud, antequam Dalmatia trasferretur. In cujus janua aliud Portenti hujus videre eſt monumentum: Mauſolæum videlicet Frangipani, Templi illius conditoris, qui eum locum ſibi in ſepulcrum ſelegerat: Tertium tandem marmoreus lapis, in quo hæc ſculpta ſunt: *Hic eſt locus, in quo fuit Sanctiſſima Domus de Laureto, quæ nunc in Recineti partibus colitur*. Denique monumenta hæc omnia nihilo recentiora ſunt, quam prodigium, cujus gratia poſita fuere. Turſellinus horum narrator inquit, multos fide graviſſima Viros teſtatos ſibi fuiſſe, ſe monumenta hæc omnia conſpexiſſe, & ſpeciem veri habet, illa in hanc quoque diem extare. *Hieron. Angelita.*

§ IV.

Argumenta adverſus Translationis hujus miraculum.

PRoteſtantes, qui ſemper Divina Oſtenta faſtidiunt, non prætermiſerunt, quin iſtud quoque oppugnarent. Nimis ſplendidum eſt, ut eorum Criticem declinare potuiſſet; at a Caniſio, Turriano, aliiſque non paucis ſtrenue refutati ſunt. * Cum vero Hiſtoriam iſtam adortus eſſet ** Petrus Paulus Vergerius, a Rutilio Benzonio Epiſcopo Lauretano propugnata eſt, qui objectis per Vergerium, ab Autorum ſilentio ductis, occurrit. At vero Launojus armis perpetuo inſtructus negantis argumenti ſui, cum dediſſet operam, ut Facti hujus hiſtorici famam elevaret; Theophilus Rainaudus non modo rationum Autoris hujus levitatem oſtendit; ſed firmiſſime S. Domus Lauretanæ miram Translationem extra aleam poſuit. *Tome 8. Antemuralis adverſus fortia ingenia.*

Poſt hoſce igitur tot glorioſos Sapientum labores, qui univerſa adverſus prodigium a nobis expenſum objecta ſuſtulerunt, nullius frugis eſſet illa rurſus attingere. Nihilo tamen minus ne quid negligeamus, quod ad rem hanc illuſtrandam facere poſſit, diſſimulandi mihi non ſunt difficiles nodi illi, quos implicavit Caſaubonus ſuper his, quæ habet Baronius de Sanctuario Lauretano, quæque non modicam animi intentionem merentur. Argumenta Caſauboni.

Cum nanque dixiſſet eruditus hic Annalium Scriptor ex verbis Bedæ,

* Caniſius de Maria Virg. l. 5. Turianus reſponſa apologetica.

** Vergerius Idolum Lauretanum; Benſonius de fuga & cant. Magn.

duas Nazarethi Eccleſias extitiſſe : contendit Hæreticus iſte, hæc verba Bedæ : *Altera Eccleſia eſt, ubi domus erat, in qua Angelus ad Mariam venit*, miraculum Translationis evertere. Dictio nanque iſta, ait Caſaubonus, *ubi domus erat*, indicat, Bedæ ætate Domum illam non extaſſe; vel ſi extiterit, non amplius fuiſſe Domum. Quod ſi non extabat, qui fieri potuit, ut vult Baronius, *illam ſemper duraſſe integram*? Si vero reſpondeas, inſtat Caſaubonus, domum iſtam in Eccleſiam immutatam fuiſſe, rurſus interrogo, quonam pacto aut tempore Templum hoc denuo in domum reſtitutum fuit? Si quidem dicuntur Angeli, domum non Eccleſiam tranſtuliſſe.

Reſponſum. Sine repugnantia vero reſpondere poſſumus, Ædem Lauretanam, ubi traducta ab Angelis fuit, & Eccleſiam & domum fuiſſe. Chriſtiani nanque domum hanc in Eccleſiæ formam mutaverant; atque in integro domo tota relicta, ipſi ornamenta appoſuerant, ut ad Eccleſiæ ſpeciem comparatent. Hujuſmodi autem erat, eum in Dalmatiam primum, deinde in Italiam tranſvecta eſt. Ædificium hoc muris conſtabat ſine fundamentis, apertum tecto erat, & faſtigio eminebat æris campani turriculà : Intus æſtuarium habebat, quod ſupereſt in hanc diem; Laqueare ligneum & æruleatum, aureiſque ſtellis in ipſo infixis ornatum. Picturæ quædam circum poſitæ erant, altare erectum, aliaque ornamenta, quæ in Eccleſiis videri ſolent. Laqueare ſublatum fuit propter multa luminaria, quæ perpetuo ardent in eo Sacello. Quædam tamen Laquearis hujus fragmenta ſervata ſunt, quæ peregrinis oſtenduntur.

Turſell. l. 1. c. 19. Codex Lauret. Angelita, & alii.

Alia Caſaubonii objectio. Baronius, urget Caſaubonus, mordicus affirmat, Domum Lauretanam ejuſque dimenſiones apprime reſpondere veſtigiis, quæ ad hæc tempora Nazarethi conſpiciuntur. Fateor, Inquit Heterodoxus iſte, id me penitus præterire. Volvi equidem Scripta Autorum multorum, qui Sancta Paleſtinæ loca inviſerunt; neque tamen quid tale reperi in narrationibus, quas ad nos derivarunt. Mirum ſane eſt, poſt tot mutationes extare adhuc domus hujus alio translatæ veſtigia : *adhuc ſupereſſe domus portatilis ſuperficies.*

De medio tollitur. Atqui Cardinalis hic egregius ea non dicit, quæ ipſi affingit Caſaubonus, veſtigia nimirum Sacelli Lauretani eſſe, *quæ adhuc Nazarethi viſuntur* : ſed Legatos poſt Templi hujus translationem miſſos deprehendiſſe, menſuras omnino reſpondere. Audi verba Baronii: *Qui Nazareth inviſerunt, ejuſdem domus ſitum eadem omnino menſura ſignatum inſpexerunt : accolis, quod factum eſt, fideliter atteſtantibus.*

Baron. ad ann. 9. num. 1.

Poſtquam autem Sacra illa Ædes in Occidentem translata eſt, Fideles Paleſtinæ extrui curarunt titulo Annunciationis Virginis Mariæ aliam Eccleſiam, quæ ſpatio eodem concluderetur, in quo erat antea pretioſum illud Sanctuarium, uti ſcribit Franciſcus Alcarotus Canonicus Novarienſis

in

in ſuo itinere ad Terram Sanctam, Italice exarato. Quam Eccleſiam vi- l. 2. c. 19.
tium facientem P. Jacobus de Vendome ex Religioſa S. Franciſci Familia, qui erat Nazarethi cœnobii ſui cuſtos ab anno 1620. ad 1626. operam dedit, ut a fundamentis inſtauraretur. Porro terram invertentes fundamenta Sacelli Lauretani detexerunt, * quemadmodum autor eſt Thomas Novarienſis, qui tunc Nazarethi agebat.

Quid quod ſi Baronius tradidiſſet, ad hanc quoque diem extare Nazarethi veſtigia Sacelli Lauretani, nihil dixiſſet prorſus, quod veritati apprime non congrueret. Moriſſonius nanque Canonicus Barro-ducenſis, & Æques S. Sepulchri in narratione Hiſtorica itineris ſui ad Montem Sinai, ſermonem habens de loco, ubi Angelus Mariæ Virgini Incarnationis Dominicæ nuncium dedit, deque alio ædificio, quod domus hujus partem efficiebat, hæc addit memoranda verba: „ Reliquum domus iſtius tranſ- „ latum Lauretum fuit, quod omnino exæquat dimenſiones fundamen- „ torum, quæ ſuperſunt Nazarethi. „ Edita eſt Pariſiis 1704. in 4. Gall.

Objiciunt tandem, mirum eſſe, Sanctum Antoninum Prodigii hujus non meminiſſe; neque enim poterat illum latere, qui Florentinus erat Archipræſul.

At illud animadvertas velim, neceſſum non fuiſſe, Hiſtoricum ſcribentem centum circiter & quinquaginta poſt hanc Translationem annis, eaque ætate, in qua nemo unus, vel maxime in Italia, id ignorare poterat, hujuſmodi Facto Hiſtoriam ſuam refercire.

Quod vero urgent de S. Vincentio Ferrerio, majus negotium faceſſit; qui cum a ſæculo circiter floruiſſet, poſtquam Angeli ſanctam domum iſtam tranſtulerunt, ita de illa loquitur, perinde ac tunc temporis adhuc exiſteret Nazarethi. Verum præterquamquod Sanctus iſte vir ævum ſuum tranſegit in regionibus a Laureto longe diſſitis, Sancta item ſedes Avenionem delata fuit, anno ab hoc prodigio undecimo, ibique quatuor & ſeptuaginta reſedit annis, qua de re factum eſt, inquiunt Hiſtorici, toto hoc temporis intervallo modicam fuiſſe Domus Lauretanæ famam, neque ultra Picenum vix pervaſiſſe: *Lauretana Domus Piceni finibus ſe ferme tenuerat; in longinquas regiones vix tenuis quidem & obſcurus manaverat rumor*. Huic articulo Colophonem addant ſenſa pietatis, quæ celeberrimus Muretus his carminibus expreſſit. Turſellinus ibidem.

* *Summa omnium exultatione planta Sancta domus Lauretana, per omnia aqualis inventus eſt Nazareth locus, & fundamenta muris, & domus fundamentis, locuſque loco, ſitus ſitui, ſpatium ſpatio, Nazareth inquam & Loretiomnino convenire, ac commenſurari, divina opitulante gratia veraciter invenimus. His itaque ex eiſdem fontibus pure hauſtis ad Fidelium conſolationem fideliter prominus, ut nullus deinceps in re tam gravi dubitandi locus ſuperſit.* Apud Quareſm. Tomo 2. Elucid. Terræ Sanctæ l. 7. c. 5.

§ V.

§. V.

Antonii Mureti ſingularis pietas erga B. Virginem Lauretanam.

UNde mihi inſolitus præcordia concutit horror?
Et perfuſa metu trepidat, velut icta Deo mens?
Fallor, an hoc facit ipſe locus, ſtimuloſque paventi
Subjicit, atque animum præſentia Numinis urget?
O cœlo dilecta domus, poſteſque beati,
Quos ego jampridem, tota mihi mente cupitos,
Nunc primum, veteris voti reus, advena viſo:
Salvete, adſpectique mihi felicíter eſte.
Vos ne per æthereas Judeæ a finibus oras.
Aligerum, mandante Deo, duxere manipli?
Hic Virgo, genitura Deum, genitricis ab alvo
Prodiit, & blandis mulſit vagitibus auras.
Hic quoque Virginei ſervata laude pudoris,
Sancta ſalutifero tumuerunt viſcera fœtu.
Ille opifex eunctorum, illa æterno unica proles
Æqua Patri, ille homini primæva ab origine lapſo
Spem cœlo, vitamque ferens, hac luſit in Aula
Parvulus, & Sanctæ blanda obtulit oſcula matri.
Quænam igitur Regum ſedes, Templaque per orbem
Huic ſe auſint conferre loco? Ter & amplius omnes
Ante alias fœlix Piceni Littoris oras;
Cui Solymos ſpectare domi, cui munere Divum
Fas calcare domi eſt pedibus veſtigia Chriſti.
En ego jam ſupplex procumbam, atque oſcula figam
Parietibus ſanctis, ſpargamque hoc pulvere crines.
Aſpice me ſuperis e Sedibus, aſpice Virgo
Proſtratum, atque imo gemitibus ex corde cientem,
Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem:
Neu, quanquam culpis adopertum turpibus, arce
Aſpectu me Diva tuo, ſi pectore toto
Te veneror, ſi te dubiis in rebus ad unam
Confugio, teque auxilium Sanctiſſima poſco.
Pœnitet ex animo vitæ me, Diva, prioris,
Pœnitet, & meritas horret mens conſcia pœnas.
Quod niſi tu caſto pendentem ex ubere Natum

Salutatio ædis Lauretanæ cum admiratione illorum, quæ de ipſenti Mariæ cubiculo prædicantur.

Ab ejuſdem loci, aliis collati, præſtantia & dignitate.

Ad Virginem Matrem præcatio, ſive invocatio.

Orantis animus vere pœnitens Dei gratiam quærit per Virginem Matrem.

Con-

Concilias, placaſque mihi, quo tendere eurſum,
Quove malis feſſam tentabo advertere puppim?
At tu nanque ſoles placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapſis mitiſſima rebus.
Certe equidem tota pendentes æde Tabellas
Adſpicio, quæ te miſeris præſto eſſe loquuntur.
Hic, te animo ſpectans, torrentem viſcera febrim
Depulit; ille hyadas triſtes, hædumque cadentem
Spectavit tutus, vertentibus æquora ventis:
Et duce te patrias enavit ſalvus ad oras.
Criminis ille reus falſi ſub judice duro,
Dum mortem expectat tenebroſo carcere clauſus,
Mumere, Diva, tuo, detecta fraude, reviſit
Uxorem, & natos, exoptatumque parentem.
O ego nunc morbis multo gravioribus æger,
Naufragiumque timens longe exitioſius illo,
Et jampridem animum peccati compede vinctus,
Si poſſim morbis liber, vincliſque ſolutus,
Fluctibus & ventis laceram ſubducere puppim:
Quas tibi lætus agam grates, dum vita manebit?
Te cum face nova ſparget ſol aureus orbem,
Te recinam quoties abſcondet opaca polum nox;
Et tua præcipuo venerabor numina cultu.

A miraculis per Virginem Lauretanam exhibitis.

Collatio ægritudinis ſpiritualis cum corporali.

DISSERTATIO II.

De menſe & die, in quibus Chriſtus natus eſt; de Præſepe; atque an in illo fuerint Bos & Aſinus.

ARTICULUS PRIMUS.

Salvator in lucem editus fuit Octavo Kal. Januarii; atque Eccleſia Latina Feſtum hoc ea die ſemper ſolemne habuit.

CONſtans Traditio fert, Dei Filium ortum fuiſſe quinto ſupra vicesſimum Decembris die. Sanctus etenim Auguſtinus cum animadvertiſſet, Jeſum Chriſtum in utero conceptum fuiſſe VIII. Kalendas Aprilis, ſubdit: *Natus autem traditur octavo Kalendas Januarias.*

Conſtans Traditio eſt, Jeſum Chriſtum natum fuiſſe octavo Kal. Jan.

§. V.

Antonii Mureti ſingularis pietas erga B. Virginem Lauretanam.

UNde mihi inſolitus præcordia concutit horror?
Et perfuſa metu trepidat, velut icta Deo mens?
Fallor, an hoc facit ipſe locus, ſtimuloſque paventi
Subjicit, atque animum præſentia Numinis urget?
O cœlo dilecta domus, poſteſque beati,
Quos ego jampridem, tota mihi mente cupitos,
Nunc primum, veteris voti reus, advena viſo:
Salvete, adſpectique mihi feliciter eſte.
Vos ne per æthereas Judeæ a finibus oras
Aligerum, mandante Deo, duxere manipli?
Hic Virgo, genitura Deum, genitricis ab alvo
Prodiit, & blandis mulſit vagitibus auras.
Hic quoque Virginei ſervata laude pudoris,
Sancta ſalutifero tumuerunt viſcera fœtu.
Ille opifex cunctorum, illa æterno unica proles
Æqua Patri, ille homini primæva ab origine lapſo
Spem cœlo, vitamque ferens, hac luſit in Aula
Parvulus, & Sanctæ blanda obtulit oſcula matri.
Quænam igitur Regum ſedes, Templaque per orbem
Huic ſe auſint conferre loco? Ter & amplius omnes
Ante alias fœlix Piceni Littoris oras;
Cui Solymos ſpectare domi, cui munere Divum
Fas calcare domi eſt pedibus veſtigia Chriſti.
En ego jam ſupplex procumbam, atque oſcula figam
Parietibus ſanctis, ſpargamque hoc pulvere crines.
Aſpice me ſuperis e Sedibus, aſpice Virgo
Proſtratum, atque imo gemitibus ex corde cientem,
Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem:
Neu, quanquam culpis adopertum turpibus, arce
Aſpectu me Diva tuo, ſi pectore toto
Te veneror, ſi te dubiis in rebus ad unam
Confugio, teque auxilium Sanctiſſima poſco.
Pœnitet ex animo vitæ me, Diva, prioris,
Pœnitet, & meritas horret mens conſcia pœnas.
Quod niſi tu caſto pendentem ex ubere Natum

Salutatio ædis Lauretanæ cum admiratione illorum, quæ de præſenti Matris cubiculo prædicantur.

Ab ejuſdem loci, aliis collati, præſtantia & dignitate.

Ad Virginem Matrem precatio, ſive invocatio.

Orantis animus vere pœnitens Dei gratiam quærit per Virginem Matrem.

Con-

Concilias, placaſque mihi, quo tendere curſum,
Quove malis feſſam tentabo advertere puppim?
At tu nanque ſoles placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapſis mitiſſima rebus.
Certe equidem tota pendentes æde Tabellas
Adſpicio, quæ te miſeris præſto eſſe loquuntur.
Hic, te animo ſpectans, torrentem viſcera febrim
Depulit; ille hyadas triſtes, hædumque cadentem
Spectavit tutus, vertentibus æquora ventis:
Et duce te patrias enavit ſalvus ad oras.
Criminis ille reus falſi ſub judice duro,
Dum mortem expectat tenebroſo carcere clauſus,
Mumere, Diva, tuo, detecta fraude, reviſit
Uxorem, & natos, exoptatumque parentem.
O ego nunc morbis multo gravioribus æger,
Naufragiumque timens longe exitioſius illo,
Et jampridem animum peccati compede vinctus,
Si poſſim morbis liber, vincliſque ſolutus,
Fluctibus & ventis laceram ſubducere puppim:
Quas tibi lætus agam grates, dum vita manebit?
Te cum face nova ſparget ſol aureus orbem,
Te recinam quoties abſcondet opaca polum nox;
Et tua præcipuo venerabor numina cultu.

A miraculis per Virginem Lauretanam exhibitis.

Collatio ægritudinis ſpiritualis cum corporali.

DISSERTATIO II.

De menſe & die, in quibus Chriſtus natus eſt; de Præſepe; atque an in illo fuerint Bos & Aſinus.

ARTICULUS PRIMUS.

Salvator in lucem editus fuit Octavo Kal. Januarii; atque Eccleſia Latina Feſtum hoc ea die ſemper ſolemne habuit.

CONſtans Traditio fert, Dei Filium ortum fuiſſe quinto ſupra viceſſimum Decembris die. Sanctus etenim Auguſtinus cum animadvertiſſet, Jeſum Chriſtum in utero conceptum fuiſſe VIII. Kalendas Aprilis, ſubdit: *Natus autem traditur octavo Kalendas Januarias.*

Conſtans Traditio eſt, Jeſum Chriſtum natum fuiſſe octavo Kal. Jan.

Aug. de Trin. l. 4. c. 5.

Aug. in Pſ. 138. prope finem.

rtas. Atque alibi: *Joannes*, inquit Pater ipſe, *natus eſt, ſicut tradit Eccleſia, octavo Kalendas Julias, cum jam incipiunt minui dies: Dominus autem natus octavo Kalendas Januarias, quando jam incipiunt dies creſcere.* *

Maximus p. 1. comp. Eccl. c. 34.

Ab Auguſtini mente non abludunt alii Patres. S. Maximus Martyr credidit, natalem Chriſti diem eſſe viceſimum quintum menſis Decembris. Paulus Emiſſenus qui ineunte V. ſæculo floruit, nativitatem Domini noſtri collocat 19. Menſis Cojac, qui eſt 25. Decembris. Eodem illam die ſignat Autor Chronici Alexandrini: *Natus eſt Dominus 25. die menſis Chiac, ideſt Decembris.* Denique ne in recenſendis aliis Patribus immorer, S. Joannes Chryſoſtomus multa rationum momenta producit, ut conficiat, Salvatorem quinto ejuſdem menſis, & viceſimo die editum in lucem fuiſſe.

Chron. Alexan. Olymp. CXCIV.

Joann. Chryſoſt. Tom 5. Hom. 35.

Porro Eccleſiæ perſuaſum adeo fuit, Jeſum Chriſtum ex utero Virginis prodiiſſe VIII. Kalendas Januarii; ut jam inde a prioribus ſæculis eo die memoriam Facti hujus celebraverit. Feſtum hoc reperimus ad notatum 25. Decembris in vetuſto Calendario Romano, quod confectum exiſtimant circa medium ſæculum IV. *VIII. Kalendas jam natus Chriſtus in Bethleem Judæ.* Cetera Martyrologia, uti Hieronymi, Bedæ, Uſuardi, Adonis, & Romanum, diem feſtum eundem 25. Decembris aſſignant.

Eccleſia a prioribus ſæculis Feſtum hoc 25. Decembris celebravit.

Bucher Cyclus Paſch.

S. Joann. Chryſoſtom. docet, jam inde ab initio, atque ex vetuſtiſſima Traditione Domini noſtri Nativitatem celebrari ſolitos fuiſſe Occidentales 25. Decembris: nimirum incolas Regionum omnium illarum, quæ a Thracia ad Cadicem uſque, atque ad Hiſpaniarum fines producuntur. S. iſte Doctor addit, Feſtum hoc Romæ eodem die celebratum; unde mos hic ad Orientis Eccleſias manavit. Quem eo libentius Græci atque Orientales ſuſceperant, quo reputabant, Eccleſiæ Romanæ futurum fuiſſe cognitum & perſpectum diem iſtum; cum Romæ diligentiſſime ſervarentur Tabulæ celeberrimi cenſus, cum in Judæa, tum in omnibus Imperii partibus, tempore ortus ejus peracti.

Græci illudnon ſtatim celebrarunt.

Auguſt. epiſt. 119. c. 1. 2.

Feſtum certe iſtud S. Auguſtini ævo univerſe celebratur. Sunt etiam qui putent, illud ante primum Nicenum Concilium inſtitutum. Denique Traditio hæc tam fuit Eccleſiæ Latinæ in univerſum probata, ut nemo de hoc diſſentiat.

Thomaſſ. de Feſtis l. 1. c. 4.

Verum quidem eſt, Eccleſias Orientis diu variaſſe in die Solemnitatis

* Julius Cæſar ſolſtitium æſtivum die 24. Junii, hibernum vero 25. Decembris affixerat; atque ita ſe habebant Solſtitia eo tempore, quo hujus mundi Chriſtus primam lucem aſpexit. Anno vero 325. Concilium Nicenum ea retraxit ad 21. eorundem menſium dim. Quod ut ſervaret Gregorius XIII. ab anno 1582. decem dies ſuſtulit; quia Solſtitia proceſſerant, ex quo Calendarium iſtud Nicena Synodus emendaverat.

hu-

hujus. S. Clemens Alexandrinus * ait, nonnullos diem nativitatis Filii Dei ſtatuiſſe 25. Menſis *Pachon*, hoc eſt, Idibus Maiis; alios vero 25. Menſis *Pharmuth*, hoc eſt, duodecimo vel undecimo Kalendas Majas. S. Epiphanius ** ſcribit, ortum fuiſſe Chriſtum Dominum die undecimo Menſis *Tybi*, qui eſt octavus ante Idus Januarias, & in Eccleſia Latina Epiphaniæ Domini ſacer.

Traditionis inſtar in Oriente erat tertio & quarto ſæculo, memoriam Magorum Chriſtum adorantium, cum illius Nativitate & Baptiſmo conjungere. Teſtatur Caſſianus, id moris invaluiſſe in Ægypto ætate ſua ſecundum priſcam quandam Traditionem, narrantem, natum fuiſſe Salvatorem noſtrum, atque unda Baptiſmatis ablutum octavo Idus Januarias. Græci Feſtum hoc cum Epiphania copulabant. *Caſſianus Coll. 10. c. 2.*

At vero cum Eccleſia univerſa Latina idem ſuper hoc Feſto ſentiret; & Græci in multas contrarias opiniones diſtraherentur; opus erat, Orientales ad Latinorum doctrinam atque inſtitutionem accedere. Quod tamen aliquanto ſerius factum eſt, ut Græci proprio die ſuo Feſtum Jeſu Chriſti naſcentis celebrarent.

Non deſunt, qui exiſtiment, cauſſam dediſſe Feſto huic deſignando Octavo Kal. Januarias, Feſtum aliud ſeculare pro Nativitate Conſtantii, Conſtantino Patri anno 337. ſuffecti, quod in Imperio celebrabatur. Atqui Fabulæ hujus narratores latebat ſane, ortum Imperatoris Conſtantii coli conſueviſſe ſeptimo Idus Sextiles; octavo autem Kalendas Januarias memoriam incidiſſe victoriæ, quam adeptus fuerat Princeps hic de Tyrannis quibusdam, quod in Faſtis ſuorum Temporum anſam dedit aſſentatoribus, ut *Invincibilis* nomen ipſi tribuerent. Quam fallacem prætexant cauſſam huic Feſto ſtatuendo. *Bucherius Cycl. Paſch.*

Multo vero minus erediderim eos audiendos, qui opinati ſunt, Nativitatem Jeſu Chriſti die 25. Decembris collocatam ab Eccleſia fuiſſe, ut Æthnicum cultum, Soli renaſcenti præſtitum, in diverſum abduceret. Ferunt enim, Paganos diem hanc ſolemnem habuiſſe ortui Dei ſui Mithra. *** Quod in opinionem induxit aliquos, vel Dæmonem, ut Chriſtianos anteverteret, vel Chriſtianos ipſos, ut Mithra honores majori ſolemnitate abolerent, eodem die Nativitatem Domini noſtri poſuiſſe. Ethnici eodem die Feſtum Dei Mithra celebrabant.

Enim vero contendunt alii, nihil in cauſſa fuiſſe Gentilibus, quare viceſima quinta Decembris die Mithra ſive Solis ortum celebrarent, niſi *A Turre Monumenta vetera Antii Diſſ. 1.*

* *Sunt autem qui curioſius natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt, quem in XXV. Παῶνι. Quin etiam dicunt ex iis aliqui, eum natum eſſe XXIV. vel XXV. Pharmuthi* Clem. Alex. Strom. l. 1. pag. 294.

** *Cum enim menſe Januario natus eſſet octavo Idus Januarii, qui eſt apud Romanos Januarii dies ſextus; Ægyptiis pro Tybi XI.* Epiph Her. 51. n. 24.

*** Perſæ atque Orientales Solem Mithra nomine donabant; quod Romani deinde & Galli ipſi uſurpaverunt. Falſi hujus Numinis cultus non

quod revera tunc Sol videatur renaſci, nobiſque appropinquans, dieſque producens, novas vires exerere. Propterea non ob eam rationem Chriſtiani præſertim Occidentis conſtanter Jeſu Chriſti Nativitatem eodem die venerati ſunt, ſed quod illos vetuſta Traditio docuiſſet, Servatorem noſtrum in lucem eo ipſo die prodiiſſe.

Feſtum celebratum in Eccleſia Cathedrali Rothomagenſi.

Non eſt pariter hoc loci omittenda Solemnitas alia ſingularis, quæ olim obtinuerat in Eccleſia Rothomagenſi. Traditionis, ut ſpecies eſt, vetuſtiſſimæ præſcripto Supplicatio fieri ſolebat in die Nativitatis Domini, in qua Eccleſiaſtici perſonas referebant non ſolum Prophetarum, qui Jeſu Chriſti adventum vaticinati ſunt, ſed aliorum quoque, qui de Meſſia locuti ſunt. Aderant Rex Nabuchodonoſor, tres Pueri Fornacis, ipſeque Balaamus Aſinæ inſidens; unde factum eſt, ut appellaretur ceremonia hæc: *Feſtum Aſinorum.*

Ducangius in Gloſſario, verbo Feſtum pag. 402.

Habeto qui loquatur de Feſto hoc *Rituale* MS. Eccleſiæ Rothomagenſis. *Ordo Proceſſionis Aſinorum ſecundum Rothomagenſem uſum. Tertia cantata, paratis Prophetis juxta ſuum ordinem, fornace in media Navis Eccleſiæ, linteo & ſtuppis, conſtituta: Proceſſio moveat de Clauſtro, & duo Clerici de ſecunda ſede in cappis Proceſſionem regant, hos verſus cantantes, glorioſi & famoſi.* Proceſſio egreſſa de Clauſtro, ubi ingreſſa Eccleſiam fuerat, in medio Navis ſiſtebat: *Tunc Proceſſio in medio Eccleſiæ ſtet, & ſex Judæi ſint ibi parati, & ex altera parte Gentiles.*

Prophetæ interrogantur.

Rebus autem in hunc modum diſpoſitis, Cantores alternantes Prophetas interrogabant, qui ſinguli ſingula Bibliorum de Meſſiæ adventu loca pronunciabant. Actores ex ordine accedebant, & quidpiam recitabant, quod ad Incarnationem Domini pertineret. Zacharias quoque, Eliſabeth, S. Joannes Baptiſta, Simeon ſenes hiſce ceremoniis intererant. Virgilius vocatus per vicem ſuam, a Cantore interrogabatur his verbis: *Maro, Maro, Vates Gentilium, de Chriſto.* Poeta hic reſpondebat: *Ecce polo demiſſa ſolo.* Poſtremo loco erat Sibylla veſte fœminea, & caput corona redimita. Cum interrogaretur: *Tu Sibylla, vates illa;* ajebat: *Judicii ſignum tellus ſudore. Quo finito omnes Prophetæ & Miniſtri in Pulpito cantent hos verſus: Ortum prædeſtinatio parvo Sabbati ſpatio.* Quibus peractis incipiebant Miſſam: *Puer natus.*

Virgilius & Sibylla vocantur.

modo in Oriente, atque in Græcia, ſed ad Gallos etiam & Dacos propagatus fuerat. Romæ invaleſcere cœperat anno circiter 687. Urbis conditæ. Diu perſeveravit, Regnantibus etiam Chriſtianis Principibus ad annum uſque 378. Æræ Chriſtianæ, donec Gracchus Urbis Præfectus ſuſtulit ſuperſtitiones omnes, & Victoriæ Aram evertit. Extant adhuc Romæ lapides marmorei multi ſub ſpecie Dei Tauro inſidentis, cujus cornua tenet præ manibus. *A Turre Monum. vet. Autii Diſſ. 2, Mabillonius Diarium Italicum c. 14.*

A R-

ARTICULUS II.

De Præſepi, in quo natus eſt Jeſus Chriſtus.

Maria & Joſephus Bethleemum petunt. *Luca 2. 4.*

Aſcendit Joſeph a Galilæa de Civitate (parva) *Nazareth in Judæam in Civitatem David, quæ vocatur Bethleem, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi Uxore prægnante.* Bethleem tum erat Vicus, ſive Pagus * ex Tribu Juda, duabus circiter ab Hieroſolymis diſtans leucis meridiem verſus, conſtructus in monte rupibus præruptis, inter quas effoderant domos & ſtabula Incolarum uſui futura.

Factum eſt autem cum eſſent ibi (Maria & Joſeph) *impleti ſunt dies, ut pareret; & peperit Filium ſuum Primogenitum, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in Diverſorio*, propter eorum multitudinem, quos Cenſus Bethleemum conciverat. S. Hieronymus locum, in quo natus eſt Chriſtus Dominus, *ſpecum* appellat, *ſtabulum* S. Auguſtinus, *parvam domum* Sanctus Cyprianus. Porro nomen domus accipitur in Scripturis pro quolibet domicilio.

Traditio eſt, Jeſum Chriſtum natum eſſe extra Bethleemum.

Interea controverſia eſt, num Stabulum ſive Specus, in quo naſci voluit Dominus noſter, fuerit in ipſo Vico, an prope Vicum. Caſaubonus verbis Evangelicis innixus contendit oſtendere, Jeſum in lucem editum in ipſa Urbe Bethleemi, non vero in Spelunca, quæ in Suburbio extra Urbem eſſet. Ceterum Traditio Chriſtianis omnibus accepta fert, Speluncam Chriſti naſcentis extra Vicum Bethleemiticum fuiſſe.

S. Juſtinus Patrum primus eſt, qui doceat nos, Stabulum, in quo Chriſtus ex utero Virginis exivit, non in Urbe, ſed ad Urbem poſitum fuiſſe. ** Cumque Palæſtinus eſſet S. iſte Martyr, vix eſt dubitandi locus, rem ita non ſe habuiſſe uti narrat, ſaltem quo erat Bethleem ſitu ætate ſua. Euſebius ait, Incolas Bethleemitas, ut a Majoribus ſuis acceperant, iis, qui loca Sancta inviſebant, *Agrum demonſtrare, ubi Virgo enixa Infantem poſuit*. Sanctus Epiphanius quoque ea mente fuit, ut affirmaret, Salvatorem prope non intra Vicum ortum eſſe. Quam Traditionem ſecuti ſunt Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam & Euſtochium, S. Petrus Chryſologus ſerm. 175. aliique Scriptores Eccleſiaſtici bene multi.

Euſebius Demonſt. Evang. l. 7. c. 5.

Epiph. l. 1. in fine.

* Sanctus Lucas c. 2. v. 4. Bethleem appellat πόλις Δαβὶδ, *Urbs Davidis*; alii nuncupant χώμη, Caſtellum, Vicus.

** *Quoniam Joſephus non habebat in Vico illo, ubi diverſaretur, in ſpelunca quadam, quæ Vico proxima erat diverſatus eſt. Ibi Maria Chriſtum, verens natum, in Præſepi depoſuit.* Juſt. contra Tryphonem.

Argumenta Caſauboni.

Exercit. 2. ad ann. 1. num 2. Annal. Baronii.

Ea tamen, quæ in adverſam partem affert Caſaubonus, animadverſione digna ſunt. 1. Illuſtris hic Heterodoxus fundamentum jacit in verbis illis Sancti Lucæ: *Et reclinavit eum in Præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio*; atque obſervat, Evangeliſtam non dicere ἐν καταλύματι, ſed ἐν τῷ καταλύματι, quæ verba ſine articulo ſignificant per ipſum *in Diverſorio*, ſive *in aliquo Diverſorio*. At ſi illis addatur articulum τῷ, tum verba hæc ἐν τῷ καταλύματι monent, ingreſſos illos fuiſſe in quoddam Bethleemi Diverſorium, atque in illo receptos fuiſſe, ſed aptum, ubi cubarent, locum non inveniſſe *in illo Diverſorio*; qua de re opus fuit illis ſecedere in ſtabulum, Diverſorio junctum, vel ipſi quam proximum.

Propugnat pariter hoc pacto intelligi voluiſſe Sanctum Lucam, ubi ait: ἐν τῇ φάτνῃ. Animadverte, inquit Caſaubonus, eum non dixiſſe ἐν φάτνῃ, videlicet *in quodam præſepi*, ſed ἐν τῇ φάτνῃ, ac ſi diceret, *in illo præſepio*. Porro vox generalis *Præſepe* hac interpretatione circumſcribitur, ut indicet illud peculiare præſepe, quod erat in ſtabulo Diverſorii, in quo Maria & Joſeph diverterunt, & hoſpitio ſuſcepti ſunt.

Germanus verborum D. Lucæ ſenſus.

Atqui admiſſa etiam periti hujus Proteſtantis explicatione verborum Sancti Lucæ, non tamen hinc ſequitur, Virginem & Joſeph ſuſceptos fuiſſe in quoddam Urbis Diverſorium, ſed potius ibi non divertiſſe; Senſus nanque ſponte fluens ex verbis iſtis ἐν τῷ καταλύματι, *in Diverſorio*, oſtendit, Mariam & Joſeph illuc ſerius adventaſſe, neque propterea locum illis in Publico Diverſorio fuiſſe.

De Diverſoriis Orientis. Vulgo. *Caravanſerai.*

Quæ interpretatio eo videtur appoſita, quo Regionis uſibus reſpondet. Quapropter animadvertendum eſt, in Urbibus Orientis, & præſertim in Vicis, & Pagis, nec non in Viis publicis, magna Ædificia conſtructa eſſe ad viatores hoſpitio excipiendos, ejuſmodi aliqua extant in præſens. * In hiſce Diverſoriis nihil admodum erat præter Apothecas, Cubicula, & Stabula, abſque ſupellectili, aliisque opportunitatibus niſi pro habitatione hominum & beſtiarum, eademque uſu recepta erant eum ætate illa, tum noſtra, immo multo etiam ante. ** Porro cum Maria Virgo & Joſeph ſerius venſſent, quam neceſſum fuerit, ut in Diverſo-

* *Diverſorium*. Domus Viatorum (Caravanſerai) publica & magnifica ædificia in Urbibus & Viis Perſarum. Hoſpitari in iis poſſunt ad quingenti æquites. Atque ego, inquit P. Angelus, in quodam ex his diverſatus ſum, bidui ſpatio ab Alepo Tripolim verſus, quod erexerat Mahumetes Kioproli ſummus Aulæ Turcicæ præfectus, paullo ante vita functus, compactumque erat lapidibus ſectilibus, plumbo tectum, & trecentis hoſpitibus aptum. *P. Angelus Carm. Diſc. in Gazophilacio Linguæ Perſarum, verbo*, Diverſorium.

** Cap. 42. Geneſeos legere eſt, præter triticum, quo Joſephus implevit Fratrum ſuorum ſaccos, *dediſſe* eis *ſupra cibaria in viam*; qui in Diverſorio itineris ſaccos aperuerunt, ut darent jumento cibulum. Id argumento eſt, tunc etiam extitiſſe Hoſpitia hæc, in quibus non reperirentur cibaria, neque pro hominibus, ne-

rio

rio publico locarentur, alium quæſiverunt, ubi ſe reciperent, locum, & Bethleemo exeuntes in antrum ſive ſpecum ſeceſſerunt.

Alterum Caſaubonî argumentum.

2. Si fides Caſaubono eſt, neminem reperias Græcum Patrem vel Latinum, qui ſcripſerit, Jeſum Chriſtum natum eſſe prope Bethleemum, vel in ejus ſuburbiis; contra vero ait, omnes in id concurrere, Mariam enixam fuiſſe in Urbe, ſive Vico Bethleemi. Origenes, per ipſum, id affirmat conceptis verbis: *Oſtenditur in Bethleem ſpelunca, ubi natus eſt.* Conſtat tamen, Proteſtantem hunc ulterius progredi, quam par eſt. Patres certe, quos a nobis eſſe protulimus, ipſi nullo modo favent. Quod attinet ad verba Origenis, aliorumque dicentium, Salvatorem ad hanc vitam intraſſe Bethleemi, vel ſi placet in Urbe Bethleemi, nihil repugnat Traditioni communi: paſſim nanque dicitur ille Pariſiis natus, ſive in Urbe Pariſiorum, qui in ſuburbiis, aut Domibus Urbis proximis, lucem aſpexit.

Orig. l. 2 contra Celſum.

Tertium argumentum.

3. Inealeſcit acriter Caſaubonus de loco Euſebii, qui opinionem ſuam funditus evertit. Abſurdum eſt, inquit, immo inauditum, ſcribere, Jeſum Chriſtum in agro natum; & propterea contendit, mendum eſſe in Teſtum Euſebii, & legendum τῷ ἄντρῳ, non autem τῷ ἀγρῷ *demonſtratione antri, non agri.* At oporteret Caſaubonum hanc Euſebiani Textus interpolationem firmo aliquo argumento roborare; illud nanque quod aſſert, Hiſtorici hujus verba non infirmat, qui cum aſſerit Jeſum Chriſtum *in agro* natum, non excludit quominus ille prodierit in lucem in ſpecu, vel etiam domo, ſita in illo agro prope Vicum, & hoſpitandis pauperibus deſignata.

ARTICULUS III.

De Bove, & Aſino Præſepis.

PER occaſionem Stabuli, in quo Chriſtum Virgo peperit, paucis exquar quid ſentiam de quadam pia opinione, quæ ſatis obtinuit inter Chriſtianos, nimirum, utrum in hac ſpelunca fuerint Bos & Aſinus. Non me quidem fugit, eam multis Sapientibus haud probari *. „ Nihil dicimus, inquit Bailletus, de bove & aſino, quos Tra-

que pro jumentis; & tectum unum utriſque præberent. Adeoque videmus, Hieremiam illa appellare Diverſoria viatorum: *Quis dabit me in ſolitudine Diverſorium viatorum.* Jer. 9, 2.

* *Caſaubonus exerc. 2. anno 1. Annal. Baron. Tillem. notat. V. in Jeſ. Chriſ. Baill. in Vitis SS. 25. Decembris pro Feſto Natalis.*

di-

„ ditio V. Sæculo exorta, & mire Pictorum induſtria propagata, circum „ Jeſu Chriſti recens nati præſepe collocavit; cum de illa altum in Evan- „ gelio ſilentium ſit. Fieri fortaſſe potuit, illos ſatis ad verbum intelle- „ xiſſe Iſajæ locum, qui Traditioni huic anſam præbuiſſe videtur. Al- *Habac. 3. ſecundum 70. Interp.* „ ter Habacuchi, in quo ſermo ſit ſecundum Latinam ſeptuaginta Ver- „ ſionem de duobus Animalibus, inter quos cognoſcendus Dominus erat, „ ſecundum Hæbraicum textum nihil minus quam hunc explicatum ha- „ bet. „

Traditio hæc fulta eſt Teſtimonio Sanctorum Patrum.

Verum enim vero non quidem Autor *Libri de Promiſſionibus*, qui medio tantum V. Sæculo floruit, Traditionem hanc in vulgus edidit, ut poſt Tillemontium affirmat Bailletus: Non quidem arte Pictorum erevit, ſed communi citius Fidelium opinione, veterum Eccleſiæ Patrum dictis roborata, * qui nos docent, adjunctum iſtud Nativitatis Domini Prophetas fuiſſe vaticinatos.

Ubi ſupra.

Ut autem Tillemontius a dictis Patrum, quæ videntur explicatiſſima, ſeſe expediat, in hunc modum reſpondet: „ Nihilominus, ut mihi vi- „ deor, Patres iſtos aliquanto magis allegorice poſſumus interpretari; „ additque Sanctos Hieronymum & Auguſtinum Habacuchi verba longe abſimiliter expoſuiſſe. Quæ omnia demus ultro erudito Scriptori iſti: conveniat tamen neceſſe erit, Patres, a nobis in medium productos, agnoviſſe bovem & aſinum prope ſtabulum Jeſu Chriſti; atque hæc teſtimonia ſatis ſunt, ut Traditionem hanc ſtatuamus, quin ſumenda illa ſit ab ignoto homine Sæculi V. vel ab Arte Pictorum. Verum, ne quidpiam hac de re digladiemur; ſive Patres Traditionem hanc depromſerint e locis Iſajæ ** & Habacuchi, ſive illos diſſimili longe ratione explicaverint, certum eſt eos legiſſe in Septuaginta Interpretibus ἐν μέσῳ δύο ζώων, *animalium*, non autem ξύλων, *vitarum*; & tandem ſive rem ſtatuerint in verbis Prophetarum, vel per Traditionem acceperint, ratum debet eſſe & conſtans, piam hanc Traditionem manaſſe a teſtimoniis Patrum, atque in Eccleſia ſemper perſeveraſſe, quæ in Officio diei Nativitatis & Epiphaniæ canit: *O Magnum Myſterium, & admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in Præſepio.*

* *Cognoſce bos poſſeſſorem, Iſaias te admonet, & ut aſinus præſepe Domini sui.* Greg. Naz. Orat. 38.

Medium igitur in Præſepi ſe inter bovem & aſinum utrinſque dominus locat. Greg. Nyſſ. in die Natal. Dom.

S. Hieronymus loquens de S. Paula: *Inde Bethleem ingreſſa, in ſpecum Salvatoris introiens, poſtquam vidit ſacrum Virginis Diverſorium, & ſtabulum, in quo agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, ut illud impleret quod in eodem Propheta ſcriptum eſt*: &c. S. Hier. ep. 17. ad Euſth. S. Paulinus ad Sev. ep. 11. S. Cyrill. Catech. 12. Prudentius, aliique multi ſenſerunt, fuiſſe in Stabulo Chriſti naſcentis bovem & aſinum.

** *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Iſaiæ 1. 3.

DIS-

DISSERTATIO III.

De Circumciſione Pueri Jeſu, die ab ejus ortu octavo.

CUM quidam Scriptores legiſſent in Herodoto, Populos Colchos, Ægyptios, atque Æthiopes tantum circumciſionem ſemper ſubiiſſe; Phœnices vero & Syros Paleſtinæ id moris ab Ægyptiis accepiſſe; ſibi perſuaſere, Hebræos circumciſionem duntaxat obſervaſſe, ut Ægyptios imitarentur. Qua de re Michael Vaſſorius in Tractatu de vera Religione Marshaamum redarguit, quod incredulis conceſſerit, Deum autorem non eſſe Circumciſionis, majoremque habuerit fidem Herodoto, Diodoro Sículo, Celſo, & Juliano Apoſtatæ, qui conſuetudinem hanc ab Ægyptiis deſcendere commenti ſunt, quam narrationi Moſis præſtiterit. Doctus Pater Calmetus in Commentariis ſuis ad Litteram Geneſis, Diſſertationem inſtituit de origine & antiquitate Circumciſionis, in qua argumentis ad convincendum, ut ſpecies eſt, idoneis, Herodoti ſententiam refellit.

Circumciſionis antiquitas.

Herodotus l. II. c. 35. 36.

Marsham can. Ægypt. Sec V. Joannes le Clerc. in Geneſim.

Quanquam autem nos deficerent hæc omnia rationum momenta, oculos tantum in ſacros Codices conjiciat, qui vult videre Deum jubentem Abrahamo, ut mares omnes, qui ex eo inſequentibus temporibus naſciturí erant, circumcideret. Porro non legimus in Scripturis, quod vetuſtiſſimum omnium monumentum eſt, quempiam ante Abrahamum circumciſum fuiſſe.

Gen. 17.

Levit. 12.

Salvator igitur mundi, terrena hac nativitate ſua, omnibus naturæ & conditionis humanæ neceſſitatibus obnoxius, Circumciſionis quoque Legi parere voluit. Sanctus Lucas, a quo didicimus myſterium iſtud, neque locum, neque miniſtrum illius nobis aperuit; nihilque ſuper his duobus adjunctis habemus ex Traditione, quod liqueat. * Pelleterius jocoſe ludit Pictores, qui referunt nobis myſterium hoc, in Templo a Summo Sacerdote peractum. Quandoquidem certum eſt, id non præſtitiſſe Pontificem Summum, neque in Templo Hieroſolymitano impletum fuiſſe. Omnia potius in id recidunt, ut nobis perſuadeant, in Spelunca Bethleemitica id contigiſſe, in quam, ut illum ederet, ſecedere Virgo coacta fuerat.

Luca 2.

* Pelleterius in animad. in errores Pictorum, Monum. Trevolt. Decembris 1704. p. 2144. Gall.

Nec

Latet in incerto, a quo circumcisus sit.

Nec vero hic expendere placet, num Sanctus Josephus, aut Virgo Deipara, quod plerique Scriptores conjiciunt, vel alius quispiam minister fuerit hujus Legis Præcepti: neque an culter, * quo Jesus Circumcisus fuit, lapideus fuerit, an ferreus, an vero ex chalybe; neque tandem utrum eadem servaverint ceremonias, quas Judæi in masculorum suorum Circumcisione **. Ad id itaque unum me confero, ut disputem de Festi hujus Institutione, de rationibus, quibus ad illud celebrandum Ecclesia inducta fuit; deque profusa hilaritate Christianorum, eorundemque Ecclesiasticorum Kalendis Januarii.

ARTICULUS PRIMUS.

A primis Sæculis celebravit Ecclesia memoriam Circumcisionis Pueri Jesu.

In eumdem semper diem incidit Festum Octava Nativitatis & Circumcisionis.

AB omni vetustate in Missa Octavæ Nativitatis nullum aliud recitatum est Evangelium, quam illud Circumcisionis; ex quo fit non potuisse Ecclesiam colere Octavam Nativitatis, quin Festum quoque Circumcisionis celebraret. Et profecto cum in eo semper operam posuerit diligentem, ut Officia & Festa Sacrarum Scripturarum verbis accommodaret; quonam pacto potuisset memoriam Circumcisionis a Nativitatis Festo separare; quandoquidem Evangelium Sancti Lucæ narrat distertis verbis, octavo ab ejus ortu die Infantem circumcisum fuisse? Verum quidem est Officium tum olim, tum in præsens quoque, ad Nativitatis Octavam spectasse, atque in Missa tantum de Circumcisione fieri mentionem: at vero Evangelium solum Missas & Festa revera distinguit, & Mysteria in eisdem honore culta demonstrat.

Cujus animadversionis ope multi negotii non est ostendere, Solemnitatem hanc esse in Ecclesia vetustissimam. De ea meminerunt Acta Martyrii S. Almachii, qui cum spectaculis Gladiatorum interesset, quæ Ka-

* Ostendunt Compendii in Thesauro S. Cornelii cultrum lapideum, quem ferunt eundem esse, quo Jesum Christum circumciderunt: Pelleterius vero arbitratur, cultrum hunc confectum ex ardosia. Opinio pariter est, Æthiopes se circumcidisse cultellis duri lapidis, quos iis rentur similes, quibus Josue usus est ad illos ex Judæis circumcidendos, qui circumcisi non fuerant in Deserto, *Herbelotius in Bibl. Orient. verb.* Nagiat, Gall.

** Scriptores multi fuse & copiosissime ceremonias exequuntur, quas servant Judæi in Circumcisione. Buxtorfius de iis egit in 2. cap. Sinagogæ suæ. Leo Mutinensis c. 8. 3. p. de ceremoniis Judaicis. Adissonius 7. cap. de præsenti rerum statu Judaicarum in Barbaria, & Pelleterius in animad. in errores Pictorum.

len-

lendis Januarii dabantur, coram populo clamavit: *Hodie Octavæ Dominici diei ſunt; ceſſate a ſuperſtitionibus Idolorum, & a Sacrificiis pollutis*: & propterea a multitudine, ſpectaculorum ſtudioſa, facto in eum impetu, trucidatus ſtatim eſt coram Alipio Urbis Præfecto, qui eum ſeditioſorum furori dedidit: Uſuardus vero animadvertit, S. Almachium martyrio conſumtum: *Jubente Urbis Præfecto*. *Uſuardus in Mart. ad 1. diem Januarii.* *Theodor. l. 5 c. 26.* *Uſuardus ib. d.*

Porro mortem oppetiit Sanctus iſte Martyr, imperante Theodoſio Magno; ſiquidem Alipius Urbis Præfectus erat Principis hujus tempore, uti in antiquis Inſcriptionibus ſignatum eſt, atque a Baronio firmiſſime probatum. Conſequens ergo eſt, Feſtum octavæ Nativitatis & Circumciſionis ſtatutum in Eccleſia fuiſſe ante IV. Sæculi finem, nimirum antequam Theodoſius ad Imperium aſſumeretur. *Baron. in notat. Mart. ad 1. Jan.*

Mentio quoque fit Feſti hujus titulo *Octavarum Domini* in antiquo Sacramentario Romano, a Thomaſio vulgato, quod Gelaſii Papæ hujus nominis primi eſſe putant; nec non in Kalendario Romano, * edito a P. Frontonio Canonico Regulari Sanctæ Genevieſæ, in quo ſolemnitas iſta his verbis nunciatur. *In Octabas Domini*. Prima Eccleſiæ Latinæ Martyrologia, S. Hieronymo adjudicata, notant aperte hac die: *Circumciſio Jeſu Chriſti ſecundum carnem*. Apparet inſuper, S. Gregorium Pontificem in priſco Sacramentario Romano, quod aſſervatur in Vaticano, Memoriam Circumciſionis Jeſu Chriſti adjunxiſſe Octavæ Nativitatis his verbis: *Per Chriſtum Dominum noſtrum, cujus hodie Circumciſionis diem, & Nativitatis Octavam celebrantes*. *Thom. Cod. Sacr. pag. 18.* *Baron. in notat. Mart. ad 1. Januarii.*

Alia Bedæ, Adonis, atque Uſuardi Martyrologia, nec non Ordo Romanus de hoc Feſto loquuntur ſive titulo Octavæ Nativitatis, ſive Circumciſionis, ſive utriuſque: *Octava Domini & Circumciſio*, uti monet veſtuſtum Martyrologium Romanum, publici juris a Roſvveido factum. Neque vero hoc loci præteream, Capitularia Caroli Magni Circumciſionis duntaxat, non autem Octavæ Nativitatis meminiſſe. Subinde indicabimus Canones Conciliorum, atque Homilias Patrum ſuper hoc Feſto, a quibus illud antiquiſſimum in Eccleſia eſſe didicimus. Ac id etiam hic non omittam, quod Concilium Turonenſe, anno 567. celebratum, ſanxit: Feſtum videlicet Circumciſionis colendum eſſe prima Januarii die. *Ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur*. Quo in loco animadvertendum eſt, declarare Concilium iſtud, ſe veterum Patrum Statuta ſuper ea re tantummodo renovare. Quod poteſt indicio eſſe, Feſtum hoc illius ætate Concilii novum non fuiſſe. *l. 6 c. 186.* *Concil. Turon. II. cap. 17.*

* Frontonius eruditus, Pariſiorum Cancellarius, edendum curavi. Kalendarium hoc anno 1652. cujus codex MS. *aureis caracteribus exaratus*, conditus eſt in Bibliotheca S. Genevieſæ. *Front. Kalend. pag. 5.*

ARTICULUS II.

Eccleſia Circumciſionis Feſtum, jejunia, & præcationes oppoſuit licentiori vitæ, cui indulgebant Æthnici, atque ipſi Chriſtiani Kalendis Januarii.

ANtiqui Gentilis Romæ Faſti multa ſignabant Feſta, quæ Kalendarum Januarii die celebrabantur. Præter Solemnitatem, Junonis Deitati inſtitutam, cui ſacer erat primus cujuſque menſis dies, qui Conſules erant deſignati, Magiſtratum ſuum eodem die inibant. Ante omnia vero Romani diem hunc præſtituerant, quo colerent Deum Janum, gemina facie, anteriore altera, altera a tergo conſtantem, perinde ac præteritum annum proximumque reſpiceret. Res Divinas ipſi faciebant, & populus confertim ad Montem Tarpejum, ubi Jano erectum erat Altare, confluebat.

Feſta Romanorum primo Januarii die.

In eundem diem concurrebat in Inſula Tyberina Feſtum Dedicationis Templorum Eſculapii & Jovis: alter alteri fauſtum annum optabat & bene ominabatur; ſe invicem ficis, palmulis & melle donabant, quæ cupedia iccirco ad amicos mittebant, ut argumento eſſent, ſe ipſis ſuavem & fauſtam vitam exoptare. Subditi muneribus Dominos afficiebant, & Senatores, Æquiteſque Romani Imperatores munerabantur. At cum vetitum ab Imperatore Claudio fuiſſet, ne ſibi hujuſmodi donis graves eſſent, conſuetudinem hanc populus tantum retinuit. Morem iſtum Græci acceperunt ab Romanis, a quibus latina voce *Strenæ* dicebatur, quod videlicet dies hic ſingulariter Deæ *Streniæ* dicatus eſſet. *Strenarum* autem originem repetunt a Romulo & Tatio Regibus Sabinorum. *

Strenas dabant

Quanquam Kalendæ Januarii tot Solemnitatibus Feſtiſque celebres eſſent, non vacabat tamen Populus Romanus, ſed contra quique artiſuæ operam dabat, ne in reliquo anni ſpatio inertia langueret: quod optime carminibus ſuis Ovidius expreſſit. **

* Refert Symmachus, T. Tatium, cum in bonum omem vertiſſet ramos e ſylva Deæ Streniæ abſciſſos, atque primo Januarii die ſibi oblatos, autoritatem conſuetudini huic impoſterum dediſſe, & munera hæc *Strenarum* nomine appellaſſe; quoniam exinde Dea *Strenia* præfuerit hujuſmodi ceremoniis; uti animadvertit D. Auguſtinus: *Muneribus Kalend. Januarii dandis, accipiendiſque præeſſet, cui a Strenuitate aut bellica fortitudine nomen deductum.* Aug. l. 4. de Civ. Dei c. 16. *Strenarum uſus adolevit autoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex Luco Strenia, anni novi auſpices primus accepit.* Symm. l. 10. Ep. 20. & 28.

** Poſtea mirabar cur non ſine litibus eſſet
Prima dies: cauſam percipe, Janus ait.

Im-

Impiis, quæ kalendæ Januarii conficiebant, Sacrificiis ceremoniæ insuper Æthnicæ, & superstitiosæ accedebant. Verbenam offerebant, sive quosdam arborum ramos; per diem accensas faces super mensam locabant, in qua convivabantur; vias cantibus & saltationibus circuibant, atque a quacumque intemperantia non abstinebant.

Ex adverso autem eum kalendæ Januarii Sanguinis Jesu Christi primitiis consecratæ fuissent, celeberrimæ habitæ sunt in Ecclesia, quæ illas precibus, & pœnitentia, sanctitate veluti honestandas indixit. Et vero Christiani diem hunc, longe aliter atque Infideles, solemni ritu celebrabant. Isti victimis immolatis, superstitionibus, vitaque licentiore Sacrum diem hunc polluebant citius, quam honore colerent: illi contra virtutum exercitatione, animique ad cœlestia conversione transigebant, utque demum Injurias Deo a Paganis illatas redimerent, quolibet bonorum operum genere indignationem illius permulcere conabantur. Hæc sunt, aut ego fallor, rationes germanæ, quibus ad kalendas Juanuarii celebrandas permoti sunt Christiani. Quamobrem vetustissimum in Ecclesia videri debet Festum hoc, tum quod attinet ad venerationem, a Christianis cruento Mysterio in eo comprehenso delatam, tum etiam quod est consilii illius, quo Paganorum, & malorum Christianorum dissolutæ vivendi licentiæ objectum fuit.

Christiani Paganorum licentiæ pœnitentiam opponunt.

Ab ineunte itaque Ecclesia, itemque Paganismo jam everso, non sane pauci abjecto & pusillo animo Christifideles reperti sunt, qui hoc se abripi sinerent exemplo Paganorum. Tametsi etenim instar illorum publicos Deo Jano Deæque *Streniæ* haud reddderent honores; non abstinebant tamen, quominus vestes mutarent, & per urbem personati ambularent, ad chorcas, & voluptarios cœtus cum ipsis convenirent; vitulum hinnulumque mactarent ritu sacrificii, ut non absimiliter ab illis nepotarentur.

Licentiæ Christianorum.

Verum Ecclesiæ Patres & Concilia adversus pravam istam consuetudinem acriter inclamarunt: *Nobis*, ait Tertullianus, *quibus Sabbata extranea sunt, & neomenia, & feriæ a Deo aliquando dilectæ; Saturnalia, & Januariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur. Munera commeant, Strenæ consonant, lusus convivia constrepunt.*

Eas perstringunt Patres. *Tertull. lib. de Idolat. cap.* 14.

S. Asterius Episcopus Amasenus, qui exeunte IV. sæculo, sive ineunte V. floruit, posteritati reliquit egregiam Homiliam *in Festum kalendarum*, quod Saturnalium specimen erat.

Tempora commissi nascentia rebus agendis;
Totus ab auspicio ne foret annus iners.

Quisquis suas artes ob idem libat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Quæ flagitia, & diei illius violationes Sanctos Patres flagranti ſtudio in *Strenarum* Feſtum incenderunt. His palam adverſatus eſt D. Auguſtinus, tanquam Gentilitatis reliquiis; præſertim vero redarguit profanum modum hunc Strenas dandi accipiendique * non ſine intemperantiis aliis perditiſſimis. S. Petrus Chryſologus, Archiepiſcopus Ravennæ, iſtas profanas oblectationes non ſecus damnat. Sub larvis, ut ipſe narrat, vagabatur, & ſub imagine Dei cujuſdam Gentilium. Viri veſtibus fœmineis incedebant, & fœminæ virilibus. Ferarum ſpolia non raro etiam ſuperinduebant aliqui; mille demum modis bacchabantur, jocari ſolummodo prætexentes, & oblectari. At vehementer inſurgit Sanctus Pater in hæc flagitia, ** Chriſtianiſque perſuadet, non poſſe illos citra crimen iis animum relaxare, quæ exceratione digna ſunt. Extant præterea aliæ Patrum Homiliæ ***, quæ vivis imaginibus, ſtrenuiſque in Licentiam vivendi kalendis Januarii objurgationibus redundant.

Sanctis Patribus concinunt Concilia, ut diei hujus ſuperſtitiones, & ſacrilega oblectamenta perimant & tollant. VI. Concilium Generale, anno 680. coactum, abuſus iſtos damnavit; nec non ſecunda Synodus Turonenſis; Altiſiodorenſis, celebrata anno 604. alia, quam Zacharias Pontifex Romam concivit anno 742. aliæque non paucæ. Canon ipſe, *Non obſervetis*, kalendarum Feſta interdicit; & Canon, *Si quis*, anathemate inſuper ferit eos, qui in iiſdem licentiis diſſolutis perſeverarent. ****

Concil. Turon. can. 8.
Concil. Altiſiod. can. 1.
C. 25. quæſt. 7. ibidem.

Præter vias iſtas & rationes, aliam quoque perſecuta Eccleſia eſt, ut Chriſtianos ab hiſce profanis Feſtis arceret, cum ipſis Circumciſionis ſolemnitatem & Nativitatis Octavam objecit. Quæ ſenſim quotidiano auctu in quoddam liberi Feſti genus evaſerunt, & deinceps ad Feſti ordinati formam redactæ, populis illas ſervandi obligationem adjecerunt. Et quidem nemini dubium eſſe poteſt, quin Feſtum hoc Fideles ſolemnitate aliqua ad IV. ſæculum celebrarent, ut percipere poteſt quis ex verbis Sancti Almachii, ſuperius recitatis; immo VI. ſæculo Chriſtianos obſtringeret ex Concilio Turonenſi. Medio circiter VII. ſæculo inſtitutum fuit in Hiſpania Regis Receſvvinthi, ſuorumque Epiſcoporum autoritate: tandemque illud univerſa Eccleſia celebravit.

Inſtituitur Feſtum Circumciſionis.

Conc. Turon. II. c. 17. & 22.

Ut autem penitus a Chriſtifidelibus exterminarent quidquid Idololatriam

* *Afturus es celebrationem Strenarum, ſicut Paganus, luſurus alea, & inebriaturus te.* Aug. in App. ſerm. 8.

** *Erras homo, non ſunt hæc ludicra, ſed crimina. Quis de impietate ludit, de Sacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit riſum ..... qui jocari voluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto. Nemo cum Se pente ſecurus ludit; nemo cum Diabolo impune jocatur.*

*** *Maximus Taurin. Hom. in kal. Jan. Fulgent. Ruſp. Iſid. Offic. l. 2. c. 52.*

**** *Si quis Kalendas Januarii ritu Paganorum colere, aut menſas cum lampadibus, vel eas in domibus præparare, & per vices, & plateas cantores & choros ducere præſumpſerit, anathema ſit.*

adhuc

adhuc redolebat, atque ad primi Januarii diei commeſſationes, & intemperantiam pertinebat; decretum fuit, ut Feſto Circumciſionis adderentur jejunia, abſtinentiæ, pœnitentia, Litaniarum cantus, precationes, eleemoſynæ, ipſumque canticum *Alleluja* in Eccleſiaſticis officiis reticeretur. Quas omnes Sanctas Exercitationes, & maximi hujus Feſti celebritatem ſuperſtitioſis kalendarum Januarii deliramentis oppoſuerunt. Qua de re locuti ſunt Ambroſius & Auguſtinus, Chriſtianos iccireo primo anni diei jejunare, ut dum Æthnici jucunditati ſe dabant, ipſi ad Deum pro illis gemitus funderent. *

Ordo Rom. cap. 20.
Concil. Toletan. 4. anno 633. cap. 10.

Hæc tamen omnia pietatis & pœnitentiæ opera non potuerunt kalendarum Januarii pollutiones ſtirpitus convellere. Diu apud Chriſtianos hæſerunt, neque antea deletæ ſunt, quam a primo anni die ad Baccanaliorum, quod Quadrageſimam præcedit, tempus tranſmigrarent. Eccleſia ipſa, præſcripta a Conciliis jejunia abrogavit, atque hortata Fideles eſt, ut pauperes amicis ſubſtituerent, atque in eleemoſynas *Strenas* converterent, quarum conſuetudinem ſe tollere omnino non poſſe cognoſcebat. kalendæ itaque Januariæ nomine Circumciſionis & Octavæ Nativitatis tum primum ſolemnius, quam prioribus ſæculis celebrari cæptæ ſunt, eum ſuperſtitionum nequitia extirpata eſt.

Durandus l. 7. c. 41.

ARTICULUS III.

Diſſoluta Kalendarum Januarii licentia ad Eccleſiaſticos derivavit; & qua in Gallis ſublata fuerit ratione.

QUamquam Eccleſia, Concilia, & Patres profana primi Januarii diei Feſta pene eradicaverint, inſequentibus tamen temporibus rurſus invaluerunt non ſolum apud Laicos, mundique ſtudioſos, verum etiam apud Eccleſiaſticos, quos pro inſtituti ſui ſanctitate magis oportebat ab hujuſmodi intemperantiis eſſe remotos. Quidam Scriptores ** non dubitarunt annumerare pravis inſtitutionibus, quæ Kalendarum Januarii flagitia ſubſecutæ ſunt, delectum, quem hujus diei fecere Subdiaconi, ut Feſtum quoddam ſibi proprium celebrarent. In Gallia appellabatur Feſtum Subdiaconorum, non quod ſolos comprehenderet Subdiaconos;

De Feſto Subdiaconorum.

Gallice *Soudrie creta*

* *Tunc nos ſimus ſobrii, atque jejuni; quo intelligant latitiam ſuam noſtra abſtinentia condemnari.* Ambr. in kal. Jan. ſerm. 2. Edit. Rom. *Ergo ſi nevimus mala Æthnicorum, quia de ipſis malis & nos liberati ſumus, doleamus illos. Et ſi dolemus illos, oremus pro illis, & ut exaudiamur, jejunemus pro illis.* Aug. Pſ. 98.

** *Bonif. Mogunt. Ep. in Con. Beletus l. de divin. Off. c. 72.*

ſed

Ducangius Gloſſ. verbo Kalenda. Gallice Diacres ſoulſ.

ſed ita vocabatur per jocum, ac ſi quis diceret Feſtum Diaconorum ebriorum: *ideſt ad litteram*, inquit Ducangius, *ſaturi Diaconi*.

Belet. de Divin. Off. c. 72. De quatuor generibus Fellorum.

Autor quidam, qui Facultati Theologicæ Pariſienſi præfectus erat occidente ſæculo XII. meminit hujus Feſti Subdiaconorum, quod Eccleſiaſticis omnibus commune erat, quamvis non eodem die ab univerſis celebraretur. *Fiunt*, inquit, *quatuor tripudia poſt Nativitatem Domini in Eccleſia, Levitarum ſcilicet, Sacerdotum, Puerorum, ideſt minorum ætate & ordine, & Hypodiaconorum*. * Feſtum hunc diem ducebant in Saltationibus, aliiſque animi oblectamentis, quibus Clerici, Diaconi, iidemque Presbyteri in Eccleſia Officii Divini tempore indulgebant, ſtato quodam inter Feſta Natalitia atque Epiphaniæ, preſertim vero primo anni die, & propterea illud etiam vocabant Feſtum kalendarum.

Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis narrat, ipſo Natalis Domini die, proxime a Veſperis, Diaconos ſaltare ſolitos in Eccleſiis, canentes antiphonam in honorem D. Stephani: idemque præſtare Sacerdotes ante diem S. Joannis Evangeliſtæ in obſequium hujus Apoſtoli; pueros Chori, ſive Clericos minores pro Sanctis Innocentibus; Subdiaconos tandem ipſo Circumciſionis die. Inter has lætitias prodibant homines, Pontificiis veſtibus amicti cum Mitra & Paſtorali, qui Epiſcoporum inſtar benedictionem largiebantur; alii Regum Ducumque perſonas atque ornamenta induebant, aut larva vultum obtegebant, ut ſcenicos ludos agerent.

Belet. de Divin. Off. c. 120.

Ad Feſtum quoque Subdiaconorum referre poſſumus conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum, in quibus Epiſcopi familiariter ludebant cum Clero & Populo ſuæ Diœceſis pila, globis miſſilibus, aliiſque hujuſmodi; ** quibus Gentilium Saturnalia imitabantur, quæ Dominos cum Servis & Captivis ſine ullo dignitatis diſcrimine epulantes inducebant.

Feſtum Subdiaconorum differt a Feſto Stultorum.

Non deſunt, qui Feſtum Subdiaconorum haud diſtinguant a Feſto Stultorum; quamquam utraque eum tempore, tum etiam illa celebrandi ratione diſſimilima ſint. Ubi enim Feſtum Stultorum ad Nonas Januarii translatum eſt, ut Regum Sanctorum pervigilium polluerent, aliud Subdiaconorum diei Circumciſionis adhæſit. Denique appoſitum erat nomen Feſti Stultorum genialibus ludicris Gentilium, quæ in Jani & Deæ *Streniæ* cultum inſtituebantur, quorum immoderatæ abominationes aliis

* *Feſtum Hypodiaconorum a quibuſdam perficitur in Circumciſione, a quibuſdam vero in Epiphania, vel in ejus Octava.* Belet. ibidem.

** *Sunt nonnulla Eccleſia, in quibus uſitatum eſt, ut vel etiam Epiſcopi, & Archiepiſcopi in Cœnobiis cum ſuis ludant ſubditis, ita ut etiam ſeſe ad luſum Pilæ demittant..... quanquam vero magna Eccleſia, ut eſt Remenſis, hanc ludendi conſuetudinem obſervent, videtur tamen laudabilius non ludere.* Beletus ubi ſupra cap. 120.

Ion-

longe flagitiis contaminabantur, ac illa, quæ admittebat Feſtum Subdiaconorum. Illud quidem certum eſt, malos uſus, effrænatamque licentiam, quæ concedebatur in Feſtis Subdiaconorum, anſam præbuiſſe, ut vulgo inter hoc & Stultorum feſtum non internoſceretur. Hoc pacto iſtud vocat Beletus: *Feſtum Hypodiaconorum, quod vocamus Stultorum.* Et profecto Feſti hujus Subdiaconorum intemperantia tam horribilis effecta eſt, ut perſuaſu difficilis eſſet, niſi illam referret Epiſtola Encyclica, quam Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctores dederunt anno 1444. ad omnes Franciæ Præſules, ut deteſtandum * hoc Feſtum tollerent, quod non modo in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegialibus celebrabatur, ſed ad Monaſteria quoque Virorum & Sanctimonialium pervaſerat.

Feſta hæc a Græcis deſcenderunt.

Quamquam ſimillimum veri ſit, primam Feſti Subdiaconorum originem repetendam eſſe a ſuperſtitione Paganorum, qui primo anni die perſonati ambulabant, quod exinde Chriſtiani imitati ſunt; nihilo tamen minus haud earent rationis momento qui exiſtimant, Eccleſiaſticos Latinos a Græcis hoſce pernicioſi exempli mores mutuatos eſſe; quandoquidem ante finem XI. Sæculi libertas hæc immoderata in Eccleſia Latina nota non erat; quæ tamen inter Eccleſiaſticos Orientis eſſe debebat uſitatiſſima; cum octava Synodus anno 869. celebrata fortiter reſtiterit pravis inſtitutionibus iſtis, uti probat Canon quidam (Hic canon deeſt in Editione Græca) hujus Concilii ſecundum Verſionem Latinam Anaſtaſii. *Gradum quaſi Sacerdotalem*, inquit Canon ille, *per quædam induſia, & veſtimenta Sacerdotalia ſumere, & ut putabatur, Epiſcopos conſtituere, ſuperhumeralibus, ideſt palliis, circumamictos, & omnem aliam Pontificalem indutos ſtolam, qui etiam proprium Patriarcham adſcribentes ..... & inſultabant & illudebant quibuſque divinis, modo electiones, promotiones, conſecrationes .... miſerabiliter, & prævaricatorie agentes & patientes &c. Talis autem actio, nec apud gentes a ſæculo unquam audita eſt.*

Octava Synodus can. 16.

Me quidem latet, an hujus Concilii Canones reliquias iſtas Gentilitatis a Græcia exterminaverint, quæ in Eccleſiaſticis adhuc ſupererant: illud certe perſpicuum eſt, Pontifices, Synodos, atque Epiſcopos nihil intentatum reliquiſſe, ut huic occurrerent impietati. Gallia præ omnibus

Concilia hanc licentiam damnant.

* *Sacerdotes ipſi ac Clerici Archiepiſcopum, aut Epiſcopum, aut Papam creabant, eumque fatuorum appellabant. Divini Officii tempore larvati, monſtruoſis vultibus, aut in veſtibus mulierum, aut lenonum, vel hiſtriorum choreas ducebant, in Choro cantilenas inhoneſtas cantabant, offas pingues ſupra cornu Altaris juxta celebrantem Miſſam comedebant, ludum taxillorum ibidem exarabant, thuribulabant de fumo faſido ex corio veterum ſotularium, & per totam Eccleſiam ſaltabant, turrebant &c.* Epiſt. Encycl. edit. Savar., & ex eo Guſſanvilla.

cona-

conatus in eo posuit virtutis suæ, ut vitia hæc funditus adimeret. Compertum id fit ex Epistola Petri Capuani Cardinalis Legati in Galliis anno 1198., qua jubet Eudo Sulliacensi Episcopo Parisiorum, & quibusdam ejusdem Ecclesiæ Canonicis, ut quam citissime Festum hoc abrogent in Diœcesi sua, quod eum ibi, tum in aliis Regni partibus inoleverat.

Apud Guillaumill. post notat. ad Petrum Blesens.

Ut autem gravissimum consilium impleretur, Eudus, aliique negotio præfecti, ediderunt Decreta duo, annis 1198. & 1199. quæ indictis severioribus pœnis interdicebant, ne impietas ista atque intemperantia diutius serperet. Sed illustris hic Præsul aliam inivit rationem, qua nimirum solemnius, quam unquam antea, celebrandum sanciret Festum Circumcisionis; Ecclesiasticos cogeret, ut illi assisterent; distributiones largiores designaret, quæ solvi debebant ex redditibus agrorum, in rem hanc depositorum. Quorum reddituum assignatio relata est in historia Universitatis Parisiensis, in quibus Actis legimus, eum usum autoritate Cardinalis Capuani, ut remedia pararet horrendis flagitiis, quæ in diebus Circumcisionis, & S. Stephani committebantur. Ut vero Festa hæc celebritate majori colantur, volumus, inquit, ministros Ecclesiæ præter bona cælestia, quæ comparabunt, emolumentum quoque temporarium aliquod acquirere. * Additque, si forte rursus prava hæc consuetudo invaleseret, propositum sibi esse, neque se, neque successores suos his solvendis largitionibus imposterum teneri.

Bulæus Hist. Univers. Paris. Tom. 2. pag. 544.

Insignis reddituum assignatio facta ab Eudo Parisiensi Episcopo.

Eadem rursus interdicta fuerunt in multis Conciliis. Parisiense sub anno 1212. Festum Stultorum prohibet absolute: *A Festis vero Follorum, ubi baculus ** accipitur, omnino abstineatur.* Illud excepit Synodus Lingonensis anno 1404. deinde Basileensis anno 1435., Rothomagensis anno 1445., aliaque non pauca coacta Senonis, Lugduni, & Toleti. Postremis hisce Conciliis stimulos admovit Epistola Encyclica, quam Facultas Parisiensis ad Galliarum Episcopos misit, in qua legitur celeberrimæ hujus Facultatis censura, vehementissime condemnans Festi Subdiaconorum & Stultorum licentiam. Jure itaque ac merito Universitati Parisiensi decus vendicant singulare, quod ad Gallicam Ecclesiam ab hisce Gentilitatis reliquiis expurgandam contulerit.

Concilia multa in Gallia celebrata Concil. Paris p. 4. c. 16.

Epist. Facult. Paris anno 1444. Edit. Savar.

* *Ut omnem occasionem ludorum, dissolutionum, fatuitarum, enormitatum, quæ diebus Circumcisionis Domini ..... instituit, ut illa Festa solemniter celebrentur: atque ut Canonici & Clerici libentius adessent, certum attribuit stipendium ..... In Festivitate Circumcisionis singulis Clericis Chori, non Canonicis, qui Matutinis interfuerint 3. denarios Parisienses; singulis vero pueris Chori duos denarios annuatim in redditibus Capicerii Parisiensis percipiendos donamus, & in perpetuum habendos concedimus &c.* Actum 1199. Pontif. nostri anno III. Bulæus ubi supra.

** Pedum Pontificium.

DIS-

DISSERTATIO IV.

De Epiphania, & nonnullis Traditionibus ad Magos pertinentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Vox hæc Epiphania *Solemnitates multas, præsertim vero illam Magorum Christum adorantium significat.*

VIdetur verbum hoc *Epiphania* Sacrum fuisse Ethnicæ Religioni ante ipsam Jesu Christi Nativitatem, ut Divinitatis præsentiam indicaret, quoties existimabant Gentiles, Deos suos adstitisse coram hominibus per visum aliquod, vel mirum eventum, vel gratiam inusitatam. Hinc Diodorus Siculus ait, Deum Isidem in nocte *suæ præsentiæ manifesta indicia demonstrare*. Eadem voce utitur Dionysius Halicarnassæus: *Deorum apparitiones* Ἐπιφανείας τῶν θεῶν. Constat etiam Græcos Festa instituisse, quæ appellabant τὰ Ἐπιφάνια, ut visionum istarum memoriam consecrarent. Ferunt, Regem Demetrium in singulos annos sacrificia conficere solitum solemnia, quorum diem *Epiphaniam* vocabat, ut monumentum esset Fratris suis demortui, atque ab ipso divinis honoribus affecti.

Pagani usi sunt voce *Epiphania*.

Diodor. Sicul. l. 1.

Athenæus l. 12. c. 11.

Ecclesia vero usu vocis hujus *Epiphania*, nativam ipsi veramque interpretationem dedit, cum tribuit manifestationi & præsentiæ Dei, humanam naturam induti, ut inter homines versaretur: adeoque complexa est quatuor præcipuos modos, quibus libitum Deo fuit, Filium suum prodere mundo, communi *Epiphaniæ*, sive manifestationis vocabulo. Jesus Christus etenim in Nativitate sua innotuit primum Pastoribus Angelorum ministerio; Magis Stellæ splendore; testimonium deinde accepit ab æterno Patre, *voce e cælo delapsa, Hic est Filius meus*; atque a Spiritu Sancto sub Columbæ specie in eum descendente & insidente: denique *gloriam suam manifestavit*, inquit Evangelium, *initio Signorum suorum, & crediderunt in eum discipuli eius*.

Ecclesia verbum *Epiphaniæ* collectavit.

Joannes 2. 11.

Patres quoque Ecclesiæ hoc *Epiphaniæ* nomen adhibuerunt, ut universa festa ista significarent. Cum Eusebius dixit in Historia sua, se ejus exordium sumere ab *Epiphania*, non intellexit quidem adorationem Ma-

Varia hujus nominis apud Patres significatio.

l. 1. Hist.

gorum, vel Jeſu Chriſti Baptiſma, ſed ejus Nativitatem. Sanctus Item Gregorius Nazianzenus, & Suidas vocabulum *Epiphaniæ* ad ortum Jeſu Chriſti enunciandum uſurpant. Denique S. Epiphanius de Orientis Eccleſiis ſcribit, illas in die *Epiphaniæ*, ſcilicet quo editus in lucem Salvator eſt, minime jejunare.

De voce Theophania.

Lib. 3 ep. 110.

Euſebius l. 3. de Vita Conſtant.

Gregorius Nazianz. Orat. 30.

Nomen inſuper *Theophaniæ*, quod planius Dei præſentiam & manifeſtationem ſignificat, Nativitatis Feſto impoſuerunt. Hoc ſane pacto S. Iſidorus Peluſiota primum Salvatoris adventum *Theophaniam* vocat; Euſebius, & Gregorius Nazianzenus eadem utuntur *Theophaniæ* voce, qua Jeſu Chriſti nativitatem exprimant, ut qui naſcendo apparuit nobis; utque nos docerent, Patrem & Spiritum Sanctum Filii Divinitati teſtimonium dixiſſe. Uſum quoque habet vox *Epiphania*, perinde ac quis diceret, Deum ſeſe hominibus cognoſcendum dediſſe.

Joannes Chryſoſt. Tomo 5. hom. 36.

Hieron comm in Ezech

Joannes Chryſoſt. Hom de Bapt. Chriſti.

Iſid. de Off. Eccleſ. l. 1. c. 26.

Ambr. ſerm. 21.

Sancti vero Hieronymus & Chryſoſtomus ſcripſere, hoc *Epiphaniæ* verbo intelligendum eſſe Baptiſma Jeſu Chriſti, cum cæli aperti ſunt, non autem Ortum illius. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis autor eſt, homines Apoſtolicos *Epiphaniæ* vocabulo demonſtrare voluiſſe Manifeſtationem Jeſu Chriſti, qui a Magis in Præſeplo eſt adoratus, quo Stellæ ductu pervenerant. Sanctus Ambroſius ait, appoſitum *Epiphaniæ* nomen prodigio illi primo, cum Jeſus aquam in vinum convertit. Tandem convenit inter Scriptores Eccleſiaſticos, octavum ante Idus Januarii diem ab Epiphania nuncupatum fuiſſe, quod videlicet hæc tria in ipſo Feſta celebrarentur: Adoratio Magorum, Baptiſma Jeſu Chriſti, primumque Canæ Miraculum; etſi myſteria hæc neque in eundem annum, neque in eundem inciderint diem; quod Sanctus Paulinus optime animadvertit in Vita Sancti Felicis. Porro Sanctus Iſidorus a veteribus Patribus hanc Traditionem manaſſe teſtatur.

Sanctus Maximus Taurinenſis V. Sæculi Scriptor nos monet, Eccleſiam ex antiquiſſima Traditione tria hæc Feſta, ut ea ſimul coleret, comprehendiſſe*. *Et quia*, ſubjungit ſanctus idem Vir, *hæc tria myſteria, uno acta die prædicantur, qui ineffabile Trinitatis arcanum uno Dei ſub nomine confitentur*. Quam eandem ſententiam efferunt alii Patres. **

* *In hac celebritate, ſicut relatu paterna Traditionis inſtruimur, multiplici nobis eſt Feſtivitate lætandum; ferunt enim hodie Chriſtum Dominum, vel Stella duce a gentibus adoratum: vel invitatum ad nuptias, aquam in vinum vertiſſe: vel ſuſcepto a Joanne Baptiſmo, conſecraſſe fluenta Jordanis.* Max. Taur. Serm. 10. de Epiph.

** *Chriſtus diverſo tempore, uno eodemque die, Magorum munere, aqua mutatione, atque Patris voce, Deus trino agnoſcitur teſtimonio; ſitque de trina oſtenſione Chriſti Epiphania una & ſacrata ſolemnitas.* Petr. Chryſ. ſerm. 57. & ſerm. 160. Sedul. de vita Chriſti. S. Paulinus Nat. 9. S. Felicis. S. Aug. ſerm. 29. 32. 37 de Temp. S. Ambr. ſerm. 18. de Epiph. Iſid. Hiſp. l. 1. de Off. Eccl. Bern. ſerm. 2. de Epiph. ait: *Tres apparitiones Domini legimus uno quidem die, ſed non uno tempore factas.*

Sunt

Sunt pariter, qui exiſtiment, Eccleſiam trium Feſtorum iſtorum nexum imperaſſe, ut repræſentationem triplicis gloriæ, quæ Chriſto advenit ex Magorum cultu Baptiſmo ſuo, & primo oſtento, objiceret tripliei Triumpho Auguſti Imperatoris, quem, Oroſio referente, Ethniei Romæ octavo Idus Januarii eelebrabant. Atque hie ſane uſitatus fuit mos Eccleſiæ, tum ut memoriam Gentilium ſuperſtitionum aboleret, tum etiam ut illos ad veri Dei eultum traduceret. Qua de re non ſemel ipſas Paganorum eeremonias in uſum tranſtulit ſuum, eademque Templa mendacium Deorum ritu Eccleſiaſtico expurgavit & dedicavit.

Conciſium Eccleſiæ in Inſtitutione Feſti Epiphaniæ. *Florent. Martyr. Hieron pag. 157. Oroſius l. 6 c. 18.*

Baron. ad annum 41. num. 88.

Tria hæc Feſta viciſſim juncta reperimus ſexto Januarii die in Martyrologiis bene multis, uti adnotatum a Molano ſuit in additionibus ad Uſuardum: Martyrologium vero MS. Bruxellenſe hiſce tribus Feſtis Miraculum addit, quo Jeſus Chriſtus quinque panes quinque hominum millibus reficiendis multiplicavit *. Atqui veri ſpeciem non levem habet, primorum Eccleſiæ ſæculorum ætatem ferre conjunctionem hanc quatuor Feſtorum iſtorum in diem ſextam Januarii, quandoquidem ejus meminit Auguſtinus. **

Tot itaque Myſteria in eundem diem coeuntia, Feſtum Epiphaniæ tam celebre reddiderunt, ut Julianus Apoſtata, qui elam Idolis thus adolebat, non auſus ſit, quin diei hujus Officio intereſſet, dum Viennæ agebat anno 361. uti narrat *** Ammianus Marcellinus, Autor Gentilis. Sanctus Gregorius Nazianzenus tale quidpiam refert de Valente Imperatore, qui lieet Arrianus, Feſti hujus Solemnitati aſſiſtebat, ne videretur a Chriſtiana Religione deſeciſſe. Theodoſius Imperator tanta Feſtum hoc veneratione proſecutus eſt, ut a litibus aliiſque eivilibus negotiis abſtinendum juſſerit ſeptem dies ante, totidemque ab iſto Feſto, & toto hoc dierum ſpatio quoddam Feſti perpetui genus in Imperio conſtituerit.

Quam fuerit ſolemne Feſtum illud.

Oratione in laudem Baſilii.

Codex Theod. l. 2. tit. de Fer.

Ceterum eum priſca Traditione didicerimus, Magos fuiſſe Reges, inſequentibus temporibus dies *Epiphaniæ* Feſtum Regum eſt appellatus. Commeſſatio Convivii illius, quæ Gallice dicta fuit, *Roi-boit*, non eſt niſi triſtes reliquiæ veteris Paganiſmi, quæ pudore illos affieere deberent,

De Feſto Regum.

* *Epiphania Domini noſtri Jeſu Chriſti ..... quique anno ex hinc proximo de paucis panibus magnam turbam hominum ſatiavit: Et ſic hæc die quatuor facta conſurrunt.* Solerius in nova Edit. Uſuardi, 6 Januar.

** *Hodie illud colimus, quo ſe in homines Deus virtutibus declaravit, pro eo quod in hac die, ſive quod in cælo ſtella ortus ſui nuncium præbuit: ſive quod in Cana Galilea in convivio nuptiali aquam convertit in vinum: ſive quod in Jordanis undis aquas ad reparationem generis humani ſub Baptiſmo conſecravit: ſive quod de quinque panibus quinque millia hominum ſatiavit. In quolibet horum ſalutis noſtræ myſteria continentur & gaudia.* Aug. ſerm. 29. de tempore, qui eſt primus de Epiphan.

*** *Feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Epiphaniam dicitant, progreſſus in Eccleſiam, ſolemniter Numini adorato diſceſſit.* Ammianus l. 21.

qui de Chriſtiana Religione, pietateque gloriantur. Sanctus Aſterus Archiepiſcopus Amaſenus, qui labente IV. Sæculo floruit, poſteritati tradidit Sermonem *in Feſtum Kalendarum*, in quo de comeſſationibus *Roi-boit*, tanquam de Gentilitatis reliquiis agit. Deſſionius, Doctor Sorbonicus, Decanus & Silvanectenſis Canonicus, Theologicis rebus præfectus, Tractationem edidit adverſus Feſtum *Roi-boit*; oſtenditque, illud Paganiſmi antiquas reliquias eſſe, & nulla ratione concedendum. Contra Caufidicûs quidam Silvanectenſis, Nicolaus Bartholomæus nomine, ipſi reclamavit, & nequam libellum typis commiſit anno 1664. titulo: *Apologia ſacri Convivii in Pervigilio Regum*. Gall. quem multis Approbationibus munivit.

ARTICULUS II.

Multa de Magis ad trutinam revocantur; atque an Reges eſſent.

Vox *Magorum* multa ſignificat.

PErſæ, & plerique Orientis populi Sapientibus ſuis Magorum nomen tribuebant, non ſecus atque illos Judæi Scribas, Ægyptii Prophetas, Græci Philoſopos, Latini Sapientes, & Galli Druidas appellabant. Nos docet Cicero, tanti habitos a Perſis Magos, *ut quiſquam Rex Perſarum eſſe non poſſit, qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit*. Plerumque, ait Divus Hieronymus, Magi pro hominibus, magicis artibus addictis, accipiuntur. Porro non hujuſmodi habentur in regionibus ſuis; ſed tanquam Philoſophi & ſapientes, tanta doctrina præſtantes, ut *ad artis hujus ſcientiam Reges, quotquot & Principes ejuſdem Gentis omnia faciant. Unde & in Nativitate Domini noſtri ipſi primum ortum ejus intellexerunt: & venientes in Sanctam Bethleem adoraverunt puerum, ſtella deſuper oſtendente.*

Cic. l. 1. de divin. circa finem.

Hieron. in Dan. c. 2.

De regione Magorum.

Multas quæſtiones inſtituere ſolent nonnulli de regione, inſtituto, nomine, numero, & dignitate Magorum, qui novum Salvatorem in Bethleemitico ſtabulo natum adorarunt. Aliqui illos deducunt ex Perſia, alii ex Chaldæa, non pauci ex Arabia deſerta, ſive Meſopotamia; rati eos ab Oriente veniſſe, ad quem ſitæ ſunt hæ omnes Provinciæ Judæam verſus. Non deſunt, qui eos Armenos faciant, Æthiopes, Ægyptios, eoſdemque a tribus Orbis terræ partibus profectos, Aſia nimirum, Africa, atque Europa, ſecundum Ven. Bedæ mentem.

De Magorum inſtituto.

Quandoquidem duplex Magiæ genus eſt, alia videlicet licita & naturalis, alia vetita & diabolica; id Scriptores Eccleſiaſticos de Magorum inſti-

inſtituto in varias opiniones diſtraxit. Quidam ſentiunt, eos revera magos fuiſſe, *qui divinationis artem exercerent, atque Aſtrologiæ *judiciariæ*, nec non incantamentorum periti eſſent. Alii opinati ſunt, illos Philoſophiam profeſſos, arcanis naturæ ſcrutandis, ſyderibuſque contemplandis incubuiſſe. Eruditus P. Calmetus Diſſertationem de Magis nobis reliquit, quæ ſedem habet in Commentariis D. Matthæi, ubi ait, Magos fuiſſe Sapientes veri Dei cultores, qui ſine Legis ſcriptæ, & ceremoniarum Hebraicarum ſubſidio omnipotentem Deum colebant, & præſtolabantur Dominatoris hujus adventum, a Balaamo prænunciatum, quorum ipſi ſucceſſores erant. Sententia communis eſt, ex hujus Prophetiæ verbis, eos Hieroſolymam ſe contuliſſe, inquirendi gratia novum Regem, cujus ſydus in Regionibus ſuis conſpexerant. *Calmet l. 3. c. 12.*

Non conſtat autem in Sacris Litteris, alibi Meſſiæ adventum Stellæ orientis inditio ſignari, præterquam in Prophetia Balaami. Denique inter Patres extitit Hieronymus, **qui diceret, Magos vel a Dæmonibus, vel Balaami Prophetia edoctos, ab Oriente, recens natum Regem adoraturos, veniſſe.

Traditio, nomen Magis imponens, non eſt antiquiſſima. Primus fuit, quod noverim, Ven. Beda, qui eos *Gaſparem*, *Melchiorem*, & *Balthazarem* appellaverit. Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus, Sæculo XII. natus, contendit eos Hebraice nuncupatos *Apellium*, *Amerum*, *Damaſcum*, ſcilicet fidelem, humilem, miſericordem. Petrus Commeſtor Græce vocat *Malagat*, *Galgalat*, *Saracin*, quas voces interpretatur, Nuncium, Pium, Gratiam. Animadverſio Caſauboni eſt, alios eis nomina affinxiſſe *Aſtoris*, *Satoris*, *Paratoris*. Jacobus tandem d' Auſoles la Peire eos vocabulis effert *Melchiſedechi*, *Henochi*, *& Eliæ*. Nom'na Magis tributa. *In Hiſt. Scolaſt.* *Exerc. 2. in Bar. num. 10.* *In Tract. de Epiph. p. 3. Gall.*

Quæ nomina Magorum excogitandi licentia non tam parta eſt otio illorum, qui fabellis ducuntur, quam ignorantia. Non fit credibile, nomina hæc inventa tantummodo fuiſſe, ut in illicitos uſus adhiberentur: & quanquam perſuaſum nobis ſit, ea, quæ Magis in Occidente appoſita ſunt nomina, conficta potius hominum temeritate quam impietate fuiſſe; nihilo ſecius abuti exinde illis potuerunt, quo pacto nominibus Sanctorum, ceteriſque ſanctiſſimis Religionis rebus abuſi ſunt. Hoc, ut mihi videor, judicium ferre poſſumus, cum legimus tres verſiculos iſtos, perperam Ven. Bedæ adjudicatos:

*. Sanctus Ignatius *Epiſt. ad Epheſ.* S. Juſtinus *Dialogo cum Triphone*; Tertullianus *de Idololatria*; Origenes *Hom. 1. in Num. & contra Celſum*; S. Ambroſius *l. 2.* in *Luc.* S. Baſilius *de humana Chriſti Nativitate*; S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Auguſtinus Serm. 2. & 5. *de Epiphania & alii*.

** *Magi de Oriente, docti a Dæmonibus, vel juxta Prophetiam Balaam intelligentes natum Filium Dei, qui omnem eorum artis deſtrueret poteſtatem, venerunt Bethleem*. Hieron. in Iſaiam XIX.

Ca-

Apud Bedam in Collectaneis.

Gaſpar fert myrrham, thus Melchior, Baltazar aurum.
Hæc quiſque ſecum portat tria munera Regum.
Solvitur a morbo, Domini virtute, caduco.

De Magorum numero.

Satis imaginem veritatis præſeſert, aliquibus viſum eſſe numerum Magorum in Pſalmo 71. deprehendere, ipſaque trium regnorum nomina, unde venerunt, in eo dignoſcere. Atque illud quoque apparet induxiſſe homines, ut eos ad hunc numerum redigerent, quod triplex fuerit donorum genus, ab Evangeliſta memoratum.

Denique minus convenit inter Doctos de illorum natalibus. Quidam regiam ipſis tribuunt dignitatem, quidam negant. Porro mea non eſt has omnes Traditiones in præſentiarum expendere. Satis liquet, duas priores ſerius in Eccleſia exortas eſſe, nihilque in ſe explorati habere propter ſententiarum varietatem; tertiam aperte fabulam redolere; quartam demum, quæ Magorum numerum attingit, utpote in Evangelii verbis fundamentum habentem, quibus novimus ab ipſis oblata aurum, myrrham, & thus, nec non in Patrum multorum apertis teſtimoniis, * paſſim admiſſam eſſe in Eccleſia, neque de hac Traditione ullum eſſe opinionum diſſidium.

De Regia Magorum dignitate.

Id unum itaque pro inſtituto ſuſcipio, ut tuear regalem Magorum dignitatem, non quidem tanquam certam Traditionem atque indubitatam, ſed tanquam opinionem piam, non exigua probabilitate affictam, quæque adverſa ſententia magis idonea videtur, cum illa argumentis duntaxat negantibus innititur.

Hæc igitur Traditio non habet vim in opinione plebis, ut affirmant eruditi aliqui **, Magos ſcilicet Reges appellantis; neque in fingendi facultate Pictorum, qui illos regiis veſtibus ornatos exprimunt; ſed in teſtimonio multorum Patrum, atque in Eccleſiæ conſenſione, quæ in hanc partem vergere videtur.

Barradius. Janſenius Gand. Maldonatus. Cornel. a Lap. & alii.

Non me fugit, plures Scripturarum Explicatores quamplurima Patrum loca collegiſſe, in quibus videre ſibi videbantur regiam Magorum dignitatem. At ſi diligenter Critica lance ſuſpendamus teſtimonia illa, neceſſe erit confiteri, incertiſſima eſſe, ſive a Libris ſuppoſititiis depromta, vel tandem regali Magorum poteſtati parum faventia. Nihilo tamen minus nemo infelix ibit, aliquos Patres in hanc ſententiam deſcendiſſe.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus quam parſpicue mentem ſuam aperuit

* S. Leo *Serm.* 4. & 5. S. Cæſarius, Euſebius Emiſſenus, Beda, Rupertus Abbas, aliique multi. S. Maximus Taur. *Hom.* 3. *de Epiph.* Hilarius Arelatenſis,

** Tillem. notat. 22. in Jeſ. Chriſtum. Baill. in Vit. Sanctorum, 6. Januarii in Hiſt. adorat. Magorum.

de

de dignitate regia, qua Magi præditi erant*. Sanctus Ambroſius ait; *Illi Magi tres Reges eſſe dicuntur.* *Hom. 1. in Epiph.*

Senſa Patrum de regali Magorum dignitate.

Haud erediderim, Claudiani ſuffragium hac in re ſuſpicionem afferre, neque quemquam clarius aut nobilius pro regali Magorum genere ſententiam proferre poſſe. Sic habeto qui loquatur in Diſticho, quod ejus nomine circumfertur, licet alii Claudiano cuidam juniori, vel Claudio Mamerto adjudicent.

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges.
Myrrham homo, Rex aurum, ſuſcipe thura Deus. *Cavius Hiſt. Lit. Sæc. 4. in fine.*

Sanctus Cæſarius, qui VI. Sæculo vivebat, Magis dedit nomen Regis. Paſchaſius Radbertus, IX. Sæculo clarus, contendit, Magos Reges fuiſſe. *Magos Reges extitiſſe*, inquit Monachus hic Corbejacenſis, *nemo qui hiſtorias legit ignorat.* Cum his conſentit Theophilactus his verbis: *Oportebat gaudere potius, quod Rex ſuus a Perſicis Regibus adoraretur.* Poſtremo loco teſtatur Baronius, communem Fidelium opinionem eam eſſe. *Caſſ. ſerm. 43. in append. Tom. 5. S. Auguſt.* *Paſch. Radb. in Matt. 2.* *Theoph. in Matt. 2.* *Baron. ad ann. 1. num. 80.*

Quid quod titulus Regum Magis addictus, vetuſtior videtur communi ipſa Traditione, eoſque hoc nomine inſignitos fuiſſe propter Eccleſiæ Officium, in quo cani ab omnibus audiebatur: *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.* Sunt enim quærentur, Prophetiam iſtam, aliaſque ** hujuſmodi de Chriſto Jeſu intelligendas eſſe, atque ad Litteræ ſenſum Regum nomine donari eos, qui muneribus ſuis Filio Dei obſequium præſtiterunt. Porro, ut videtur, inquiunt, Prophetiæ iſtæ nunquam niſi in Magis impletæ ſunt. *Pſ. 72.* *Riccard. Montacut. Orig. Eccleſ. Tomo 1. p. 1. pag. 203.*

Joannes Zemiſcius, qui ſub exitum X. ſæculi Conſtantinopolis Imperii ſummam tenebat, cudere fecit Numiſma, in quo ex altera parte apparebat Imago Jeſu Chriſti, atque ex altera tres Reges, puerum Jeſum Mariæ bracchiis exceptum adorantes. Super caput autem Salvatoris ſydus poſitum erat. Ferunt Hugonem Capetum conſueviſſe, magnifica celebritate Epiphaniæ Feſtum recolere, titulo Feſti trium Regum. In Pileo infixam Stellam gerebat, monumentum videlicet illius, quæ Magos ad Præſepe perduxerat. Numiſmata, in quibus tres Reges inſculpti ſunt. *Ducangius Familiæ Byſantinæ.*

Quod ſi argumenta hæc ſatis firma non ſunt, ut Traditionem ſtatuant certam, quæque in dubium vocari non poſſit; ſatis tamen ſunt, ut illam amplectamur tanquam piam Traditionem, haud parum probabilem, eoque magis, quo nullus ſit totius antiquitatis autor, qui adverſatus illi

* S. Joannes Chryſoſt. hom. 1. ex var. in Matt. cap. 2., & Hom. in Nat. S. Joann. Bapt.

** *Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt propter Dominum.* Iſaiæ 49. 7. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Iſaiæ 61. 13.

ſue-

fuerit. Porro ſecundum Criticàs præceptiones audiendus magis eſt Autor de facto ullo perhibens, quam multi, qui ſilentio illud præterierunt.

Magi erant Reguli.

Cum autem dicimus, Magos fuiſſe Reges, id intelligendum eſt uſitato more Scripturarum, quæ cujuſque Urbis vel Provinciæ Dominum Regem appellat, cujuſmodi forte erant quinque illi Reges, quos Abrahamus devicit: quo ſenſu, inquit Caſaubonus, ajo libenter atque confirmo *Regulos fuiſſe & Toparchas*. Ut enim narrat Strabo, tunc quamplurimi id genus Reges erant in Perſia, proximiſque Provinciis, itemque in Media, atque in Aſſyria. Magos etiam Regulos fuiſſe evincere poſſumus exemplo Regis Adiabenis, quæ regio erat antiquæ Aſſyriæ, a Strabone ſimpliciter appellata ἔθνος. Joſephus ad extremum meminit Regis Monobaſiæ, ejusque Matris *Helenes*, nec non alterius Regis, nomine *Regis Caſtri*.

Richard. Montac. ubi ſupra. Caſaub. exerc. 2. in Bar. §. 10.

§. 20. c. 2.

Quare divinæ Litteræ eos Reges minime appelleat? *Tobiæ 2. 15.*

Verum enim vero ſi Reges erant, cur eos Evangeliſta non vocat nomine iſto? Cui reſpondeas licet. 1. Propterea factum eſſe, quod Reguli duntaxat fuerint. 2. Scripturam interdum regios titulos omittere. Tres nanque amici Jobi, ut eſt apud Tobiam, Jobuſque ipſe, ut multis placet, Reges erant, neutiquam tamen Sacra Biblia in hiſtoria Jobi illos hoc nomine ſignant. Tandem addere fortaſſe quis poſſet, regiam Principum terrenorum dignitatem coram cœleſti Rege evanuiſſe.

ARTICULUS III.

Quo tempore Magi, puerum Jeſum adoraturi, Bethleemum adventarint.

Tempus hoc valde incertum eſt.

INitio illud profiteri neceſſe eſt, quæſtionem hanc difficillimos explicatus habere; quoniam omnia, quibus eam fulcire poſſumus, fundamenta longe incertiſſima ſunt. Ut nanque diem ſtatueremus, quo Magi Bethleemum pervenerunt, noviſſe oporteret, quando nam ipſis ſtella ſe dederit conſpiciendam; num regio, unde diſceſſerunt, longius diſtaret; & quantum eo in itinere temporis inſumſerint: atqui ſuper his omnibus nihil eſt, quod liqueat.

Quidam pro certo habent, ſtellam ipſis ante oculos obverſatam fuiſſe duobus ante Nativitatem Domini annis *. Alii Phænomenon iſtud appa-

* Autor ſerm. 131. in Epiph. append. Tom. 5. S. Auguſtin. Bolandus April. | Tomo 1. pag. 8.

rere

rere cæpiſſe tempore Conceptionis Jeſu Chriſti, aut S. Joannis Baptiſtæ. Ceteri denique ortum ſtellæ cum Filii Dei Nativitatis momento conjungunt. Diſcrepant multo magis Scriptores de Magorum regione, ut ſuperius animadverſum eſt. Quæ opinionum de Magorum Patria varietas maxime ponit in ambiguo, quantum temporis ad illud iter conficiendum contulerint. Atque hinc quidam volunt, duos annos illi impendiſſe *, alii annum totum, tredecim diebus adjectis. Nonnullos reperias, qui eos autumant acceſſiſſe menſe circiter, poſtquam Chriſtus natus fuerat, expleto; interim dum cenſent alii, non adventaſſe, niſi poſt Purificationem, paullo ante fugam in Ægyptum.

Montacut. Orig. Eccleſ. Tomo 1. p. 154.

Cum vero nihil definitum in Evangelio ſit de tempore adventus Magorum, neque ipſi Eccleſiæ Patres quidpiam ſtatuerunt. S. Auguſtinus, loquens de tribus ſolemnitatibus, quarum octavo Idus Januarii memoria colitur, ſatis habet, ubi dixerit: *In omnibus tamen Dei Filius creditur, in omnibus Feſtivitas eſt vera. Sed quid potiſſimum*, ait Sanctus Maximus Taurinenſis, *præſenti hoc factum ſit die, noverit ipſe qui fecit.* S. Paulinus quoque compertum habet, neminem id ſcire poſſe; neque ullus, quem viderim, Patrum eſt, qui tempus hoc circumſcripte ſignaverit.

Quid ſenſerint Patres de adventu Magorum.

Aug. ſerm. 27. de Temp Max ſermon de Epiph Paulinus carm. 24.

Ego vero minime laboro, ut pleraſque a nobis allatas Veterum opiniones oppugnem; patronos etenim ætate noſtra non habent. Itemque animus non eſt, eruditis noſtrorum temporum Criticis refragari, qui Magorum adventum colloceant poſt Purificationem. Doctiſſimus Calmetus Magos ad Præſepe perveniſſe affirmat circa menſem ab ortu Jeſu Chriſti; Dupinus ſub finem menſis Januarii; Toinardus Kalendis Februarii; Tillemontius & Bailletus poſt Purificationem **. Res quidem poſtulat, ut fateamur, argumenta Scriptorum iſtorum præſtantium vi ſua non carere, neque contemtui habenda eſſe. Nihilo ſecius moleſte non ferant, me pro inſtituti mei ratione operam dare, ut tuear, Magos eo adventaſſe die, quo Feſtum colitur ab Eccleſia.

Opiniones Eruditorum.

Sententia hæc ſine ulla dubitatione æquiſſima videbitur attendenti, eam inniti Traditioni Eccleſiæ; quæ nihil complectitur, quod cum Hiſtoriæ veritate pugnet, & robur habet ad illas diſſolvendas rationes, quæ adverſus priſcam hanc urgentur opinionem. In anteactis monuimus, ſecundum Traditionem a multis Patribus acceptam, adventum Magorum, Jeſu Chriſti Baptiſma, & Canæ miraculum eodem die contigiſſe. Porro vetuſta Eccleſiæ Traditio habet, Jeſum Chriſtum baptiſmate ablutum VIII.

In Traditionis documento Magi pervenerunt Bethleemum octavo Idus Januarii.

* Epiphanius Her. 52. Euſebius in Chronico.

** Calmetus *Comm. in cap. 2. Matt.* Dupinus *in Hiſt. Eccl. Tom. 1.* Toinardus *in Harmonia Evang.* Tillem. *notat. 9. in Jeſu Chriſt.* Baill. *in Vitis Sanct. 6. Januar.*

Idus Januarii, quod teſtatur Baronius *. Ajo itaque, ſimillimum veri eſſe, Magos Stellam intuitos fuiſſe, eum primum Chriſtus natus eſt; continuo iter ingreſſos, ut illum adoratum venirent; viam hanc emenſos tredecim dierum ſpatio, tandemque Bethleemum adveniſſe eodem, quo ab Eccleſia ſolemnitatis hujus memoria celebratur, die, nimirum ſexto Januarii.

Hæc omnia apprime concinunt inter ſe, ſi ponamus Magos e Pathuræ finitimis locis, ſed præſertim ex Arabia diſceſſiſſe, quæ proxima eſt Iudeæ, ut Baronius Patrum ſultus teſtimonio conſtanter aſſeruit **; atque ut celerius iter peragerent, Dromedarios adhibuiſſe, qui citiſſimo curſu gradiuntur, & communia regionum illarum jumenta ſunt.

Baron. ad ann. 2. num. 25.

Præclari quidem Critici noſtri non diſſentiunt, Eccleſiam præſtituiſſe Feſto Epiphaniæ ſextam Ianuarii diem. „ Quod eſt Eccleſiæ Latinæ, ait „ Tillemontius, certum eſt, a V. ſaltem ſæculo deinceps honore coluiſſe „ poſtridie Nonas Januarii Magorum adorationem exhibitam Chriſto Jeſu. „ Ac ſi audimus Bailletum, multo antiquior eſt ſolemnitas iſta; fateri nanque non dubitat, „ quoad Latinos nullum eſſe qualibet Eccleſiæ ætate tempus, quo dici poſſit, eos adorationem hanc recoluiſſe alio die, præterquam ſexto Januarii. „ Cumque ſolemniſſimum fuerit Feſtum iſtud, ſatis ſimile vero ſit, Eccleſiam, ut illius memoriam ſervaret, eodem die celebraſſe, quo per Traditionem didicerat, Magos ad Præſepe Bethleemiticum adventaſſe.

Calmetus ubi ſupra. Tillem. notat 9. in Jeſ. Chriſtum.

Baill. in Vitis Sanct. 6. Jan.

Quod ſi non ſuppetit nobis argumentum ullum apertum, vel Antiquorum teſtimonium, quo oſtendamus, Eccleſiam deſſignaſſe honorem habendum adorationi Magorum eo, quo illue appropinquarunt, die, ſcilicet ſexto Januari; nullum tamen contra præſto erit, quod nobis perſuadere poſſit, Eccleſiam id Feſtum inſtituiſſe alio die, quam illo, quo magi ad Jeſum Chriſtum adorandum ſe contulerunt. Immo ex adverſo eſt, cur credamus, eam ab uſitato more ſuo non defeciſſe, colendi videlicet Feſta iiſdem diebus, in quos concurrunt myſteria; niſi ſi intercedat ſingularis aliqua ratio, ſive neceſſitas, qua ad illa in alium diem transferenda moveatur. Porro Eccleſiæ nulla fuit ratio, quare Epiphaniæ ſolemnitatem vel anticiparet, vel retroageret.

Nihil eſt quod obſit Traditio. ni huic.

Hanc unam ſibi pretexere potuit Eccleſia idoneam cauſam, ut Feſtum

* *Quod vero ad menſem, & diem, quibus baptizatus eſt Chriſtus, ſpectat, id factum eſſe ſexta Januarii, ex communi & antiqua Traditione Euſebius Pamphili ac Marinum ſcribens teſtatur. Confirmat hoc ipſum Hieronymus, ac denique omnes Scriptores Eccleſiaſtici, uno duntaxat excepto Epiphanio.* Bar. ad ann. 31. num. 18.

** *Magi profecti ab Arabia illum adorarunt.* Juſt in Dial cum Triph. Tertull. *contra Judæos* S. Cyprianus, Epiphan. & alii.

iſtud

iſtud non celebraret ſub finem menſis Januarii, vel poſt Purificationem, poſito quod Magi eo tempore accesſerint: ſcilicet, quia congruum non fuiſſet, Adorationem Magorum, quæ Nativitatis Filii Dei conſecutio quædam eſt, vel altera nativitas, vel demum, ſecundum dicta Patrum, perfecta ejuſdem manifeſtatio, incepta, ſtatim ac ortus fuit, in ipſa adoratione Paſtorum; congruum, inquam, non fuiſſet, duas haſce ſolemnitates invicem diſiungere, quæ ſimul atque tempus inter ipſas fluens, unum dumtaxat Feſtum habebantur. Gaudia nanque diei Natalis Domini olim ad uſque Epiphaniæ diem producebantur; & propterea a Græcis dicuntur *Dodecameron*, quod duodecim dierum intervallo claudantur, in quibus nullum jejunium erat, ne ipſa quidem a carnibus abſtinentia diebus Mercurii & Veneris. Concilia nos admonent, quotquot inter Natale Domini atque Epiphaniam elabuntur, totidem feſtos dies eſſe. Conſtitutiones tandem Imperatorum indicant nobis, a viceſimo Decembris die ad ſextum Januarii unicum Feſtum fuiſſe, quo forenſia negotia interquieſcebant, honoris & cultus cauſſa erga Nativitatem Domini ejuſque Baptiſma, quibus veluti finibus circumſcribebatur. *Concil. Turon. 2, cap. 16.*

Jam vero ſi ratio hæc Feſta copulandi alicujus momenti eſſet, oporteret pariter propius admovere Feſtum Nativitatis Salvatoris, atque Annunciationis Mariæ; Ortum illius, & Deiparæ Purificationem; Conceptionem & Partum iſtius: omnes nanque celebritates iſtæ majorem vicisſim cognationem habent, atque habeat Jeſu Chriſti Nativitas cum Epiphania. Attamen Eccleſia viam hanc & rationem minime ſervavit; quoniam, uti optime animadvertit S. Leo Papa, diſſerens de Feſtorum diſtinctione, hæc celebranda ſunt eo tempore, quo geſta myſteria fuere: niſi ſi ulla occurrat convenientiæ ratio, quæ ad ordinem iſtum invertendum Eccleſiam cogat, ut ſubinde dicemus. *S. Leo Epiſt. 16, alias 4. c. 6.*

Aliud, quo fidimus, fundamentum, ut Magorum adventum octavo Idus Januarii contigiſſe arbitremur, eſt, Epocham iſtam nullum in ſeſe adjunctum continere, quod perfecte Evangelio atque Hiſtoriæ non concinat. Divus Matthæus tradit, Magos ab Oriente veniſſe, ubi Stellam viderant; aurumque & Thus & Myrrham obtuliſſe. Eruditi, in Patrum veſtigiis hærentes, * affirmant, Magos Balaami ſucceſſores fuiſſe, qui Meſſiæ adventum, Stellæ Orientis ſigno notatum, ipſis ediſſeruerat; Magoſque ex eadem, ac Propheta iſte, regione fuiſſe. Porro nemo eſt, qui ambigat, Balaamum ex Arabia deſerta fuiſſe, vel illi finitimum; quan- *Matt. 2. 1)*

* *De Balaam, fertur Magorum gens & inſtitutis in partibus Orientis vigere; qui deſcripta habentes apud ſe omnia, quæ Balaam prophetaverat, etiam hoc habuerunt ſcriptis mandatum, quod orietur ſtella de Jacob.* Orig. hom. 13. in in Num. Tertull. & alii apud Barrad. in Comm.

Tertull. contra Judæi.

doquidem Balaccus, Rex Moabitarum, Proceres ſuos ad eum miſit exorandum; ut in caſtra veniens, dira mala populo Iſraeli precaretur. Demum convenit inter omnes, Arabiam cujuſvis generis aromatibus affluere, quod cecinit Poeta quidam: *Mittunt ſua thura Sabæi* *; atque Arabiam Deſertam ad Judeæ Orientem poſitam eſſe: multis etenim locis Scriptura declarat, Arabiam Paleſtinæ Orientalem eſſe.

Quibus animadverſis; non multi operis eſt cognoſcere, ubi Magorum adventum poſtridie Nonas Januarii collocaverimus, egregie omnia cum Evangelio atque Hiſtoria conſtare. Pone itaque, Sydere illo primum exorto nocte dici 24. aut 25. Decembris, Magos non potuiſſe in unum convenire locum, ut Judeæ iter ingrederentur, antequam ſibi mutuo aperirent cogitata ſua de illo Phænomeno, & præſtitutum diſceſſui diem condicerent. Quæ omnia peragere, ut ſunt humana, non potuerunt, niſi trium aut quatuor a viſa Stella dierum ſpatio.

Componitur Hiſtoria cum Evangelio.

Pro explorato quoque habeamus, Herodem aliquandiu eos progreſſu arcuiſſe, ut percontaretur de loco Nativitatis Meſſiæ, & Pontifices Doctoreſque conſuleret. Hinc tamen percipias licet, quomodo Magi commode potuerint Bethleemum adventare octavo Idus Januarii; quandoquidem diſceſſerant ex Arabia Felice, aut circumjectis locis, quæ ab Hieroſolymis non abeſt niſi ad novem vel decem dierum via. Quod evidens adeo eſt, ut Scriptores, qui communem opinionem rejiciunt, non quidem ab ea defecerint propter difficultatem perveniendi die tertiodecimo ex Arabia Hieroſolymam, ſed ob alia, quæ impoſterum dabimus.

Incommodatis obvia, qui Eccleſiæ Traditionem non amplectuntur.

Antequam §. hujus finem facio, illud pariter animadverto, eos qui Magos ex Arabia, Chaldæa, vel Meſopotamia profectos fuiſſe tradunt, eorumque adventum ad finem uſque Januarii menſis retrahunt, illum ſine ulla neceſſitate plus ſatis diſtuliſſe, quoniam breviore tempore iter confici poteſt. Tametſi vero, qui Magos e Perſide deducunt, ipſorum adventum ſtatim a Purificatione ſtatuant; id tamen non prohibet, quominus in majora incurrant abſurda, quam qui ſunt a Traditione Eccleſiæ. Præterquamquod enim diſcrimen ſubibant Magi non inveniendi puerum recens natum, impedimenta inſuper multa eluctari debebant in tam longo itinere; ac ſi, quod vulgo creditur, disjunctarum ditionum Reguli erant, tunc diutius in his immorati eſſent, quippe ad quingentas leucas, difficillimum ſane creditu, emetiri debebant. Denique ſententia

* Duabus Provinciis nomen eſt *Saba*; alia eſt in Æthiopia Africæ; unde Regina Saba viſitatum venit Salomonem: alia in Arabia Felice, ita, ut ſpecies eſt, appellata a Saba, Nepote Abrahami & Cethuræ.

hæc

hæc abhorret admodum a Traditione Eccleſiæ docentis, Magorum adorationem, Jeſu Chriſti Baptiſma, & Canæ Nuptiarum prodigium in Januarii Menſem incurrere *. Atque adeo eos, qui adventum Magorum ad exitum Menſis Januarii differunt, adoriri neceſſe eſt Traditionem univerſam, quæ, uti animadvertimus, Baptiſma Jeſu Chriſti octavo Idus Januarii præfinit.

ARTICULUS IV.

De medio tolluntur ea, quæ afferri ſolent contra adventum Magorum die VI. Januarii.

Argumentum primum.

COntendunt primo, accedere magis ad naturam rei, ſi acceſſum Magorum poſt Purificationem ſtatuamus, proxime ante receſſum in Ægyptum; quoniam id innuere videtur S. Matthæus, cum dicit: *Qui cum receſſiſſent* (Magi), *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Quæ verba ſatis indicant inter Magorum redditum, atque in Ægyptum fugam, ex Evangelio nullum temporis ſpatium interceſſiſſe; cum tamen ſi Magi illuc appropinquaverint poſtridie Nonas Januarii, Angelus, ut apparet, Joſepho juſſiſſet, ut fugam in Ægyptum iniret ante Purificationem, quod tueri nemo poterit.

Tillem. Bailletus ubi ſupra.

Matth. 2. 13.

Ut autem nodum hunc difficilem expediamus, ſtatuendum eſt cum D. Auguſtino, illud eſſe Evangeliſtis familiare, ut ſic contexant narrationem ſuam, *tanquam nihil prætermittentis ſeries digeſta videatur*: quoties lubet ipſis omittere, quæ interjecta ſunt.

Aug. de conſenſu Evangel. l. 2. c. 4.

Cujus rei extat exemplum apud Lucam perſpicuum, qui ait: *Ut perfecerunt omnia ſecundum Legem Domini* (utique in Purificatione) *reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth*; ne verbo quidem de fuga in Ægyptum facto. Nihil itaque mirum, Magos ad Præſepe ſexta Januarii die adveniſſe; quanquam Matthæus de Angelo, fugam in Ægyptum Joſepho jubente, non vero de Maria ſe purificante meminerit.

Luca 2. 39.

* *Eo Menſe, qui apud Romanos Januarius nuncupatur, Baptiſmum Domini factum eſſe cognovimus, qui eſt menſis quartus ab novo anno juxta ſupputationem Hebræorum.* Orig. Hom. in Ezech. *Dominus ad Baptiſma venit in quarto Menſe, qui apud nos vocatur Januarius, & eſt in anni primus exordio.* Hieron. ad eundem Ezech. locum. *S. Gregorius Nazianz. Orat. 39. in Sancta Lumina.*

Ob-

Alterum argumentum, Objiciunt rursus, patere sensibus, nihil reperiri in universa Orientis Ecclesia, quod fidem facere possit, Magos iter suum absolvisse postridie

Tillem. ibidem. Nonas Januarii. Dies hic, inquiunt, primitus in Oriente sacer erat Ortui Jesu Christi, cui Græci addiderunt aliorum mysteriorum memoriam, uti Baptismatis, & Canæ Miraculi; atque adeo nunc hoc ipso die nullum aliud recolunt Festum præter Baptisma.

Ajo itaque 1. Ecclesiæ Orientalis silentium de Magorum adventu VIII. idus Januarii, utut demum Ecclesiæ Latinæ Traditionem imminuat, illam tamen minime exterminare. 2. Verum esse, Græcos in quibusdam peculiaribus Ecclesiis, & paulisper Jesu Christi Nativitatem cum Magorum adoratione celebrasse; sed mox ad Latinorum consuetudinem reversi sunt. 3. Quando Græci Nativitatem Jesu Christi sexta Januarii die coluerunt, propterea fuit, quod Epiphania ejus manifestatio sit; & ex more Scripturarum sæpe res tunc esse incipiunt, cum cognoscuntur. Quod si nunc Græci Magorum Festum honore prosequuntur Nativitati Jesu Christi communi octavo Kalendas Januarii, in causa est, eos attendisse animo, Epiphaniam nihil esse, nisi Nativitatis consecutionem; & præstare, minorem diem Festum ad præcipuum redigere. Porro mos hic nihil omnino violat Traditionem communem, quæ Magorum adventum locat VI. die Januarii. Quemadmodum etenim nullus Græcorum Patrum est, qui Jesum Christum in lucem editum scripserit postridie Nonas Januarii, neque Magos octavo Kalendas ejusdem mensis ad præsepe perveniisse, fit inde manifesto, si Græci olim Nativitatem octavo Idus Januarii commemorarunt; atque ad hæc tempora Magorum adorationem octavo Kalendas Januarii solemnem habent, ideireo factum esse, quia Festum unius Mysterii ad proprium alterius diem transtulerunt. Quamobrem translatio Nativitatis in diem Epiphaniæ, quæ aliquandiu servata fuit, non obest, quin Epiphania acciderit sexto Januarii die; neque conjunctio Epiphaniæ cum Nativitate, quin hæc occurrerit quinto & vicesimo Decembris.

Argumentum tertium, Volunt etiam, Ecclesiam non dijudicare, utrum nec ne gestum eo die sit, quoties Mysterii alicujus solemnitati proprium præstituit. „ Immo

Tillem. notat. 9. in Jes. Christ. „ dictu proclive est, inquit Tillemontius, Ecclesiam celebrasse Mysterium istud postridie Nonas Januarii; quin reputaret, num in eundem „ diem revera incidere. „

En quam sibi obtendant causam præstantes Critici nostri, ut a sententia communi discedant: at vero promptum est, eam ipsis subducere. Initio fatemur, nunquam stetisse Ecclesiæ, nobis veluti fidei caput credendum, proponere, Mysteria iis contigisse diebus, quibus eorum recolit solemnitatem. Nihilo tamen minus omnem veritatis

spe-

ſpeciem habet, id inſtitutum ſervaſſe, quoties Myſteria ad aliam diem non traduxit; vel unum alteri, in die ſuo celebrando, non adjecit; vel illorum poſitio mobilis non ſit atque incerta. Propterea non ſequitur, Viſitationem Mariæ poſtridie Kalendas Julii, & nato jam Joanne, accidiſſe, quod ejus Feſtum illi diei præſcriptum ſit ab Eccleſia; neque Paſcha & Pentecoſten, quæ Feſta Mobilia ſunt, celebrata eo die fuiſſe, in quem incidunt quoque anno. Verum regula iſta non poteſt ad Feſta & Myſteria cuncta referri. Conſtans nanque Traditio eſt, Jeſum Chriſtum in hanc vitam intraſſe octavo Kalendas Januarii, quo die celebritatem eandem Eccleſia commemorat. Cum itaque Epiphaniam tam proxime Nativitati collocaverit, non longe a vero abeſt, perſuaſum ipſi fuiſſe, eum revera proprium illius eſſe diem; neque oſtendere poſſet quis, eam falli. Porro ſatis habere, cum ſcripſerit: *Dictu proclive eſſe, id preſtitiſſe Eccleſiam, quin reputaret, num in eundem diem revera incederet*, non eſt hominis probabile argumentum adducentis, vel dignum Eccleſiæ obſequium exhibentis.

Quartum argumentum.

Qui propugnant, Magos expleta Purificatione ad Præſepe adventaſſe, aliud contra dicunt, quod rationi videtur maxime conſentaneum. Qui nanque fieri poteſt, ajunt, integrum pene menſem evolviſſe, antequam Herodes ſciſcitaretur, quid Magis illis factum fuerit, & deprehenderet, ſe ab illis deceptum? præſertim autem ſi illud perpendas, nullum extitiſſe Principem Herode ſuſpicioſiorem, aut vehementiorem, vel avidiorem, ut ad ſuos filios dignitas, quam ipſe acquiſierat, deſcenderet.

Reſponſum e S. Auguſtino depromptum.

Difficultas hæc non prohibuit, quin Auguſtinus ea mente eſſet, ut crederet, Magos Bethleemum ante Purificationem perveniſſe, idemque iis, quæ in hanc ſententiam urgeri ſolent, reſponderet *. Præterea ſi creditu difficile eſt, Herodem tandiu non laboraſſe de geſtis circa Magos; id revera factum eſt, quod putaverit, Magos pudore correptos ob allucinationem ſuam, in patriam remigraſſe. Denique ſi ne colorem quidem æqui boni habet, Herodem tranquillo animo fuiſſe, poſtquam a Magis certior factus eſt de Meſſiæ Nativitate, quam Stellæ exortu confirmaverant, non eſt perſuaſu difficile minus ex opinione adverſariorum, qui fieri potuerit, ut Mira facta in Purificatione conſpecta; teſtimonium Annæ vatis, *quæ loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptio-*

Poſtremum argumentum.

Luca 2.

* *Omitto dicere, quot & quantis occupationibus regia cura diſtendi potuit, & per plurimos dies ab illa intentione vel averti omnino, vel impediri. Illud dico, poſtea quam nihil Herodi Magi renunciaverunt, eum credere potuiſſe, illos fallaci Stellæ viſione deceptos, poſteaquam non invenerunt, quem natum putaverant, erubuiſſe ad ſe redire, atque ita cum timore depulſo, ab inquirendo ac perſequendo puero quieviſſe. Deinde vulgatis rebus, quæ in Templo facta dictaque fuerant, Herodes ſe a Magis ſenſiſſe illuſum, ac deinde ad Chriſti mortem cupiens pervenire, multos infantes, ſicut Matthæus narrat, occidit.* Aug. l. 2. de Conſenſu Evang. cap. 11.

nem

nem Iſrael; quod a Simeone ſene coram frequenti populo geſtum fuit; res tam raræ atque inuſitatæ obrutæ ſilentio ſint, atque in Urbem atque Aulam haud manaverit magnus hic de Meſſia recens exorto nuncius?

Refellitur. Quare igitur Herodem terror non circumvaſit, ſed æque ac prius imperterritus manſit? Nunquid ut commoveatur, ut Sanhedrium cogat, atque ubi Chriſtus naſceretur, inquirat, præſtolatur, Magos Hieroſolymam accedere de illo rogitantes? Hæc omnia fidem ſuperare videntur, non ſecus atque Herodem haud neſcium eorum, quæ in Templo contigerant, non fuiſſe ſollicitum, ut in Magorum veſtigiis mitteret exploratores, vel ſeſe illis in re tam gravi comitem adjungeret.

Quibus poſitis, non minoris negotii eſt, in ſententia illorum, qui Magorum cultum poſt Purificationem producunt, ac ſit in aliorum, qui vetuſtam Traditionem tuentur, incommodis occurrere, quæ de agendi ratione Herodis emergunt, ſive Magos ante, ſive poſt Purificationem appropinquaſſe dicamus.

Habes, quæ urgeant majoris momenti in communem opinionem de Magorum adventu octavo Idus Januarii. Traditio Eccleſiæ, Feſtum hoc eo die recolentis, firmiter effieit, Factum iſtud ſimillimum veri eſſe. Denique cum hæc ſententia nihil afferat, quod Evangelio repugnet, aut diſcrepet ab Hiſtoria, ratum & conſtans habeo, conferenti utriuſque opinionis fundamenta, & difficultates, quibus premuntur, expendenti perſpectum iri, placitum commune alio, quod ipſi adverſatur, eſſe probabilius.

ARTICULUS V.

Utrum Magi, Jeſum Chriſtum adorantes, ejus Divinitatem cognoverint.

§. I.

Quæſtionis hujus argumentum.

Novum Teſtamentum editum Trevoltii. ANno 1702. typis Trevoltienſibus prodiit in lucem Verſio quædam Novi Teſtamenti. Varia plane de illa fuerunt hominum judicia. Nonnulli eam ſummis laudibus honeſtarunt, alii erroris inſimularunt. Cardinalis de Noailles cautum eſſe voluit, ne legeretur in ſua Diœceſi, Decreto ſuo 15. Septembris 1702. Eandem pariter interdixit

xit in Diœceſi ſua Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis, Decreto tertio Kal. Octobris anni 1702. ſignato, in quo Documenta contra Opus iſtud promittit. Horum primum, quod prodiit anno 1702. generales in Opus animadverſiones complectitur, peculiares in Proemium, atque additamentum quoddam in ſupplicem Libellum Apologeticum, quem Cardinali de Noailles Autor obtulit, & ſubſcriptus eſt a Simonio, datuſque quarto Idus Octobris 1702. Documentum aliud Epiſcopi Meldenſis vulgatum fuit anno 1703. Tandem Novum Teſtamentum, Trevoltii exeuſum, Romano Edicto damnatum eſt quinto Idus Martii anno 1704. Artiſtites clari illud condemnant.

Autor Bibliothecæ Criticæ editæ Baſileæ anno 1709. in ea poſuit Diſſertationem Criticam ſuper Adoratione Magorum, in qua revocat ad judicium, an Divinitatem Jeſu Chriſti cognoverint. Additur, Diſſertationem hanc conſectam ſine ulla dubitatione a quodam Simonii amico fuiſſe ex Reſponſis, quæ dederat Ille adnotationibus Ill. Epiſcopi Meldenſis, atque ex illis pene totidem verbis depromptam. Qua de re Diſſertationem hanc aperte Simonio adjudicabimus. *Bibl. Crit. Tom 2. c. 8. Gall.*

Aggreditur doctus iſte Criticus ad reponendum argumentis objectis a Boſſueto ſuper nonnullis Enunciationibus, reprehenſis in Documento ſuo primo, quæ reperiuntur in Proemio & Verſione Novi Teſtamenti Trevoltienſis, in quibus Simonius de Magorum adoratione diſſerens, ita habet: *Non convenit inter Theologos, de qua ſermo ſit adoratione in quibuſdam Evangelii locis; ſique vera illa ſit, quæ uni Deo debetur, an vero ſimplex reverentia, adhibita adverſus eos, quibus ſalutem dicimus.* Quam ambiguitatem, inquit magnus Antiſtes iſte, ad Jeſum Chriſtum ipſum protulit his verbis: „ Non deſunt Interpretes vetuſtiſſimi, qui „ credant, Magos non modo tanquam Regem puerum Jeſum ſalutaſſe, „ ſed etiam tanquam Deum adoraſſe, „ Ab eadem non recedit adnotatione in 2. Matthæi caput 2., atque in ſuſpenſo relinquit, quam Jeſu Chriſto Magi adorationem præſtiterint. Deinceps videbimus alia Simonii dicta, quibus ſatis perſpicue declarat, ſe non credidiſſe, Magis Divinitatem Jeſu Chriſti cognitam fuiſſe atque exploratam; quamquam omni probabilitate non careat, Divinum illi honorem tribuiſſe. *Simonius in Proem pag. 35. Docum. 1. pag. 98. Ibidem pag. 99*

Tametſi vero quæſtio hæc Theologiam attingat, & de Traditione agamus in præſens, quæ alterius longe ab aliis generis eſt huic Tractatui propoſitis; nihiloſecius cum hæc in rem meam ſponte ſua incurrat, nemo ægre ferat, me in id contendere vires, ut ſecundum priſcam Eccleſiæ Traditionem tuear, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum cognoviſſe atque adoraſſe.

Quare citra quam nos concertationibus Præſuli huic erudito, & perdocto huic Critico propriis admiſceamus, id ſuſcipimus, ut gravem hanc Propoſitum Autoris de re hac.

Traditionem Scriptorum Eccleſiaſticorum verbis, Theologiæ principiis, Eccleſiæ precibus, ipſiuſque Critices præceptis confirmemus. Spero autem fore, ut non modo argumenta mea leve auferant Socinianis, quod jactare poſſent, adjumentum: nonnullos videlicet Catholicos Theologos ancipites fuiſſe, num Magi in Chriſto Jeſu Divinitatem agnoverint; verum etiam, quamvis non præſto eſſent ſexcenta Scripturarum loca pro Catholica hac veritate, divinus a Magis Jesu Chriſto redditus cultus convincere poſſit, eum Deum hominemque fuiſſe. In ſequenti vero articulo oſtendere pergam, quam futiles ſint a Simonio adhibitæ rationes, ut aliquam ſententiæ ſuæ veritatis ſpeciem præberet, quæ ſane doctrinam affert, nunquam fortaſſe ſatis ab acerrima reprehenſione munitam, & luctuoſiſſimis forſitan conſecutionibus affectam.

§. II.

Patrum Eccleſiaſticorum teſtimonia probant, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum adoraſſe.

Duplex adorationis genus.

QUidquid exterius fecerunt Magi, interpretari quis poterat cultum officiorum, honoremque mortali Regi præſtitum ſecundum Orientis conſuetudinem, cujus incolæ obſequium teſtantur Regibus ſuis in humum pronum corpus abjicientes, & vaeui muneribus coram illis non adſtantes. Fateri igitur neceſſe eſt, una duntaxat interioris animi obſervantia eos Puerum tanquam Deum cognoviſſe atque adoraſſe. Quod conſtanti ſæculorum omnium Traditione poſſumus roborare.

Juſt. in Dial. cum Triph. Adoratio Magorum Traditione firmatur.

Sanctus Juſtinus, qui vetuſtiſſimos inter Eccleſiæ Patres cenſendus eſt, conceptis verbis affirmat, Magos ad Præſepe accedentes, e tenebris Idololatriæ in veri Dei lucem vocatos fuiſſe: *Ad veri Dei cognitionem pervenerunt*. S. Irenæus ejuſdem ſæculi Scriptor, Matthæi Evangelium in medium proferens, melius etiam ſuper hac re aſſerit mentem ſuam. Magi, inquit Pater iſte, *deducti a Stella in domum Jacob ad Emmanuel per ea, quæ obtulerunt, munera oſtenderunt, quis erat qui adorabatur: Myrrham quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali humanoque genere moreretur & ſepeliretur: aurum vero, quoniam Rex, cujus Regni finis non eſt: Thus vero, quoniam Deus, qui & notus in Judæa factus eſt, & manifeſtus eis, qui non quærebant eum.*

S. Irenæus l. 3. c. 10.

Nonnulli Patres opinati ſunt, Magos Balaami ſucceſſores fuiſſe, & vaticinium ejus de Stella Jacobi, quæ ſuper Iſraele oriri debebat, in populorum animis inſediſſe. Ita ut, inquit Origenes, cum apparuiſſet ſydus hoc, de quo Propheta, *conjecerunt, eum, qui cum ſtella prænunciatus eſt, hominem in vita adveniſſe; conceptaque opinione de illo, potentiorem eſſe omnibus Dæmoniis, ac ſpectris familiaribus, decreverunt eum adorare.*

Num 24. 17.

Origenes l. 1. contra Celſum. Gregor. Niſſ. Orat. de Chriſti Nativ.

Ete-

Etenim ad locum ſtella perveniens, ait D. Joannes Chryſoſtomus, *ſuper ipſum Pueriſtetiæ caput, oſtendens profecto Dei Filium eſſe qui natus eſt, eodemque lumine illorum mentibus effulgente, non tamquam homini tantum, ſed etiam tanquam Deo authori omnium ſupplicarunt bonorum.* Joannes Chriſoſt. in Matth. hom. 7 & 8.

Idem Doctor notionem animi ſuam ſuper hoc capite evolvit clarius, cum dicit, neceſſum eſſe, Magos non latuiſſe Infantis illius Divinitatem, quem venerant quæſitum; quandoquidem non eos avertit aut offendit ſpecies illa rerum exterior, quæ communibus Regum noſtrorum indiciis nullo modo reſpondebat. *Nata neque Virgo ipſa erat nobilis*, addit Pater iſte, *nec domus in qua habitabat illuſtris; nec quidquam ex his omnibus, quæ videbantur, ejuſmodi erat, quod Magis admirationem faceret, eoſque ad Puerum alliceret adorandum.* Chryſ. ibidem.

Magi ingreſſi ſunt domum, ſuper quam conſiſtere Stellam viderunt, atque *invento Puero cum Maria Matre ejus, procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Quæ dona, ſimul atque cultus adorationis ipſi redditus, minus homini quam Deo congruunt. Græcorum & Latinorum Patrum ſapientiſſimi animadverterunt, munera hæc Divinitatem, regiam dignitatem, humanitatemque in Jeſu Chriſto deſignaſſe. Venerunt igitur *in Judæam*, ait Origenes, *docti jam natum eſſe Regem quendam..... ferentes dona..... aurum in ſignum poteſtatis regiæ; ut morituro myrrham; ut Deo thus.* Magi offerunt aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. Quid Munera hæc ſignificent apud Patres. Orig. contra Celſum.

S. Gregorius Nazianzenus, ne alios exequar Patres Græcos eadem ſentientes, ita loquitur: *Cum Stella curre; cum Magis dona offer, aurum, thus, & myrrham, ut Regi, ut Deo, & ut ſalutis tuæ cauſſa mortuo.* Greg. Nazianz. Orat. 38. Irenæus l. 3. c. 10. Baſilius de hum. Chr. generatione.

Hiſtoricus quidam tradit, ad Magorum exemplum Reges noſtros offere ſolitos ad Altare in die Epiphaniæ aurum, thus, & myrrham. Audi quonam geſta fuerit pacto hæc ceremonia anno 1378. „ Si fut l'offrande du Roi, telle qu' il enſuit: Trois Chevaliers, ſes Chambellans, „ tenoient hautement trois couppes dorées & emaillées: En l'une etoit „ l'or, en l'autre l'encens, e l'autre du mirrhe, & allerent tous trois „ par l'ordre, comme l' offrande devoit etre baillée devant le Roi, & „ le Roi apres, les quels s'agenouillerent, & il s'agenouilla devant l' „ Archeveque. Et la premiere Offrande, qui de l'or fut, bailla celui qui „ la portoit, & baiſa la main: La ſeconde, qui etoit de l'encens, bailla „ le ſecond Chevalier, qui la tenoit, au premier, & il la bailla au Roi, „ & il l'offrit, en baiſant la main de l'Archeveque: & la troiſieme qui „ eſt de mirrhe, bailla le troiſieme Chevalier, qui la tenoit, au ſecond, „ e le ſecond au premier, & le premier la bailla au Roi, le quel en baiſant la main du dit Archeveque tiercement offrit. „ Gregorius Leti eandem ferme conſuetudinem fuiſſe narrat Anglorum Regibus. „ In Gallarum Reges in die Epiphaniæ tria munera offerebant. Continuat. Guill. Nangii ad annum 1378. Greg. Leti in Theatro Britt. p. 2. l. 3. pag. 209. Italice.

„ die Epiphaniæ, inquit, Rex offert tria marſupia in Lance, quo„ rum alterum aurum continet, aliud myrrham, tertium thus. „ Quod inſtitutum ita vetuſtum eſt, atque Periſcelidis æqueſter Ordo; Rexque magna Ordinis illius Torque ornatus, ſe ſiſtit altari.

Senſa Patrum Latinorum de muneribus Magorum. *In comm. ad 2. Lucæ item de Fide ad Grat. l. 2. c. 2.*

Equidem non id aggredior, ut ſingula Patrum Latinorum loca, in quibus idem de Magorum muneribus myſterium reſeratum eſt, ſuſe recitem; ſed contentus ero, quoſdam * citare, atque addere cum Divo Ambroſio, Magos Chriſtum adorantes, aurum Regi, thus Deo, myrrham defuncto obtuliſſe: *Aliud enim Regis inſigne, aliud divinæ Sacramentum poteſtatis, aliud honor eſt ſepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, ſed reſervet.*

S. Leo hom. in Epiph.

Ex dictis S. Leonis, Magi eum puerum recens ortum adoraturi veniſſent, munerum ſuorum ratione nos docuerunt, eum in ſe uno Regis, Dei, atque Hominis qualitates complecti. S. Auguſtinus, aliique Patres non modo aurum, thus, & myrrham Magorum Divinitatem Meſſiæ, regiam dignitatem, humanitatemque indicare cognoverunt; ſed intelligenda, ſubjungit Pater iſte, Trinitas eſt, & tres ſingula ſinguli munera offerentes, unitatem in Trinitate adumbrarunt. **

S. Hilarius Arelatenſis non modo Auguſtini interpretationem, ſed ipſa, quibus illam effert, verba ſibi adoptavit. S. Maximus Taurinenſis Doctoris ejuſdem cogitatum ſecutus eſt, illudque alia quadam ratione digeſſit. Habeto ejus verba: *Et bene uno itinere tres ſimul adoraturi veniunt Magi,*

Max. Taur. hom. 3. de Epiph.

qui in uno Chriſto Jeſu, qui omnium credentium via eſt, inſeparata ab iis erat Trinitas.

Iccireo autem non laboro, ut alia Sanctorum Doctorum loca producam; quia in novi Teſtamenti interpretatione teſtatus ultro Simonius eſt, ex

Bibl. Crit. Tom. 2. c. 8. pag. 151.

Sententia Veterum Patrum, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum adoraſſe; quam plane illorum continuationem & ſeriem ad poſtremum uſque ſæculum deducere poſſem; niſi moleſtiæ multæ, nulliuſque frugis eſſet hæc enumeratio. Ceteri namque Autores Eccleſiaſtici cum eandem fidem profiteantur, qui paucos illorum audivit, audivit omnes. Idque eo magis, quo nullus extat contra iſta eorum locus: immo patet Divinam cunctos adorationem, tanquam inter Chriſtianos conſtantem, pro certo habere; ſique res hæc in dubium aliquando venit, id poſtrema hac ætate contigiſſe.

* Hieronimus in Pſ. 44. Auguſt. *ſerm. 1. de Epiph.* S. Leo hom. in Epiph. S. Hilarius *in Matth.* S. Bernardus *ſerm. 2 de Epiph.* Petrus Chryſ. *ſerm.* 158 & alii.

** *Quid aliud expreſſerunt in illis muneribus niſi Fidem noſtram? In eo enim quod tria offeruntur, Trinitas intelligitur. In eo quod tres ſunt & ſinguli ſingula offerunt, in Trinitate unitas declaratur.* Aug. ſerm. 1. de Epiph.

§ III.

§. III.

Prisca hæc Traditio fulcitur precibus Ecclesiæ ; Theologicis rationibus , e Patrum doctrina decerptis ; ipsisque Critices præceptis .

TRaditum adeo constanter fuit, Magos Divinitatis honoribus Jesum Christum prosecutos fuisse, ut possimus affirmare, hanc esse primam Ecclesiæ totius antiquitatem. Perspicue enunciatur in *Collecta* Diei Epiphaniæ, qua ita oramus : *Deus qui Unigenitum tuum Gentibus , Stella duce , revelasti* . Quæ *Collecta* eandem ferme cum Religione Christiana originem habet , atque in *Sacramentariis* antiquioribus reperitur. Ecclesia quoque divinam hinc adorationem canit in Hymno Epiphaniæ, qui incipit : *Crudelis Herodes Deum &c.* ubi tria munera distinguit , quorum alterum thus est, Jesu Christo tanquam Deo oblatum . Sedulius Hymni hujus autor , in eo aperte asserit Christum Deum : *Deum fatentur munere* . Quod idem affirmaverat in suo Poemate Paschali , Theodosio Imperatori, Theodosii Magni nepoti nuncupato . Ecclesia certe persuasum habuit adeo, Magos Jesu Christo divinum honorem tribuisse , ut nonam Lectionem Officii Feriæ V. infra octavam Epiphaniæ depromserit e Commentariis S. Hieronymi in Matthæum , in quæ Sanctus Doctor intulit versiculum Poetæ Juventii , afferentem interpretationem trium donorum, & nominatim thuris, Christo Deo dicati,

Vetustissima est in Ecclesia Traditio ista.

Sedulius ep. Pasch. l. 2.

l. 1. in c. 2. Matth.

Thus , Aurum , Myrrham , Regique , Hominique , Deoque Dona ferunt.

Convenit optime Theologia super hac re cum Patrum Doctrina, Ecclesiæque precationibus. Cum Magi dicunt: *Venimus adorare eum* , fieri ne potest, hosce Gentilitatis Sapientes non cognovisse Divinitatem ejus, cujus Nativitas inusitati luminis splendore ipsis nunciabatur; quandoquidem virtute quadam divina commoti , ejus impetum sequuntur , ut ait Sanctus Leo * , qui *in nobis impleri exoptat , quod in trium Magorum imagine præcessit* ? Quis credat , Sanctum Leonem postulare a Deo, ut nobis illum cultu exteriore adorandi gratiam largiatur , quin venerationem istam cordis , ad ejus nos Divinitatem extollentis , motione prosequamur.

Huic Traditioni vim addit Theologia.

Idem Sanctus Doctor aliud nobis sufficit argumentum . Considerat disputans de Magis , per eos Prophetias ad Gentes transmigrasse , ut eas docerent illum , quem prisca vaticinata fuerant Oracula, Christum esse, nimirum Messiam **. Porro hujus Christi a prophetis Promissi cognitio

* *Tres itaque Viri fulgore insoliti syderis divinitus incitati, pravium micantis luminis sequuntur.* S. Leo ser. 4. & 5. de Epiph.

** *Jam vero ad eruditionem Gentium Sermo Propheticus transibat , & pranunciatum antiquis Oraculis Christum alieni generarum cerda discebant* . S. Leo serm. 4. de Epiphania ,

nun-

nunquid non ad ejus uſque divinitatem aſſurgit ? Illud certe, dubitare nemo poterit, hunc magnum Pontificem intendiſſe. *Deus*, inquit, *qui Magos de longinquo vocabat, eoque miro modo illuſtrabat interius magis quam exterius, non ſivit eos coram Jeſu Chriſto myſterii hujus naturam ignorare : cum juſtificari omnino non poſſent, niſi qui Dominum Jeſum, & verum Deum, & verum hominem credidiſſent.* S. Leo Serm. 4. c. 2. & 6.

Nullus eſt ſane ambigendi locus eum, cujus adventum ante annos circiter quingentos Balaamus prædixerat, alium non eſſe a Meſſia, quem Judæi præſtolabantur, ipſorumque Prophetæ prænunciaverant ; immo ad Orientem univerſum ea tunc perſuaſio manaverat, eundem ſub illud tempus fuiſſe venturum. Atqui nemini Judæorum dubium erat, Meſſiam iſtum fore Deum, de quo Paganis * ipſis perſuaſum fuerat : e Judæa ſcilicet oriturum Regem, qui Orbi toti dominaretur. Verba profecto Chaleidii in rem hanc animadverſione digna ſunt **. Porro ſimul atque natus Salvator eſt, ajunt Eccleſiæ Patres, Magi Stellam intuiti, Prophetiam hanc eo tempore celeberrimam impletam eſſe intelligentia perceperunt ***. Cum itaque ſibi perſuaſiſſent Magi, Sydus illud Meſſiæ, a Balaamo annunciati, adventum ſignare, quamobrem contenti fuiſſent, ſe ante illum, veluti ante Regem terræ, proſternere, quin eundem pariter honore ſoli Regi cœlorum tribuendo venerarentur ?

Denique nullo modo poterit quis propugnare, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum minime cognoviſſe, idemque cum S. Leone, aliiſque Patribus fateri, illos Primitias Gentilium fuiſſe, atque inſtar noſtrum Chriſtianos ; eoſdemque ex exemplo Ruperti Abbatis Prophetarum, Virorumque, Divino ſpiritu afflatorum, nomine donare ; vel poſt S. Cæſarium Evangeliſtas, **** qui Hominis Dei adventum hominibus prædicarunt, appellare.

Hæc ſunt argumenta, quæ ſatis idonea videntur ad perſuadendam Traditionem, nihilo vetuſtam minus, quam ſit Eccleſia, atque ad nos uſque nemine intercedente, propagatam. Ægre itaque reputamus ani-

* Svetonius *in Veſpeſiano*. Cicero *l. 2. de Divinat.* Oroſius *l. 6. c. 6.*

** *Eſt alia ſanctior & venerabilior Hiſtoria, qua perhibet de ortu Stellæ cujuſdam, non morbos mortesque denunciantis, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ converſationis, rerumque mortalium gratiam : quam Stellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto Sapientes Viri, & conſideratione rerum geſtarum ſatis exercitati, quaſiſſe dicuntur recentem Dei ortum, repertaque illa majeſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto convenientia nuncupaſſe.* Chalc. comm. in Timæum Plat.

*** *Quando natus eſt Joſue, agnoverunt Stellam, & intellexerunt adimpleri Prophetiam.* Orig. hom. 3. in num. Athan. *de Incar.* Juſt. in Dial. cum Triph.

**** *Magi confirmato ad venerandum animo, expiato errore, ſua eunt ſponte tanquam Evangeliſtæ, & primi præcones Gentium de divini hominis adventu.* Cæſarius Dial. 2. Interrog. 107.

mo,

mō, quomodo Theologus aliquis id adducere in dubitationem potuerit, ſi elegantem S. Petri Chryſologi locum legiſſet, * qui difficultates omnes occupat, quas afferre poſſet ambiguum verbum, *adorare*.

Quid quod tametſi vellet Simonius, divinam Magorum adorationem ad Criticam tantum quæſtionem pertinere; integrum ne ipſi eſſet ex legibus magnæ artis ſuæ in partes ire communi Traditioni repugnantes? Quoties Factum aliquod a conjectura pendet, quæ ita veritatem aperiat menti, ut eam tamen penitus haud convincat, utrinque non deſint rationum momenta, atque Autores ipſi utroque trahant: tum licet id conſilii capere, quod veriſimilius quiſque arbitrabitur. Verum cum res ex communi hominum ſenſu certa eſt; quotquot de illa locuti ſunt, minime dubiam aut controverſam exiſtimarunt: tunc Virum eruditum, qui cauſſa perſpecta, atque ut verum Criticum decet agit, neceſſe eſt in illam ſententiam concedere, niſi æqui devius haberi velit. Abhorret ab omnibus prudentis Critices documentis, univerſam antiquitatem deſerere, ut levem conjecturam ſequaris. Eadem Traditio Regulis Criticis probatur.

Ecce controverſiæ totius caput. Quamquam Jeſu Chriſti adoratio, ut Deus eſt, ad Fidei veritatem minime ſpectaret, nondum tamen poſſet Simonius de illa verſari in ancipiti. Totius ævi Traditio, unanimis Patrum, Theologorum, atque Interpretum conſenſio ita certam efficiunt, ut pene ad geometricam veritatem accedat, quod alibi quoque animadvertimus; & propterea vocis cujuſdam ambiguitate oppugnanda non eſt, vel in lance ſuſpendenda: niſi ſi in promptu rationes ſint illuſtri dic clariores, tamque indubitatæ & concluſæ, ut quoddam pariant Demonſtrationis genus. Nos porro pergimus ad examinandum, utrum hujuſmodi ſint argumenta, quæ pro dubitatione ſua Simonius in medium profert.

ARTICULUS V.

Quas afferat Simonius probationes, ut tueatur, ſimile vero eſſe, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum non adoraſſe.

NUllum eſt certius indicium, Scriptorem cauſa laborare, quam cum arripit omnia, ut aliquam ſaltem probabilitatis ſpeciem ei

* *Magus ſic depoſito errore, ſequitur, currit, pervenit, invenit, gaudet, procidit, adorat, quia non per Stellam, non per artem, ſed per Deum, Deum ſe invenisse humana miratur in carne.* Petr. Chryſol. ſerm. 156. & 158.

acqui-

acquirat, dum rite probare non poteſt. Quare cum ſenſerit Simõnius; ſententiam ſuam de Magorum adoratione reprehendi, perinde ac Socinianis faveret, & per ſe ſe adverterit conſecutiones pravas, quas inde elicere poſſent; maluit quoſdam autores in ſuam ſententiam trahere, quam ab illa, errorem ſuum fatendo, deficere; & putavit, ubi affinxerit ipſis ſenſa ab ipſis remota, novitati ſuorum ſpeciem vel excuſationem obtendere. Verum eædem, unde commodum aliquod comparare nititur, conjecturæ in ipſum retorquentur; & tantum abeſt ut Paradoxo ſuo vim & pondus afferant, ut potius exiguam ejus ſoliditatem demonſtent, ejuſque autorem condemnent.

Boſſuetus Decem. 1. pag. 103. & 190. & alibi.

§. I.

Autores a Simonio laudati ipſi non favent.

Quos curaverit Simonius in ſuam ſententiam perducere.

QUantumvis nervos omnes in id contenderit Simonius, colligere tamen non potuit, ut ſuæ de ſupremo Magorum cultu dubitationi autoritatem compararet, niſi quinque aut ſex ambigua loca, deprompta 1. ex Autoribus cujuſdam Verſionis Gallicæ omnium Bibliorum, æditæ Antuerpiæ inter annos 1534. & 1541. 2. ex Autore Le Tourneux. 3. ex Huræo. 4. ex Franciſco Luca Brugenſi. 5. ex Januario Gandavenſi, atque eruditiſſimo Eſtio.

Bibl. Crit. Tom. 2 c. 8.

Antequam vero loca iſta ſingillatim expendo, animadvertas velim, verbum *adorare* origine ſua cum Hebraica, tum Græca, & Latina ſignificare in univerſum: *Salutare demiſſa corporis inclinatione, ſe proſternere, ſalutationem facere*. Quo ſenſu de Elephantibus inſtitutis loquitur Plinius: *Regem adorant, genua ſubmittunt*; atque in hunc modum Orientales adorabant Reges ſuos, cujuſmodi adorationis multa in Sacris Litteris exempla reperies. Hoc autem animadverſo, loca a Simonio citata huc revocemus.

Plin l. 8.

2 Reg c. 1.

Locus e Verſione Antuerpiana deductus. Matt. 2. 2.

1. Interpretes Bibliorum Antuerpienſium hanc adnotationem apponunt loco Matthæi: *Et venimus adorare eum*. „ Hebræi utuntur ſæpe hac vo„ ce *adorare*, ut ſignent honorem exhibitum inclinatione corporis, uti „ exhibetur Regibus aut Principibus Orientis. „ Cum igitur hoc pacto loquuntur in adnotatione quadam Verſionis Biblicæ Antuerpienſis Autores, nunquid ſe indicant ambigere de ſuprema Magorum adoratione? Animadvertendum eſt, ambiguitatem afferre vocem *adorare*, atque in uſu fuiſſe apud Hebræos ad ſignificandum honorem, qui Principibus corporis inclinatione defertur. Verum Scriptores iſti non quidem dicunt, Magos hac tantum ratione Jeſu Chriſtum adoraſſe. Differunt ſane inter ſe; explicare, quid ſignificet univerſe verbum aliquod ambiguum; atque illud

Bibl Crit. ibid. p. 133.

ver-

verbum ad ſingularem aliquam rem ſignandam accommodare. Porro Bibliorum Iſtorum Interpretes in adnotatione loquuntur de uſu Hebraico verbi *Adorare;* idemque verbum in contextu ad veram adorationem declarandam acceperunt.

Tourneux. *Bibl Crit. ib. pag. 139. Le Tourneux Tome 1. in Evang. Epiph. Gall.*

2. Antuerpienſes Interpretes iſtos, inquit Simonius, excipiet alter, celeberrimus videlicet *Le Tourneux*, qui in ſuo anno Chriſtiano ad illa verba, *& procidentes adoraverunt eum*, hæc adnotavit: *More Orientalium, qui honore proſequuntur Reges ſuos humi procidentes*. Atque id totum illud eſt, quod ex Tourneux citat.

Adoratio duo complectitur.

Magorum itaque adoratio duobus conſtat, veneratione exteriore, atque obſequio interiore. Tourneux exteriorem exprimit venerationem, cum dicit, illos ſecundum Orientis conſuetudinem humi procidiſſe, & munera Chriſto Domino obtuliſſe. At vero ceremoniæ huic exteriori cultus interior reſpondebat. „ Non indignantur enim, per ipſum, cum vident „ Infantem pauperem, ignotum, nullumque Regiæ dignitatis inſigne ge- „ rentem. Fides eos evadere facit haſce omnes difficultates. Quæ certe „ a Fidei notione deficeret, niſi lumen ſuum obſcuritate aliquando mi- „ ſceret ..... Deus per ſydus ipſis loquitur, ejuſque vocem ipſi per- „ cipiunt ..... Munera, quæ Jeſu Chriſto Magi obtulerunt, conſen- „ tanea illi erant, quem adorabant; eumque tanquam Deum Thuris „ oblatione reverebantur ..... Tribue nobis, Deus, Philoſophorum „ iſtorum Fidem. „

Tourneux ibidem.

Poſt hæc ægre ſane percipere poſſumus, qui potuerit Autor Bibliothecæ Criticæ præſidium ſibi ullum quærere in loco, quem adduxit; quanquam etenim a reliquo contextu divideretur, & Tourneux perſpicue adeo mentem ſuam de Jeſu Chriſti tanquam Dei adoratione non aperiret; nihil tamen inde effici poſſet, niſi Magos ante Regem recens natum prono corpore corruiſſe, quod non inficiamur; ſed exteriori huic veneration comitata eſt Fides viva, quæ ſecundum Tourneux eorum animum ad Pueri illius Divinitatem evexit.

Huræus & Janſenius Gandavenſis. *Bibl. Crit. ibid. pag 141.*

Ut autem oſtendamus, Simonium nihil utilitatis capere poſſe a verbis Huræi & Janſenii Gandavenſis, quos in medium affert, oportet animadvertere, Magos nondum Bethleemi fuiſſe, eum dixerunt: *Venimus adorare eum;* & divinos tantum ipſi honores reddidiſſe, ubi *procidentes adoraverunt eum*. Non eſt itaque controverſia, anne Magi Divinitatem Jeſu Chriſti cognoverint, eum dixerunt: *Venimus adorare eum*; etſi nanque interiore lumine perfuſi fuiſſent, ut noſcerent, ſydus illud novi Regis ortum indicare: ſive, quod Patres exiſtimarunt, * Balaami vaticina-

* S. Baſilius, S. Hieronymus, Origenes, S. Leo, Euſebius, aliique nonnulli. *Apud Corn. a Lap. Comm. in Matt. 6. 2. v. 2.*

tione, aut Sibyllæ Eritreæ Oraculo novi hujus Regis adventum didicisſent:

Lib.8.Orac.Sibyll.

Divinamque Magi Stellam coluere recentem,
Monſtratuſque Dei præcepta ſequentibus Infans
Eſt in Præſepi.

incertiſſimum tamen eſt, num antequam Bethleemum appropinquarint, Divinitatem ejus perſpectam haberent: pleriſque etenim Patribus perſuaſum erat, Magos revera arte Magica præſtantes fuiſſe, & coram puero Jeſu procidentes Fidei ſplendore Deum illum eſſe intellexiſſe. Origenes perſpicue tradit: *Venerunt igitur in Judæam, edocti jam natum eſſe Regem quendam; ceterum ignari, cujuſnam Regni, aut ubinam natalium ejus eſſet locus.* Hinc factum eſt, ut Hieroſolymam ingreſſi, ſciſcitarentur: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum.*

Orig.Tom.1. contra Celſum.

Matt.2.2.

Huræus ibidem.

Quando igitur Huræus explicat hæc verba: *Venimus adorare eum*, in hunc modum: *forte ut Deum, ſed id non ſequitur ex verbo προσκυνῆσαι, adorare, quod uſurpatur, cum etiam homo hominem veneratur*; & Janſenius exponit locum iſtum eodem modo: *Veriſimile eſt, Magos agnoviſſe Regis Divinitatem, ſed id non ſequitur ex verbo adorare*: Duo, inquam, autores iſti nihil aliud inducunt nobis, niſi dubium & anceps eſſe, nonne Magi, priuſquam Bethleemum adventarent, perfecte cognoverint novi Regis Divinitatem, quem inquirebant: *forte, veriſimile eſt*; idque attendentes ad verbum *adorare*, quod honorem ab homine homini delatum reddere poteſt. Qua in interpretatione nihil Eccleſiæ Traditioni, Patrumque ſententiæ adverſatur.

Comm.in Conc. Evang.c.9.

Ceterum ubi Huræus & Janſenius evolvunt alia verba: *Et procidentes adoraverunt eum*, ad quæ ſpectat Traditio Eccleſiæ, unanimiſque Patrum ſenſus; tum profecto utrique a doctrina communi minime recedunt. *Adorarunt*, inquit Huræus*, *adoratione, quæ uni Deo debetur, eorumque Fide rationem omnem ſuperante, quantumvis contemnendum Infantem conſpicerent, Regis tamen inſtar illum venerati ſunt, & tanquam Deum adorarunt.* Janſenius nihil aperte minus loquitur ſuper eodem verſiculo: *Quo conſtat, eos alia quædam de puerulo hoc ſenſiſſe, quam vel de eo audierant. Quod quidem in eis effecit ſplendor quidam divinus, qui animas illorum illuſtrabat.* Immo exemplo Magorum utitur, ut probet contra Lutherum, adorandum eſſe Chriſtum in Euchariſtia: *Ergo ne Idololatræ fuerunt Magi illi, qui Chriſtum adoraverunt in cunabulis?*

Huræus in N. Teſt.Gall.in v. 2.c.2.D. Matt.

Janſen.Gand. in Conc.Evang. c.9.

* Præter notationes Latinas ab Huræo confectas in Novum Teſtamentum, vertit ſubinde Gallice Sacras Litteras, qua in Verſione delevit notationem in v. 2. a Simonio citatam ex Verſione Latina; atque in v. 11. aliam, quam modo dedimus, appoſuit. Hæc omnia ſine ulla dubitatione viderat Simonius, Quare igitur diſſimulavit?

Si-

Simonius in ſupplici Libello apologetico, quem obtulit Archiepiſcopo Pariſienſi, Lucam Brugenſem, tamquam ſententiæ ſuæ ſponſorem appellat. Sed Epiſcopus Meldenſis egregie adeo Scriptoris hujus locum enodavit, ut non vacet ulterius his immorari. Id unum addam, Lucam Brugenſem firmiſſime Jeſu Chriſti tanquam Dei adorationem conſtituere, atque adeo, non ſecus ac Janſenius Gandavenſis, Euchariſtiæ ſupremum cultum ex eo probare, quem Magi Jeſu Chriſto exhibuerunt, cum proſtrato humi corpore illum venerati ſunt. Lucas Brugenſis. *Decum. 1 p. 193. & ſeq.* *Lucas Burg. in Matt. 2, 11.*

Eruditiſſimus Eſtius hæc verba exponens: *& procidentes adoraverunt eum*, hanc inde continuo elicit conſecutionem: *Ergo & in Euchariſtia Chriſtus adorandus eſt*. Atque aliquanto inferius: *A Magis, & a Diſcipulis ſuis, & a cæco illuminato in terris, immo adhuc in hac mortalitate poſitus, adoratus fuit.* Eſtius. *Diſſicil. Script. loca in c. 2. Matth. v. 11.*

Hæc omnia vim afferre nequeunt dubitationi de cultu, Jeſu Chriſto præſtito tanquam Deo, quam in hunc eruditum Interpretem Simonius refundit. *Si quæras*, interrogat deinde Eſtius, *quomodo adoraverint? Reſpondeo: Omnino veriſimile eſt, quod adoraverint cultu Latriæ.* Ecce verba, in quibus tantummodo fundamentum jacit Simonius. *Bibl. Crit. Tom. 2. cap. 9. pag. 190.*

Reſpondebis, 1. Verba hæc: *omnino veriſimile eſt*, non ſemper voces eſſe dubitantis, ſed ſuaviter affirmantis, ſe potius rei aſſentiri, quam de illa ambigere. 2. Hæc dictio: *omnino veriſimile eſt*, afficit minus cultum Latriæ, a Magis Jeſu Chriſto redditum, quam afficiat modum, quo proditum eſt ipſis, id genus adorationis Puero illi præſtandum fuiſſe. Hoc ſatis oſtendunt verba inſequentia: *Sicut enim*, addit Eſtius, *revelationem divinitus acceperunt, quod Stella, quæ apparuit, ſignificaret natum Regem Judæorum, quodque ad eum adorandum cum muneribus proficiſci deberent; ſic plane credibile eſt, eos ex eadem divina revelatione, ſeu admonitione Angelica didiciſſe, quo genere honoris eum colere deberent, nempe divini.* Quare hallucinatus eſt Simonius, quando illud *credibile eſt* ad Magorum adorationem refert, quod ad rationem patefaciendi ipſis hunc cultus modum referendum erat. Mens Eſtii aperitur. *Eſtius ubi ſupra*

Hæc, ut mihi videor, germana eſt ſapientis hujus Interpretis intelligentia. Immo vero ut pateat, quam ille ſit a dubitatione remotus, in quam eum inducit Simonius, ſubdit e veſtigio, Magos obtuliſſe thus Jeſu Chriſto, tanquam Deo; multoſque priorum ſæculorum Autores enumerat, qui probant, Magos ideo recens natum Infantem Thuris munere donaſſe, ut indicarent, ſe illius Divinitatem cognoviſſe. Simonius cogitatum Eſtii perverſe interpretatus eſt.

Audiſti quiſnam ſit genuinus ſex Scriptorum illorum ſenſus, quos protulit Simonius, ut paradoxo ſuo excuſationem afferret. Qua de re mirari ſubit, Autorem Bibliothecæ Criticæ, quanquam ipſi perſpicue adeo locu- Nefas eſt Scriptoribus tribuere quod ipſis alienum eſt.

ti ſint ſuper hoc capite, ipſis tamen ſententiam vindicaſſe e regione contrariam iis, quæ firmiter adeo atque affirmate pro ſuprema Jeſu Chriſti adoratione docuerunt. Nunquid non eſt hoc, Scriptores perdoctos inducere pugnantia dicentes? Nonne nos cum bonis Criticis inſtituit Simonius, obſcura implicata atque ambigua autorum loca interpretanda eſſe ſecundum alia, in quibus enucleate iidem aperuerunt mentem ſuam? Oportet igitur perſuaſum fuiſſe Critico noſtro, ſe ſtare a cauſſa minime bona, ubi ad illam propugnandam delegit patrocinium ſex Scriptorum, qui pro divina Jeſu Chriſti adoratione certo afferri poſſunt.

§. II.

Conſtat adeo, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum adoraſſe; ut Autores a Simonio laudati nequeant, ex principiis Critici huius eruditi, adverſam partem tueri.

Senſus verbi *adorare*.

QUamquam verbum *adorare* ambiguitate laborat, nihilo ſecius quoties ad Deum refertur, ſignificat ex conſuetudine interiorem cultum ipſi præſtandum. Quæ regula egregia omnibus paſſim Interpretibus probatur *; eamque Simonius ipſe amplexus eſt, ut adverſus Meldenſis Epiſcopi cenſuram paradoxum ſuum ſartum tectumque defenderet. „ Verbum *adorare*, ait, ſignificat in univerſum apud Divinas Lit- „ teras, genua flectere, ſive coram alio humi procumbere, ſed eum „ ad Deum tranſfertur, veram adorationem tunc ſignat. „ Propterea verbum *adorare* de Deo dictum, valet pro ſuprema adoratione & religioſo cultu, qui ipſi uni debetur.

Simon. in not. ad cap. S. Matt. Idem Bibl. Crit. Tom. 2. cap. 8. pag. 133. 165. & alibi.

Matt. 2. 2.

Cum dicit Sanctus Matthæus: *Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum*, per ſe ſe patet, verba hæc *adoraverunt eum*, non poſſe apud Matthæum ad alium traduci, quam ad Jeſum Chriſtum, tanquam Deum; is nanque, quem adorant procidentes Magi, quiſpiam non eſt niſi Rex Judæorum, & Meſſias, quem expectabant Judæi, Vateſque ominati fuerant, & cujus nativitatem mirum Sydus, a Balaamo jam pridem enunciatum, ipſis oſtenderat. *Ubi eſt Rex Judæorum?* inquiunt; *vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*. Atque adeo voces iſtæ *adoraverunt eum* afficiunt neceſſario Divinitatem Jeſu Chriſti; pro uno puero Jeſu tanquam

Verbum *adorare* ad unum Deum accomodari poteſt.

* *Cetorum quando uni Deo tribuendus præcipitur, plus vox ex uſu, quam ex vi ſua ſignificat, hujuſmodi nimirum exteriorem venerationem, quæ ex interiori proficiſcatur (præcipueque interiorem ipſam) qua colatur Deus, ut rerum omnium autor, & Dominus, ex quo profluxerunt omnia.* Luc. Brug. in c. 2. Matt. 2. Corn. Janſ. Cone. Evang. c. 15. Huræus in Lexico Script. *verbo* adorare. Gall.

Deō

Deo interptetari poſſunt ; neque ad aliam rem creatam ſive homo ſit , ſive Angelus commode detorquebuntur.

Si Magi nihil quæſiviſſent niſi Regem terræ, ut illum adorarent, congregaſſet ne Herodes *Sanhedrin*, Sacerdotes, Gentiſque peritiſſimos, ut ſciſcitaretur de loco nativitatis Chriſti ? Ubi vero Magi in hujus recens natati Regis conſpectu fuerunt, eumque extrema paupertate dejectum, nullaque Regali ſpecie inſignem intuiti ſunt, procidiſſent ne coram ipſo, ipſique tributa ſua obtuliſſent, niſi in illo alia cognoviſſent majora his, quæ in Infante ad ſummam inopiam redacto apparebant ? Atqui fatetur Patrum univerſa Traditio, intimo tunc illuſtratos eos fuiſſe lumine, quo fierent de Pueri illius Divinitate certiores. Talem itaque eum adoraverunt ; nullum ipſi, præterquam *Latriæ*, cultum poterant exhibere ; quoniam adoratio ipſorum in illius Divinitatem ferebatur : *Et procidentes adoraverunt eum*, nimirum Jeſum Chriſtum tanquam Deum.

Magi Jeſu Chriſti Divinitatem cognoverunt,

Exinde quis poterit affirmare, Autores a Simonio citatos, etſi perſuaſiſſent ſibi ſecundum principia Fidei, verba hæc, *& procidentes adoraverunt eum*, non poſſe uſurpari niſi pro Divinitate Jeſu Chriſti ; opinatos tamen fuiſſe, vel opinari potuiſſe, ſpeciem habere veritatis, quod Magi Jeſum Chriſtum tanquam Deum non cognoverint ? An non id prorſus germanum Evangelii ſenſum everteret ? Quod ſi caput hoc Fidei ignorare non potuerunt, potuerunt ne tradere ut veritati ſolummodo proximum, Magos Infantem Jeſum tanquam Deum adoraſſe, quoniam hæc adoratio ad illius Divinitatem aſſurgit ?

Autores a Simonio citati fateri debebant adorationem Magorum Supremam.

Tametſi autem de hoc conveniret, Fidei dogma per ſeſe non docere, Magos Divinitatem, uti contendit Simonius, in Chriſto Domino haud pereepiſſe ; Fidei certe doctrina eſt, eum, coram quo prociderunt, Deum fuiſſe. Porro affirmare, veri ſimile tantum eſſe, Magos Divino obſequio Jeſum Chriſtum veneratos fuiſſe, idem eſt ac dicere, probabile tantum eſſe, ipſorum adorationem ad Jeſu Chriſti Divinitatem aſcendiſſe. Ceterum eum a Fide pendeat, in Filium Dei Magorum adorationem deſiiſſe, atque Simonii principia ferant, *verbum adorare, ubi ad Deum transfertur, veram tum adorationem ſignare* ; conſequens eſt ſecundum regulas Fidei, neceſſario propugnandum a nobis eſſe, Magos Jeſu Chriſti Divinitatem perſpectam habuiſſe, eumque divino honore coluiſſe. Non poterit itaque Simonius ad ſuas partes trahere Autores, quos affert, quin eos in eandem calamitatem impellat, in quam ipſe ſe precipitem dedit.

Neceſſe eſt, Simonium confiteri, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum adoraſſe.

Exiſtimat doctus noſter Criticus, nullam ſibi eſſe Cenſorum ſerulam formidandam, ubi in autoritate detulit ſex Scriptorum, quos a ſua ſententia produxit. Dubium ne alicui eſſe poterit, inquit, eos fuiſſe perſpicaciſſimos, atque in Traditionibus egregie verſatos ? & tamen non auſi ſunt aſſerere, *Ridempag. 134 & ſeq.*

Ma-

Autor. a Simonio allati Sententiam ipſius in tuto non ponunt.

Magos, Jeſum Chriſtum adorantes, Divinitatem illius cognitione aſſecutos fuiſſe. Age vero, faciles erga ipſum & æqui, hæc omnia Simonio concedamus. Quid ſi verendum erit, quin propter eandem iſtam, in qua magnum momentum ponit, Scriptorum illorum præſtantiam atque eruditionem, ipſe cauſſa cadat?

Qui nanque fieri poteſt, Viros illos Litteratos non fugiſſe, Eccleſiam univerſam, Patres, Theologos, atque Interpretes perſuaſum habere, Magos Jeſu Chriſti Divinitatem cognoviſſe, & neminem inter Catholicos huic Traditioni interceſſiſſe; & tamen eoſdem ab hac Eccleſiæ doctrina deſciviſſe? Oportebat ſaltem, ut eo deducerentur, ipſis parata fuiſſe rationum momenta, ex Criticis ſibique notis præceptis firmiſſima, & quoddam Demonſtrationis genus efficentia, quod omnes Striptores illi Eccleſiaſtici genuinam verborum S. Matthæi vim & poteſtatem non probe intellexerint.

Argumentum Simonii leviſſimum eſt.

Quamobrem videamus, quænam ipſis argumenta Simonius tribuat, idemque ſtatuat, quibus cogi potuerint ad totius antiquitatis ſenſa, ſuper re tanti momenti deſerenda. Verbum *adorare*, ait doctus iſte Criticus, ambiguum eſt, atque in univerſum valet duntaxat exteriorem venerationem. Quis neſciat, id apud omnes exploratum eſſe? At quis pariter neſciat, Scriptores illos affirmaſſe, verbum *adorare* ſecundum mentem Matthæi ſumi pro adoratione ſuprema, idque eo magis, quo vox iſta eo loci ad Jeſum Chriſtum tanquam Deum refertur.

Quæ cum ita ſint, non video qui poſſit aſſerere, Theologos præclaros adeo eruditoſque, ut nobis identidem illos ante oculos ponit Simonius, levi hoe fultos argumento, adverſari unanimi ſæculorum omnium Traditioni? Id ſane per me citius eſſet appingere illis ſupinam imperitiam, minus æquum agendi modum, immoderatam confidentiam impudentiamque; paucis omnia, eos de ſuſpicioſa rei gerendæ ratione in negotio Fidei inſimulare. Et ſane nonne ſuſpicionem in agendo moveret, qui antiquitati univerſæ ſe ſubduceret, ut ſuper germana Biblici alicujus loci interpretatione ad Hæreticorum partes tranſiret; qui ſplendidiſſimum de Jeſu Chriſti Divinitate argumentum, vetuſta adeo conſtantique Traditione firmatum auferret ab Eccleſia, eamque interpretationem adoptaret, quæ Crellii, Grotii, aliorumque Socinianorum erroribus indulget?

§. III.

§. III.

Alia Simonii effugia; quo ſuæ de Magorum adoratione dubitationi præſidium paret.

SI audias Simonium, nemo poteſt ſententiam ejus redarguere; quin Eruditorum multorum nomini & dignitati fucum faciat. „ Non ſit „ credibile, inquit, audere aliquos, Fidei Quæſitorem, & quoſdam Teo- „ logos Lovanienſes, qui juſſu Caroli V. Verſionem totius Scripturæ Gal- „ licam, Antuerpiæ æditam recognoverunt, criminari, quaſi vero An- „ titrinitariorum ſenſa roborarint. Nihilque magis ad veritatem accedit, „ nos vitio vertere Doctoribus Sorbonicis, qui Huræi in Novum Te- „ ſtamentum adnotationes, & Tourneux Annum Chriſtianum approba- „ runt: eos ſcilicet Traditionem impugnaſſe, atque ab Eccleſia argu- „ mentum de Jeſu Chriſti Divinitate abſtuliſſe. *Ibidem pag. 111. & ſeq.*

Approbatio Libri alicujus cum a cenſura in tuto non ponit.

Ac enim quot errores, lubricæque enunciationes animadverſioni cenſoriæ ſe ſubtraherent, ſi Simonii principio locus eſſet. Et vero ſum neſcius, anne hoc præteſtu in dies ſingulos ab antiquitatis tramite recedant multi; qui cum ab Autore alicujus nominis traditam litteris ſentiunt cogitatum aliquod novum, illud continuo amplectuntur ejuſdem titulo, ſeque a diſcrimine tutos putant, ſi Doctorum multorum ſuffragium in illius fronte legant. Interea quotidie videmus Libros, quantumvis ſpecioſa hac facie honeſtatos, Principum tamen Eccleſiaſticorum nota inuri.

Dux ad Pietatem, qui liber eſt Molinos, damnatus eſt, etſi in antecceſſum probatus.

Duci ad Pietatem, qui Liber Molinos eſt, non acceſſit minor autoritas, quam iis, de quibus ſermo in præſentiarum ſit; editus fuit Romæ, Panormi, & Patavii, atque ad viginti plus aſcenderant alibi Editiones, laudibus & probationibus cumulatæ. Attamen hic *Quietiſtarum* Anteſignanus cenſoriæ ne ferulæ tenebricoſum hoc Opus ſubduxiſſet, cum Simonio cauſſatus: *Non ſit credibile, audere aliquos, Fidei Quæſitorem, & Romanos multos Theologos peritiſſimos, nec non Sancti Officii Conſultores criminari, quaſi vero Quietiſmi erroribus manus dederint*. Operam porro luderem, ſi alios quoque Libros hic indicarem, qui extremis hiſce temporibus eandem fortunam ſubierunt. Nemo unus ignorat; neque volo ea vulnera retractare, quæ dolorem amplificarent.

Novum Teſtamentum Simonii reprobatum.

Verum ne longius exempla adſciſcamus, quid profuit Simonio ad ineptum remedium iſtud confugere, ut reprehenſionem propulſaret, quam eximii Præſules in ſuam Novi Teſtamenti Trevoltienſis Verſionem tulerunt? Quantumvis demum dixerit, ſe nihil poſuiſſe cum in contextu ſermonis, tum in adnotationibus etiam, quod multis Interpretibus probatum

batum non fuerit, Interpretibus, inquam, nihil ſapientia minus atque eruditione præclaris, quam quos adducit, ut dubitationem de reddito Jeſu Chriſto cultu conſtituat: excuſatio hæc vel effugium Eccleſiaſticos ne ictus repellere potuit, vel ſaltem lenire?

Ibidem pag. 241. & ſeq.

Neque vero Lucas Brugenſis, ſubiicit, celeberrimus Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, vel doctiſſimus Eſtius exiſtimarunt, ſe unanimem Traditionem extinguere, ubi non auſi ſunt omnino affirmare, Divinitatem Jeſu Chriſti Magis fuiſſe perſpectam.

Simonius quæſtionem a propoſito divertit.

Quæ cum dicit egregius Criticus noſter, id probat, quod extra controverſiiam poſitum eſt. Quis negavit unquam, Doctorem nullum Catholicum eſſe poſſe, qui Traditionem ignoraverit, aut non ſatis ipſi animum attenderit? Id in quæſtionem cadit, num duo vel tres Scriptores Traditioni ſucum facere poſſint; tametſi in eam venerint dubitationem, quam ipſis Simonius attribuit, ſupremamque adorationem minime cognoverint; quod tamen ita falſum eſt, uti ſuperius oſtendimus. Teſtimonium ſane quorundam Interpretum poſterioris ævi pluris faciendum non eſt, quam illud totius antiquitatis. Poſtremo tandem loco, nunquid tres Interpretes iſti nunquam capti ſunt, vel falli potuerunt? Patribus ipſis uſquequaque conceſſum non fuit privilegium iſtud, ut vel aliquando non caperentur. Quare tametſi tueremur, erraſſe Lucam Brugenſem, Janſenium, atque Eſtium de ſuprema Magorum adoratione, id ne nobis in crimen dueeretur? Simonius ſexcentis locis Patrum autoritatem aſpernatur, eos de erratis multis redarguit in Sacrarum Scripturarum interpretatione, ipſorumque dicta non audit, ut modicis recentium Criticorum luminibus proficiat: nobis vero haud jus erit aperte dicendi, offendiſſe Scriptores iſtos, ſi opinio, quam ipſis adjudicat, ipſorum revera fuit; rejiciendique dubitationem eorum de cultu Latriæ, quem Magi Chriſto Domino exhibuerunt, tanquam aleæ multæ & periculi plenam dubitationem, ut Traditioni Eccleſiæ Patrumque ſenſis religioſe adhæreamus?

Verba Simonii de Interpretibus Scripturarum. *Simon. Hiſt. Crit. in Præf.*

Quid quod Scriptores licet iſti nunquam errandi facultate gauderent; ipſorum tamen ſuffragium nihilo gravioris momenti eſſet, ut Simonii Sententia vera fieret: quandoquidem in Biblicorum Interpretum turba involvuntur, de quibus ille hæc habet: „ Perſpectum tandem habui, ne„ minem ad hanc diem Sacrarum Litterarum Criticen penitus introſpe„ xiſſe. Quilibet de iſtis frequentius juxta præjudicatas opiniones ſuas „ judicium tulit. Judæi, exempli cauſſa ..... Quod ſpectat ad Chri„ ſtianos, pleroſque ex Patribus anticipavit adeo Verſionum Eccleſiæ an„ tiquarum æſtimatio, ut Textum Hebraicum omnino negligerent: „ præterquamquod eos defecerunt adjumenta non pauca, quibus fundi-

„ tus

„ tus expenduntur, quæcunque Bibliorum Critices interſunt. Quod ve-
„ ro eſt Scriptorum ætatis noſtræ cum Catholicorum tum Hæreticorum
„ neminem reperi, quia præjudiciis omnino immunis eſſet. „ Idem de Eſtio loquens, Viro, meritis ſane ſpectatiſſimo: „ Interpres, inquit, hic „ eum Theologus eſſet, parteſque Sanctorum Auguſtini & Thomæ ſuſce- „ piſſet, aliquando Magnorum citius Virorum iſtorum, quam Divi Pau- „ li Theologia redundat. „ Nolo equidem dictum iſtud in ſuo lumine collocare, quod ictu uno Sanctos Auguſtinum & Thomam, nec non Eſtium aggreditur tamquam D. Pauli adverſarios, ut porro oſtendam, Simonium ipſum detraxiſſe ſibi trium Interpretum iſtorum, qui ſibi placent, ſuffragium, quoniam eos præjudiciis minime vacare affirmat. Quod autem fundamentum ponas in Scriptoribus hujuſmodi? & qui pro illis ſpondebit Simonius, eos videlicet ſuper facto iſto præjudicatis opinionibus addictos non fuiſſe? Non eſt itaque excuſatione dignum, illos communi Traditioni opponere, ſive in ipſorum autoritate conquieſcere, ut probetur paradoxum ſuum.

In Hiſt. Crit. N. Teſt. c. 42. pag. 630.

Simonius Sanctos Auguſtinum & Thomam directo adoritur.

Præterea Simonius non ſatis habuit, culpam ſuam Litteratis multis tribuere, eamque in ipſorum eruditionem derivare; niſi hactenus pene inaudita Critica ſolertia ad purgandum errorem ſuum cauſſatus fuiſſet aliorum errata tam gravia, ut ipſam Filii Dei Divinitatem impeterent. „ Attende quomodo loquatur in Supplici Libello: Viri e Portu Regali, qui „ confeſſione ſua triginta annos in interpretando Novo Teſtamento attri- „ verunt, multis in locis non abſunt longe ab explicationibus, quæ ſa- „ vent ſenſis Antitrinitariorum: tanti negotii opus eſt, eam acquirere „ perfectionem, quæ attinet ad Sacrorum Librorum Interpretem. „ Deinde ſubjungit: „ Iiſdem vitiis non caret Nova Editio Bibliorum Gal- „ licorum Sacii, quam eruditi non pauci Theologi Pariſienſes recogno- „ verunt, atque examinarunt. „

Simonius aliorum culpa ſuam excuſat.

pag 20.

Atqui nonne videtur Simonius verbis iſtis damnare notationem ſuam in locum controverſum, dum illam purgare nititur eo prætextu, quod alii a quibusdam ſimilibus non abhorruerint? Quod ſi in Suppliei Libello aſſentitur condemnationi ſuæ; quare in ſua Bibliotheca Critica novos conatus ad errorem ſuum propugnandum tradueit? Mirum ſane fit, eum vitia aliorum eognoviſſe, atque ab iiſdem minime declinaſſe; eumque noſſet, *quanti negotii opus ſit, eam acquirere perfectionem, quæ ad Sacrorum Librorum Interpretem attinet*, operam tamen ſuam poſuiſſe, ut novam aliam Eccleſiæ præberet, qua tamen Eccleſia haud ægre earere poterat.

Simonius ſemetipſum condemnat.

At vero abſque eo quod altius penetremus in eam animadverſionem, quam Simonius fecit de novis Interpretationibus iſtis; ſatis erit nobis,

eum in Verſionibus per ipſum elaboratiſſimis atque emendatiſſimis graviſſima menda deprehendere. Quod ſi verum eſt, patet, illum non diluere crimen ſuum, cum citat Interpretationes vel animadverſiones ſuæ conſentaneas; neque ſuffragia Doctorum vel nomen Scriptorum, a quibus confectæ ſunt, eas ab judicio, quod merentur, minime eripere. Alioquin ſufficeret, aliquod Interpretis erratum in medium proferre, ut nullam poſſet recipere curationem; quod ſumma cecitas eſſet.

Nihil eſt ex Autoribus accipiendum, niſi quod veritatem redolet.

Nulla profecto tam anceps & periculi plena conſecutio eſt, quam ex mente aliquorum vel catholicorum adverſum communem Traditionem præſcribere. Sæpius etenim, quam par eſt, melioribus Scriptoribus accidit, quiddam ſingulare, atque ab univerſorum ſententia alienum, ſtatuere; unde commodum percipere non deſinunt Novatores: ſique ex Autoribus non depromimus, quod in illis unanime eſt, & conſonum dictis Eccleſiæ; ipſorum ſane opinio nullius momenti eſt ad errores & novitates confirmandas; ſed oſtendit tantummodo, ad hæc illos, tanquam adminicula adniti.

Non liberatur culpa Simonius, etſi aliquos pro ſe ſponſores attulerit.

Non putet itaque Simonius, ſe vel excuſationem attuliſſe, vel quidpiam profeciſſe, cum duos vel tres Catholicos indicaret nobis, qui ante ſe de adoratione Jeſu Chriſti, tanquam Dei, dubitaſſent, neque ſatis attendiſſent ad Verſionum vel adnotationum ſuarum lubricas conſecutiones. Ipſis namque illico reſponderemus. Res, deferatur ad Patres; legamus Concilia, & mittamus quoſdam recentiores, quos intereſt vel emendare, vel in mitiorem partem interpretari. Jus ergo nobis eſſe exiſtimamus, ab illo petendi hujus rei prædes conſtantiores, atque ad antiquitatem, Traditionem, unanimemque Patrum conſenſionem appellandi.

ARTICULUS VII.

Expenditur, an ambigere de ſuprema Magorum adoratione contrarium ſit Decreto Concilii Tridentini de Sanctarum Scripturarum explicatione.

Simonius egregias condidit regulas. *In Præf. Novi Teſtam. Trevoll. Boſſuetus in Deciam. 1. pag. 118.*

NEmo inficias ibit, Simonium excellentia præcepta dediſſe ad Sacras Litteras interpretandas: vitio tamen illi vertunt, quod inter illa locum non dederit regulæ latæ a Concilio Tridentino, quæ monet, adhærendum eſſe ſenſui, quem Eccleſia ſemper adoptavit, unanimi-

nimique Patrum ſententiæ. At proſpexerat ſane Simonius, ſe reprehenſum iri, quod ſæpe ab hac præſtanti regula deficeret.

Et quidem hoc habet Simonius firmiſſimum effugium in quæſtione nobis propoſita: ſimul etenim ac objiciunt ſententiæ hujus novitati conſpirantem Patrum omnium conſenſum, reſpondet, nihil eſſe, quod nos cogat, ut illos audiamus in omnibus, quæ ad Sacras Litteras pertinent, diſputationibus; ſed, ut Synodus declarat, in iis tantum, quæ Fidem & bonos mores attingunt. Oportet itaque germanum Decreti concilii ſenſum ſcrutari, atque utrum adoratio Jeſu Chriſti, tanquam Dei, in eodem comprehendatur: nimirum utrum ad Fidem ſpectet. Deinde nonnullis Simonii querelis faciemus ſatis.

Frequentes præceptum iſtud non audit. *Bibl. Crit. Tome 2. cap 6. pag. 171. & ſeq.*

§. I.

Verus Decreti Concilii ſenſus explicatur.

ANte omnia afferre præſtat ſuis verbis celeberrimum Concilii Tridentini Decretum, quod ita jubet: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei & morum, ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum interpretari audeat.*

Decretum Concilii Tridentini de explicatione Scripturarum. *Concil. Trident. Seſſ. 4. Decr. de Edit. & Uſu Sacr. Libr.*

Ut autem probe teneamus, quid ſibi velint verba hæc: *In rebus Fidei & morum, ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium*; oportet meminiſſe, res Fidei non complecti Quæſtiones tantum, quæ nominatim dijudicatæ ſunt, atque in Symbolis continentur, alliſque de Fide Decretis; ſed in iis quoque partes omnes Doctrinæ Chriſtianæ comprehendi. *In Rebus* pariter *Morum* intelligas neceſſe eſt, quidquid pertinet ad imbuendam optimis exemplis Doctrinam Chriſtianam. His finibus Res *Fidei & morum* circumſcribuntur.

Duplex eſt Quæſtionum de Fide genus.

Rurſus pro majori materiæ hujus claritate animadverte, bifariam accipi veritates Catholicas. * Aliæ ita ſpectant ad Fidem, ut his ſublatis, Fides quoque tollatur. Alias negare non poſſumus, quin Fides qua-

Duplex item Veritatum Catholicarum genus.

* *Conſtituendum ergo, Catholicas veritates non ſingulari modo, ſed bipartito reperiri. Quædam enim ſunt catholica veritates, quæ ita ad Fidem pertinent, ut his ſublatis, Fides quoque tollatur. Quas nos uſu frequente non ſolum Catholicas, ſed Fidei veritates appellavimus. Alia veritates ſunt etiam ipſa catholica & univerſales, nempe quas univerſa tenet Eccleſia, quibus licet verſis Fides quatitur, ſed non evertitur, tamen ..... has ergo nunquam Fidei veritates cenſui vocandas, quamvis Doctrina Chriſtiana veritatis ſint .....*

tiatur, ſed non evertitur. Quanquam autem has omnes veritates æquo modo ſuſcipiat Eccleſia generalis; nihilominus diſtinctionis gratia Theologi priores appellant *Veritates Fidei*, *poſteriores Veritates Catholicas*; idque intereſt diſcrimen inter utraſque; ut propoſitiones veritatibus prioris generis repugnantes, hæreticæ revera ſunt; aliæ vero, quæ veritatibus poſterioris generis contradicunt, erroneæ dici poſſunt, aut Hæreſi proximæ. Sunt etiam ſenſus alii, ſecundum quos propoſitio erronea eſt, & certis nominibus ſignatur; ſed e re noſtra non ſunt.

Quænam ſit Mens Concilii Tridentini in hoc Decreto.

Quæ animadverſiones nobis videri faciunt, Sanctæ Synodi, hoc Decretum edentis, conſilium fuiſſe, ut non modo coerceret petulantia ingenia, ne inſurgerent adverſus capita jam definita, ſive adverſus veritates Fidei, ſed ut ea quoque in officio contineret, erroreſque anteverteret: atque adeo ubi ad ſenſa ſua devolventur, & Sacrorum Bibliorum locis explicationes accommodabunt, quæ concutiant vel offendant veritates Catholicas; tum Eccleſiæ Traditio, Sanctorumque Patrum autoritas ipſorum impudentiæ frænos injicient, & prohibebunt, quominus fallaci, ſibique nimium confidenti prudentiæ ſuæ adhæreant.

Quod ſi hæc Concilii verba: *in rebus Fidei & morum* non intelligenda eſſent, niſi de Eccleſiæ Definitionibus, Dogmatibus Catholicis, ſive Veritatibus Fidei, ceteraque Interpretum libertati committerentur, nimirum aliæ Chriſtianæ Doctrinæ partes, ſive Veritates Catholicæ; id eſſet porro immoderatius licentiam producere, quam reipſa intendat Concilium. Si per hæc verba: *in rebus Fidei* Concilium articulos tantummodo, de Fide diſerte promulgatos, expreſſiſſet, idem eſſet, ac ſi dixiſſet Synodus: ſe cavere nobis; ne Hæreſes proferamus, dum Sacras Litteras interpretamur. Porro manifeſtum eſt, ad hunc duntaxat ſenſum redigenda non eſſe verba iſta: *in rebus Fidei*. Oportet itaque propoſitum fuiſſe Concilio, ut præoccuparet errores omnes in negotio Religionis, quibus obnoxii eſſe poſſunt Interpretes, diſcrimen ſubeuntes explicandi Sanctos Codices ex ingenio ſuo adverſus intelligentiam Eccleſiæ acceptam, unanimemque Patrum conſenſionem.

Decretum hoc non interdicit Scripturarum interpretationem.

Hoc autem Concilii Decretum Lex nova non eſt, neque Interpretum libertatem coangustat, vel prohibet ipſis, ne in Textus Sacri explicatione ſuam facultatem exerceant. Nihil ergo præſtat Concilium, niſi iis limitibus ingenia includere, intra quos nata Eccleſia eſt, quique naturam noſtræ Fidei ſequuntur. Fuit nanque ſemper Eccleſiæ neceſſitas, in iis,

quas omnes Catholici veras eſſe ſine dubio exiſtimant; ideoque veritates catholicæ vocari poſſunt atque debent. Quæ igitur propoſitiones hujus poſterioris generis veritatibus contradicunt, eas equidem erroneas appello; quæ quoniam Doctrinæ Catholicæ adverſantur, errores ſunt hæreſi proximi, Hæreſes non ſunt. Melch. Canus de Locis Theolog. l. 12. c. 11.

quæ

quæ ſunt Dogmatis & Doctrinæ Chriſtianæ, Scripturas intelligere ſecundum explicatum primigenium ipſis redditum.

Unde facile colligimus, Sanctarum Litterarum Interpreti libitum eſſe indulgere ingenio ſuo, atque addere, quidquid prodeſſe arbitrabitur, de Hiſtoria, de Genealogia, de Chronologia, de ritibus Judaicis, qui ad Verbum Divinum illuſtrandum alicujus momenti ſunt; vel demum de aliis rebus hujuſmodi, quæ indifferentes Religioni ſunt, nullamque in ejus ſummam inferunt mutationem. Idem dicito de locis obſcuris atque reconditis, de quibus Sancti Patres diverſa ſenſerunt, & Eccleſia mentem ſuam non aperuit. At vero quoad Catholicas eum prioris tunc alterius generis veritates, vel quoad eas, quæ mores attingunt, ſi modo Patres unanimes ſint, ipſorum ſola unanimitas, quæ veritatis certæ atque evidentiæ argumentum eſt, Legem efficit ſupremam, & nihilo, quam Eccleſia, minus vetuſtam, quam violare Interpretes nefas eſt.

Interea illud reliquum eſt, ut oſtendamus Divinam Magorum adorationem ſpectare ad res Fidei, quo perſuaſum ſit omnibus, Simonium, affirmantem ſimile veri eſſe, Magos Jeſum Chriſtum, tanquam Deum adoraviſſe, ab unanimi Patrum conſenſione, & ſenſu, quem Eccleſia tenet, tenuitque, recedere, atque adeo Concilii Tridentini Legem perſtringere.

§. II.

Veritas eſt ad Fidem ſpectans; Magos procidentes coram Jeſu Chriſto, ejus Divinitatem cognoviſſe, eumque Dei cultu adoraſſe.

CONqueritur perpetuo Simonius, nos ex conjecturis Patrum vetuſtam Traditionem Fideique caput conflare, & miſcere ea, quæ ad ſummam Dogmatum Fidei pertinent, quæque ipſi adventitia ſunt. Cum autem ſuum eſſet, contrariam partem optimis rationibus confirmare, ſatis habuit dicere, Theologos de ſuprema Magorum adoratione in varias abiiſſe ſententias; non potuiſſe eruditiſſimos, quos de nomine vocat, Interpretes, Traditionem tam firmam ignorare; eoſque ultra non diviſſe, quam quod ſimile veri erat, Magos Jeſum Chriſtum, tanquam Deum veneratos fuiſſe; & de re hac, veluti de ſententia probabili locutos fuiſſe. Nihilo tamen minus doctiſſimus Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis non dubitanter affirmavit, *Rem hanc ad Dogma Chriſtianorum aperte pertinere*. Quod ſtatim probaturi ſumus, cum primum ſtatuerimus conſtantiſſimis Critices Inſtitutis, Traditionem, æque atque Eccleſia, vetuſtam eſſe, Magos Chriſtum cognoviſſe, & divinum ejus numen adoraſſe.

Simonius Hiſt. Crit. ibid. pag. 159. 167.

Decum. 1. pag. 202.

Do

Do itaque regulas ab Eruditis * præſcriptas, ut veras Traditiones dignoſcamus.

Regulæ ad delectum habendum germanum Traditionum.

1. Quidquid tenet Eccleſia, neque a Conciliis, neque a Pontificibus conſtitutum, perpetuo tamen ſervavit, id merito Traditione Apoſtolica manaſſe creditur.

2. Oportet, ejus rei antiquos Patres teſtes eſſe, eamque ſemper uno ore docuiſſe.

3. Nihil pariter illi adverſum in Scriptis veterum Patrum reperiatur.

Quartæ etiam regulæ loco illam potes collocare, quæ ceteras omnes complectitur: nimirum, neceſſum eſſe, ut id quod Traditionem appellamus, jam pridem ſtatutum ſit, per manus traditum, & viciſſim confirmatum ab Autoribus omnium vel ferme omnium ſæculorum.

Regulæ iſtæ ad rem præſentem accommodantur.

Nunc vero haud quaquam difficile eſt, regulas iſtas ad argumentum noſtrum traducere. Si ab hac Æra ad ævum uſque Apoſtolorum aſcendamus plane fiet, Eccleſiam ſemper credidiſſe a Magis cognitam in Jeſu Chriſto adorando Divinitatem. Patres Eccleſiæ eidem facto teſtimonium dedere. Traditio hæc de manu in manum ad nos uſque deſcendit. Neque Eccleſia, neque Patres ſuper hac re in diverſa tranſierunt: nemo unus contra obnixus eſt; ſed omnes fuerunt unanimes. Denique, ut ſert regula Sancti Auguſtini, cum ſenſum loci hujus, *& procidentes adoraverunt eum*, neque Concilia, neque Pontifices expoſuerint de ſuprema Magorum adoratione, fit inde neceſſario, Eccleſiam ab Apoſtolis hanc Traditionem recepiſſe.

Aug. epiſt. 118, c. 1.

Regulæ, quibus dignoſcitur, num ſenſus loci alicujus ad Fidem pertineat.

Ad hæc intereſt examinare, num Traditio, quam ab Apoſtolis didicit Eccleſia, ad Fidei veritates pertineat. Quod ut aſſequamur ſatis erit huc conferre monita, quæ dederunt Theologi ** ad percipiendum, quandonam explicatio loci alicujus, qui perſpicue in Sacris Litteris haud enunciatur, ſpectet ad Dogma Chriſtianorum.

1. Si interpretatio hæc a Traditione Apoſtolica manavit.

2. Si veritas eſt, quam conſecutione certa, neceſſaria, atque errori minime obnoxia, a Scripturis depromere poſſumus.

3. Si ſenſus hic obſcurus ſit, ille, quem reddit Eccleſia germanus cenſendus eſt.

4. Si de eo Patres omnes unanimi intelligentia conſentiant. Quoties ſenſus alicujus loci Biblici altero ex his modis receptus eſt, certiores eſſe poſſumus, eum veritatibus Catholicis eſſe annumerandum.

* Melch. Canus *de Locis. l. 3. c. 3.* Launojus *Diſſert. de Supl. ſer. ſeſſ. 16.* Thierius. *Diſſ. de Lacryma Vindocinenſi cap. 13.* Simonius, *Hiſt. Crit. l. c.* Du pinus *Doctrina Chriſt. cap. 21. pag. 276.*

** Turre Cremata lib. 4. *Summæ Eccleſ.* p. 2. c. 9. Melch. Canus de locis l. 7. c. 3. l. 12. c. 6.

An-

Antequam vero regulas haſce omnes aſſumamus, animadvertendum eſt, duplex eſſe Traditionum Apoſtolicarum genus, quemadmodum monuimus alibi. Quædam ſunt, quas Apoſtolis tradidit Chriſtus Dominus; & quædam, quas Apoſtoli tanquam Epiſcopi, & Paſtores in Eccleſiæ commodum nobis reliquerunt. Traditiones, quas Apoſtolis tradidit Chriſtus Dominus, mutationem ſubire nequeunt, neque ab illis Eccleſia poteſt unquam Fideles ſolvere; quoniam hæc Dogma Chriſtianum contingunt. Id tamen non eſt aliis commune, quas Apoſtoli tanquam Epiſcopi reliquerunt, & ad diſciplinam moreſque alias pertinent. Porro cum Eccleſia ab Apoſtolis acceperit, verba hæc: *& procidentes adoraverunt eum*, interpretanda eſſe de Divina a Magis Jeſu Chriſto præſtita adoratione, huncque explicatum jandiu ſuffragio ſuo firmaverit, non eſt Eccleſiæ vel Paſtorum, illum mutare. Oportet itaque illum ad Apoſtolos a Jeſu manaſſe, adeoque ad Fidei veritates pertinere. Deinde quanquam adoratio ſuprema Magorum ex loco Sancti Matthæi clare non eruatur; eam tamen conſecutione certiſſima deducere poſſumus e multis aliis Scripturarum locis, uti impoſterum videbimus.

Duplex eſt Traditionum Apoſtolicarum genus.

Tertio cum per Chriſtum facultas Eccleſiæ data ſit ſecernendi Verbum divinum a verbis humanis, poteſtatem eadem habet, dijudicandi, quam interpretationem intenderit animo Spiritus Sanctus, quamque minime cogitaverit. Quare cum ſenſus loci hujus, de quo loquimur, obſcurus ſit, eum, quem ipſi Eccleſia dedit, ſemperque exiſtimavit a Traditione Apoſtolica proficiſci, habere debemus tanquam veritatem Fidei. Idem dicendum eſt, quoties convenit inter Sanctos Patres omnes de ſenſu loci alicujus Scripturarum: *Quippe cum Sanctorum omnium ſenſus Spiritus Sancti ſenſus ipſe ſit*. Quoniam igitur ſuperius unanimem Patrum conſenſum ob oculos poſui ſuper intelligentia loci de adoratione ſuprema, liquido fit, regularum, quas conſtituimus, uſu Traditionem hanc ad Fidei veritates pertinere.

Adoratio Jeſu Chriſti, tanquam Dei, Traditio Apoſtolica eſt, *Melch. Can de loc. l. 12. c. 6. percept. 5.*

Ibid. l. 7. ca. 3. 3. Concl. 5.

§ III.

Tolluntur querelæ Simonii, nobiſcum expoſtulantis, quod affirmemus, ſupremam Magorum adorationem Chriſtianæ Religionis Dogma conſtituere.

Ecclesia, inquit doctus iſte Criticus, nihil ad Fidem ſpectans dijudicavit ſuper controverſia, de qua in præſentiarum ſermo eſt. Ubi ne reperis damnatam fuiſſe dubitationem de Jeſu Chriſti tanquam Dei adoratione? Quodnam Concilium contrariam partem decrevit? Eccur itaque non licebit id tueri probabile, donec Eccleſia ſuper hac re animi ſui notionem evolvat? Fas ne eſt dicere, tot peritos Theologos, maximeque Orthodoxos, amplexos ſententiam fuiſſe, Fidei veritate abhorren-

Bibl. Crit. Tomo 2. c. 8. p. 313. & ſeq.

Ait Simonius nos Fidei caput illud efficere, quod revera non eſt.

rentem, vel eam ſuffragio ſuo confirmaſſe? Si dicendum ſit, Traditionem unanimem convellere eum, qui propugnet, ſecundum veri ſpeciem Magos Jeſu Chriſti Divinitatem cognoviſſe; unde fit, e populi manibus non eripi Libros, in quibus deſcripta eſt, tam periculoſa & lubrica doctrina, quæ Fidei caput violat, & peſſimi exempli, errorique conjuncta cenſenda eſt? Ceterum nihil negotii erit in querelis iſtis tollendis.

Fit ſatis querelis Simonii.

1. Verum quidem eſt, Eccleſiam non declaraſſe tanquam Fidei caput, Magos Jeſum Chriſtum adorantes, ejus Divinitatem cognoviſſe. Aſt illud non reputavit egregius noſter Criticus, haud conſueviſſe Eccleſiam pronunciare de Veritatibus quæ in controverſia poſitæ non ſunt, quæque ingenua Fide omnium Fidelium ſermone percrebuerunt. Ut nanque optime animadvertit Cardinalis Pallavicinus. *Neceſſe non eſt, ut ſingulos articulos ſemper Eccleſiæ declaratio antecedat; alioquin ad Fidei Dogmata cognoſcenda nullam haberet vim divinæ Scripturæ Lectio, ſed Eccleſiæ duntaxat Definitio; & per aliquot ſæcula, quibus paucula quædam Eccleſia definivit, licuiſſet de reliquis omnibus dubitare.*

in Hiſt. Conc. Trid. l. 6. c. 18. verſionis Latinæ.

Eccleſia capita Fidei non ſtatuit.

2. Principii locum habet, Eccleſiam Fidei capita non ſtatuere, ſed declarare quod ſecundum Fidem tenendum ſit. Ex quo principio illud ſequitur, multas extare veritates Catholicas, quæ ſunt Fidei, & de Fide tamen declaratæ non ſunt; quanquam id Eccleſia præſtare poſſet, ſi congruum eſſe cenſeret; & veritas hæc conditionibus neceſſariis non careret.

Adoratio Magorum Fidem attingit.

Porro nemo inficiabitur, Adorationem Jeſu Chriſti, tanquam Dei, iis omnibus inſtructam eſſe, quæ requiruntur, ut Fidei articulis annumeretur. Apoſtoli Traditionem hanc, a Jeſu Chriſto ad eos derivatam, Eccleſiæ tradiderunt. Quis dixerit, Eccleſiam non aſſentiri, vel non aſſenſam fuiſſe ſemper iis, quæ per univerſum orbem tot abhinc ſæculis canit, atque in precibus ſuis jamdudum confitetur? Poteſt ne quis affirmare, indifferentem eſſe Fidem de Quæſtione: nonne Magi Jeſum Chriſtum tanquam Deum adoraverint, & coram ipſo in Juſtorum numerum cooptati fuerint? Num inficiabunt, detracto a Magis cultu iſto tanti momenti, detrahi quoque ab Eccleſia argumentum de Jeſu Chriſti Divinitate; magnum Chriſtianis exemplum ad eorum pietatem fovendam; & teſtatiſſimam autoritatem ad ſtatuendam Fidei, qua juſti efficimur, plenitudinem? Aſſerere non dubitabunt, Sanctorum Librorum locum, unanimi Patrum Traditionisque conſenſione explanatum, negotium Religionis minime tangere? Pertinet itaque ad Fidem res iſta, eumque poteſt Eccleſia Fidei ſuæ caput declarare.

3. Quanquam adoratio ſuprema inter Fidei capita recenſita non ſit, & contraria enunciatio infra Hæreticas reprobata; eorum tamen, ad

quos

quos attinet, judicium sit; neque enim de rebus Fidei Censoris personam induere volo; utrum propositio ista nec ne, quatenus veritati Catholicæ adversatur, quæ ad Christianam Doctrinam Fidemque spectat, appellati merito possit *erronea, vel ad Hæresim inducens, vel periculosa in Fide, male sonans, temeraria, scandalosa, & contraria Traditioni unanimi Patrum, & precationibus Ecclesiæ &c.* Neque etenim prodest quidquam reclamare, propositionem eandem reperiri apud Interpretes Catholicos; eum apud illos quoque nihilo mitiore censura digna sit. Quot ne in dies videmus Ecclesiæ anathemate percelli; quamvis eas enunciaverint petitissimi Theologi sapientissimique?

Quidquid Fidei contradicit, semper Hæreticum non est.

4. Quod si commodum aliquod capere Simonius ex hoc putaret: Libros nimirum, Interpretesque vulgatissimos ab hac dubitatione alienos non esse; sibique persuaderet, Pastorum Eruditorumque silentium præferre approbationem S. Sedis atque Ecclesiæ; adeoque posse illum in probabilibus habere sententiam suam: in memoriam, quæso, revocet, Propositiones istas severa inustas nota fuisse ab Alexandro VII. atque ab universo Clero Gallicano. *Ibid. pag. 134.*

Propositiones damnatæ a Pontificibus, atque a Clero Gallicano.

Si liber sit alicuius Junioris ac Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem. Prop. 120.

Non sunt scandalosæ aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia non corrigit. Prop. 121.

CENSURA.

Hæ propositiones, quatenus silentium & tolerantiam pro Ecclesiæ vel Sedis Apostolicæ approbatione statuunt, falsæ sunt, scandalosæ, saluti animarum noxiæ; patrocinantur pessimis opinationibus, quæ identidem temere obtruduntur, atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam viam parant. Cap. 30. Censuræ Cleri Gallicani 1700.

Conqueritur tandem doctus noster Criticus, nos ex iis, quæ sunt in Ecclesiastico Officio, Fidei articulos conflare. Quem prætetit, inquit, Ecclesiam, non secus atque Scriptores, habere opiniones suas, atque in Officium Ecclesiæ illata fuisse multa, quæ privatorum hominum opus sunt? Velles ne, ait alibi, Fidei caput efficere ex iis, quæ legit Ecclesia in Officio Assumtionis Mariæ Virginis, e S. Joanne Damasceno depromta, & vetusta Traditione constituta? Ecce quam gravem prætexant recentiores Critici excusationem, ut se ab iis expediant, quæ in Libris usui suo destinatis Ecclesia collocavit; utque Autores existiment jus esse sibi, utcumque libuerit, illa rejicere. Nos autem alibi vanum obtentum istum firmiter sustulimus. *Ubi supra pag. 351.*

Aliæ Simonii querimoniæ. *pag. 168, 169.*

Ac ſi par eſt quidpiam addere, quod ad Simonium pertineat, potuiſſet Ille ſane ab hac objectione movenda abſtinere, quæ in ipſum retorqueatur; ſi modo attendiſſet animo, longe admodum diverſi generis rebus Officium Eccleſiaſticum conſtare. Aliæ nanque a Sacris Litteris decerptæ ſunt, vel ipſis non mediocri cognatione conjunctæ; aliæ ad Fidem & Religionem pertinent; quædam priſca conſtantique Traditione, unanimique Patrum ſuffragio receptæ ſunt. Ceteræ demum ab Eccleſiaſticis Scriptoribus perpaucis relatæ, quæve ad Hiſtoriam, Chronologiam, Conſuetudines, & Solemnitates ſpectant.

Quidquid in Breviario eſt, Fidei nequaquam eſt.

Non diffiteor, Eccleſiam in Libris Eccleſiaſticis pleraque nobis proponere, tanquam opiniones; neque illi unquam in animum deſcendiſſe, ut ex his Fidei capita ſtatueret, cogeretque Chriſtianos homines ad ea in veritatum Catholicarum numero habenda. Quod tamen eorum eſt, quæ ſumſit a Sacris Bibliis, vel a conſtanti Traditione, aut unanimi Patrum conſenſione firmata ſunt, atque attinent ad Interpretationem Scripturarum; Eccleſia quidem ſemper hæc non proponit; ut capita Fidei, nec tanquam Catholicam veritatem definit: ſed illa tamen neceſſario Fideles merito proſequi debent honore; videlicet, ut veritates Fidei, ſi modo ſint; vel ut facta & piæ opiniones, cum ad Dogmata non ſpectant.

Aſſumtio Mariæ Virginis non pertinet ad Res Fidei.

Magorum igitur ſuprema adoratio, ut jam ſæpe adnotavimus, Dogma certe Chriſtianum attingit, proindeque in Fidei Articulorum cenſum referenda eſt; quanquam eundem Eccleſia non deſerat honorem Hiſtoriæ de Maria in Cœlum aſſumta, quod Factum hiſtoricum eſt, ab ipſa inſtar opinionis narratum, cujus adjunctis omnibus, a Damaſceno memoratis, autoritatem ſuam nullo modo adjungit. Differunt quoque maxime Feſtum hoc, atque Magorum divina adoratio. Hæc non attinet modo ad Dogma Chriſtianum, ſed Traditione etiam communi roboratur: contra vero Hiſtoria Aſſumtionis a paucis Scriptoribus Eccleſiaſticis recitatur, qui narrationem iſtam, non tanquam Catholicum Dogma, ſed tanquam Hiſtoriam proferunt, quæ ad fovendam Fidelium pietatem momentum habere poteſt.

§. IV.

Oſtenditur Divinitas Jeſu Chriſti ex adoratione ſuprema Magorum; & quaſnam afferat lubricas conſecutiones dubitatio Simonii.

CUM hactenus ſummam Magorum adorationem probaverimus perpetua Eccleſiæ Traditione, Patrum teſtimoniis, immutabili ſæculorum omnium conſenſione, & ipſis Theologiæ principiis; eumque diluerimus ea, quæ magis æquitati affinia Simonius in medium protulit, ut ſul-

fulciret dubitationem ſuam ; mihi viſus ſum , maximæ illud fore utilitatis, ſi in pauca hic conferam, quæ in anteactis copioſe diſſerui.

Quo vero vim omnem ſuam afferam hiſce argumentationibus, eas ad viam quandam & rationem exegi , quæ eo videbitur ad convincendum magis idonea, quo preſſa & adſtrictior eſt. Nihil porro enunciabo, quod in Fidei capitibus fundamentum non habeat, vel ſaltem in principiis minime controverſis; e quibus eliciam conſecutiones, quæ tam firmiter ex Divina Magorum adoratione adverſus Socinianos Divinitatem Jeſu Chriſti confirmabunt , quam lubricas periculoſaſque Simonianæ ſententiæ conſecutiones aperient. Quæ argumenta omnia vim faciunt in illo Matthæi loco : *Et procidentes adoraverunt eum*. Argumenta pro ſuprema Magorum adoratione. *Matth. 2. 11.*

I.

Scripturæ Divinæ, Fideſque nos docent, Regem & Meſſiam , per Prophetas Judæis promiſſum , in Utero Deiparæ Virginis conceptum , a Paſtoribus adoratum, in Templum oblatum, & pro nobis in Crucem actum interremptumque: Regem, inquam, & Meſſiam iſtum verum Filium Dei fuiſſe. Argumentum primum.

Atqui perhibet Fides, eum, quem in Præſepi Magi adorarunt, quique adorationis eorum terminus fuit , eundem fuiſſe ac Regem & Meſſiam per Prophetas Judæis promiſſum, in utero Virginis conceptum &c.

Conſequens igitur eſt , Infantem , coram quo Magi adoraturi procideruntt, & in quem adoratio illorum ferebatur, verum fuiſſe Dei Filium.

Non crediderim, inficiari quem poſſe, propoſitionem , & aſſumtionem argumenti hujus a Fide profectas eſſe. Quamobrem eum rite ab illis complexio deducta ſit , veritatem affert , quæ ſine ulla dubitatione Dogma Chriſtianum eſt.

II.

Veritatis Catholicæ Fideique caput eſt , neminem vel certe adultum , juſtitiam obtinere poſſe per Fidem in Jeſum Chriſtum, quin ejus Divinitatem cognoſcat ; dicente Paulo : *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt , & quia remunerator eſt :* Atqui , ferente id Eccleſiæ Patrumque Traditione, Magi procidentes coram Jeſu Chriſto, ipſumque adorantes, juſtitiam per Fidem in Jeſum Chriſtum aſſecuti ſunt ; neque enim ex Fide in hominem tantum Juſtitiam Sanctitatis aſſequi poterant. Argumentum alterum.

Igitur Magi ante Jeſu Chriſti pedes provoluti , ipſique honoris tributum reddentes, ejus Divinitatem cognoverunt.

Propoſitio Dogma Catholicum præſefert ; aſſumtio unanimi Patrum mente , conſtantique Eccleſiæ Traditione roborata eſt . Dicendum ergo , complexionem ad Fidei veritates pertinere .

III.

Tertium argumentum. Cum Apoſtoli explicationem loci alicujus Biblici a Jeſu Chriſto receperunt, eorumque Apoſtolica continentique Traditione per manus hominum ad nos derivavit explicatio illa: certum eſt, hanc veritatibus Fidei accenſendam eſſe.

Atqui luculenter probavimus, ſenſum verborum iſtorum: *Et procidentes adoraverunt eum*, ad nos uſque deſcendiſſe conſtanti Apoſtolorum Traditione, quam nobis, non tanquam Epiſcopi & Paſtores, ſed tanquam organa Spiritus Sancti reliquerunt.

Igitur ſenſus verborum iſtorum: *Et procidentes adoraverunt eum*, inter Fidei veritates ſedem habere debet.

De locis l. 12. c. 6. percept. 1. Superius planum fecimus ex Cano: *Si ex Apoſtolorum Traditione communis Eccleſiæ uſus unam quamlibet Scripturæ interpretationem præſetulerit, eam ut Fidei veritatem tenendam eſſe*. Regulis quoque Criticis oſtendimus, Traditione Apoſtolica manaſſe explanationem verborum iſtorum: *& procidentes adoraverunt eum*. Æquiſſima igitur eſt ducta ex his duabus enunciationibus conſecutio.

IV.

Quartum argumentum. Veritas, cui Eccleſia univerſalis fidem * ſemper adhibuit, quæque in dubium revocari non poteſt, quin Fides quatiatur, quanquam non evertatur: veritas, inquam, hæc continet Dogma, quod ad Catholicam Fidem certo pertineat. Revocentur huc principia, quæ alibi ſæpe ſtatuimus, ut liqueat, propoſitionem atque aſſumtionem extra controverſiam eſſe. Certa itaque complexio.

V.

Quintum argumentum. Enunciatum aliquod, etſi legeretur in trium vel quatuor recentiorum Scriptorum Operibus, in quo exponitur locus Sanctarum Scripturarum eo ſenſu, qui repugnat illi, quem Traditio Eccleſiæ, Patreſque unanimes ipſi dederunt **: enunciatum, inquam, hoc cenſura dignum eſt.

Atqui contendere, locum hunc: *& procidentes adoraverunt eum*, Interpretandum eſſe, quod probabile tantum ſit, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum cognoviſſe; ſenſum affert ei haud dubie contrarium, quem loco iſti Traditio Eccleſiæ univerſalis, Patreſque dederunt.

* *Cum Scriptura Divina ſenſus fuerit obſcurus, tunc Eccleſia intelligentia eadem eſt germana Scripturæ intelligentia; ex qua habebitur & catholica veritatis inſigne certum, & ad probandas concluſiones Theologiæ certi ejus, quem exquirimus, argumenti delectus.* Canus de locis l. 12. c. 6. 1. percept.

** *Conſentiens eadem Sanctorum omnium conſpiranſque Scripturarum intelligentia, ipſiſſima eſt Fidei Catholicæ veritas.* Canus ibidem 4. percept.

Col-

Colligere igitur neceſſe eſt, enunciatum hoc, quamvis Recentioribus multis acceptum eſſet: Veriſimile tantummodo eſſe, Magos Jeſum Chriſtum adorantes ejus Divinitatem perſpectam habuiſſe, reprehenſionem mereri, ut nihil magis.

VI.

Poſtremum argumentum.

Denique, locum Bibliorum, ad Catholicam Fidem ſpectantem, interpretari adverſum unanimem Patrum conſenſionem de re, quæ Fidem Catholicam attingit, eſt manifeſte tranſgredi Decretum Concilii Tridentini de explicatione Sanctarum Scripturarum.

Atqui affirmans, verba hæc: *& procidentes adoraverunt eum*, ſenſum edere tantum probabilem de cognita a Magis Jeſu Chriſti Divinitate, rem affirmat contra unanimem Patrum intellectum in re, ad Fidem Catholicam ſpectante.

Propugnare igitur, probabile ſolummodo eſſe, Magos Divinitatem Jeſu Chriſti cognoviſſe, Concilii Tridentini Decretum aperte petit.

Animus non eſt, Auctor in Bibliothecæ Criticæ nota aliqua inſerere.

Ego vero cum ſuperius declaravi, tum hic quoque rurſus profiteor, mea non eſſe, Cenſoris perſonam induere de Rebus Religionis; neque Propoſitionibus, quæ in privatorum Scriptorum libris leguntur, certum nomen titulumque tribuere: cum id operis eorum ſit, quorum intereſt de Fidei Morumque doctrina pronunciare. Crediderim tamen, neminem ægre ferre poſſe, me aggreſſum fuiſſe ad demonſtrandam Scripturis, Traditione, ipſiſque Theologiæ principiis explicationem loci cujuſdam Biblici, qui maximi momenti eſt, & quo abuſi ſunt Heterodoxi, ut argumentum de Jeſu Chriſti Divinitate Eccleſiæ ſurriperent.

Quod ſi conſecutiones, quas e duobus inconcuſſis Religionis principiis duxi, ſcopulos illos detegunt, in quos impingit Simonii Paradoxum, ſibi ipſi id vitio vertat, qui periculoſam adeo, totique contrariam Traditioni ſententiam adoptavit. Si namque Doctorum Sanctorum intelligentiam levibus impudentioris Critices conjecturis prætuliſſet, omnium in ſe Eruditorum reprehenſionem, & quorundam Clariſſ. Præſulum cenſuram non derivaſſet.

Simonius Theologiam deſeruit, ut Criticæ adhæreſceret.

Quandoquidem etenim de negotio Religionis agebatur, ipſius certe erat, ad ſententiæ ſuæ defenſionem Fidei & Theologiæ principia revocare: ſed ſolida hæc ille fundamenta deſeruit, ut regulis Criticis adhæreſceret. Quid porro inde præſidii ſibi comparavit? Fallacia ſane magnæ artis ſuæ lumina nihil ipſi indicarunt, quod unanimi Eccleſiæ conſenſioni opponeret: niſi, Theologos aliquos diſſentire invicem in dubitando de ſuprema Magorum adoratione; Traditionem eos iſtam, licet ſapientes eſſent

ſent & Orthodoxi, non cognoviſſe; dictum ſuum reperiri in duobus vel tribus Libris, qui manibus omnium teruntur; nos Patrum conjecturas in Fidei capita convertere; ſententiam ſuam Concilio Tridentino non refragari; Eccleſiam demum nihil ſuper hac re, tanquam de Fide, pronunciaſſe.

Quæ quidem animadverſiones nihil niſi probatiſſimum afferre videntur; ſed oportebat illas tueri Theologiæ principiis, non vero Criticæs incertæ & fluctuantis præceptis. Quare in rem erat, poſtquam ipſi levia hæc momenta detraximus, quæ magis illi nocent, quam faveant, uti, niſi fallor, oſtendi: in rem, inquam, erat, immo permagni erat, conſtituere Dogma de ſuprema adoratione, quam maxime fieri poterat, apte & concluſe: atque ob oculos ponere lubricas conſecutiones Paradoxi hujus, Scriptoribus omnibus Catholicis ad hanc uſque diem ignoti. Denique in ſpem inducor fore, ut æqui homines perſuaſum habeant, Adorationem divinam Magorum Dogma eſſe Fidei Catholicæ, quod ſubverti non poteſt, quin quicunque id auferit, Concilii Tridentini Decretum violet, atque Eccleſiaſticæ cenſuræ diſcrimen ſubeat.

Operæ pretium erat ſupremam Magorum adorationem conſtituere.

DISSERTATIO V.

De Jeſu Chriſti Præſentatione in Templo, ejuſque in Ægyptum fuga.

ARTICULUS PRIMUS.

Feſtum Purificationis inſtitutum fuit ad abroganda Feſta Lupercalia Paganorum.

QUadrageſimo a Jeſu Chriſti Nativitate expleto die, tulit eum Virgo Deipara in Hieruſalem, ut ſiſteret Domino. Multis vocabulis appellatum eſt Feſtum hoc. Aliquando nomine Feſti Sancti Simeonis & Annæ; deinde titulo Præſentationis Jeſu Chriſti in Templo; a Græcis *Hypanti*, ſive *Hypapanti*, quæ verba *occurſum*, vel *obviationem ab aliquo factam ſignificant*: Vulgo tandem dicitur, *Purificatio Mariæ Virginis*, alias *La Candelaja*.

§. I.

§. I.

De Feſti hujus Inſtitutione.

FErunt, Matronam quandam in Paleſtina, Juliam nomine, initium huic celebritati dediſſe Hieroſolymis medio circiter V. ſæculo. Verum præterquamquod factum hoc non ſatis certum eſt, inſtitutio pariter iſta radices non egit. Placuit aliis Feſtum hoc ſolemne fuiſſe Hieroſolymis ſaltem, atque in Paleſtina ſub idem tempus, illud reputantibus, quod narratur in Vita S. Theodoſii Cænobiarchæ, qui miro modo pavit gentes innumeras, ad Virginis Feſtum celebrandum congregatas. Ceterum nihil eſt, quo conſtet Feſtum illud fuiſſe Virginis ſe purificantis.

Non una eſt hac de re ſententia. Allatius in Methodio.

Apud Surium 2. Januarii c. 29.

Paſſim tribuitur Feſti hujus Inſtitutio Juſtiniano Imperatori, ejuſque in cauſſa fuiſſe magnam hominum ſtragem, quæ Byzantium depopulata eſt anno 542. Si Cedreno fides, jam Antiochiæ obtinuerat ab anno 527. poſt horrendum terræmotum, qui anno antecedente urbem ſubverterat. Sed magis ſimile vero fit, Gelaſium Pontificem, qui Eccleſiæ præerat triceſimo ante Juſtiniani Imperium anno, Feſtum Purificationis Mariæ Virginis inſtituiſſe *. Convenit nanque, Pontificem iſtum, abrogatis Luperealibus, ** quæ Romæ Ethnici celebrabant, quæque Imperatores Chriſtiani tollere omnino non potuerant, pro pudendis iſtis Paganiſmi reliquiis, quæ revera Menſe Februario peragebantur Sacrificiis, ab hujus menſis nomine, *Februa ſacra*, dictis, Feſtum Purificationis induxiſſe. Idem Pontifex Tractatum quendam conſcripſit adverſus Senatorem Andromacum, alioſque Romanos, qui Feſta illa celebranda eſſe contendebant. Qui tractatus reperitur in Epitome Concliorum, eumque fuſe in Annalibus ſuis recitat Baronius.

Niceph. Hiſtor. l. 17 c. 28. Sigeb. in Chron. ad an. 542. Cedr. in Comp. ann. 9. Juſtini Imper.

Varro l. 5. de Lingua Latina.

Ad Gelaſium refertur Feſti hujus Inſtitutio.

Tom. 3. Baron. 496. n. 30.

Satis itaque ſimile vero fit ex opinione Baronii, *** Feſtum Purifica-

* *Conſtat, Gelaſium Pontificem hujus diei celebranda in Occidentali Eccleſia aperuiſſe viam; dum Lupercalia Menſe Februario agi ſolita, ut ſcribit Varro, Romæ ad ea tempora permanentia, Legis Eccleſiaſticis abrogavit.* Bar. Mart. 2. Febr. Thomaſ. de Feſt. l. 2. cap. 11. Bailletus 2. Febr. Thierius, & alii.

** Lupercalia ſolemnia quædam ſacra erant, apud Romanos in more poſita XV. Kalend. Martii in honorem Panis Paſtorum Dei. Opinio eſt, ſacra hæc ab Evandro quodam ex Arcadia in Latium advecta fuiſſe. *Dion. Liv. Plut. & alii apud Roſſinum Antiq. Roman. l. 4. cap. 6.* Sunt qui credant, Romulum id Feſtum Romæ inſtituiſſe in honorem Laurentiæ, Fauſtuli Paſtoris uxoris, a qua cum Fratre Remo nutritus fuerat. Luperci ſocietates erant, quarum aliæ Fabianorum, aliæ Quintilianorum, Julianorumque appellabantur. Sacerdotes in Feſtis iſtis nudi munere ſuo fungebantur; ut ait Ovidius:

Tertia poſt Idus nudos Aurora Lupercos
Aſpicit, & Fauni Sacra Bicornis erunt.

*** *Puramus uſum illum ſuperſtitionis Gentilium ſacris ritibus expiatum, Sacroſanctum redditum, in Dei Eccleſiam eſſe laudabiliter introductum.* Bar. in not. Mart. 2. Febr.

tionis

De conſilio Eccleſiæ in inſtituenda hac Feſtivitate.

tionis inſtitutum fuiſſe, ut ſanctitate magni hujus myſterii profanæ illæ ceremoniæ delerentur, quæ in Luperealibus apud Gentiles obtinuerant. Quod ut certo credamus, facit etiam, Lupereália celebrata fuiſſe ad tempus uſque Anaſtaſii Imperatoris, regnante in Italia Theodorico anno circiter 496. & deinceps nullibi fieri illorum mentionem. Tum etenim ea ſuſtulit Gelaſius, atque in ipſorum locum Purificationis ſolemnitatem ſuffecit. At pro die XV. ante Kalendas Martias, Lupercalibus Ethnicorum deſignata, præſtituit egregius iſte Pontifex Feſto Purificationis quartum ante nonas Februarias, qui erat quadrageſimus ab ortu Jeſu Chriſti; adeoque dies ejus Præſentationis in Templo, & Mariæ Virginis Purificationis.

§. II.

Thomaſſinus & Bailletus non diſtinxerunt Saturnalia & Feralia Feſta a Lupercalibus.

Lupercalia celebrabantur menſe Februario, & qua de cauſſa.

FEſtum *Lupercalium*, ſi tamen hoc nomine dignæ ſunt res execrandæ atque abominandæ, habebatur menſe Februario, qui luſtrationem ſignificat *. Macrobius & Feſtus animadvertunt, *Februarium Menſem dictum, quod tum, ideſt extremo Menſe anni, populus februaretur, ideſt luſtraretur*; Feſtumque fieret Junonis Februatæ, nec non mulieres eodem die pelle caprina a Sacerdotibus luſtrarentur **. Superſtitio igitur iſta inſtituta fuerat nomine Luſtrationis, ſive Expiationis, vel Purificationis, ut optime adnotavit Plutarcus. ***

Macrob. l. 1. Saturn. cap. 13. Feſtus.

Sententia Thomaſſini & Bailleti de Lupercalibus *Thom. de Feſtis l. 2. c. 11. Baill in Vitis SS. 2. Febr. ad Feſt. Purif.*

Author tamen eſt Thomaſſinus eruditiſſimus, apud Hiſtoricos eum Græcos tum etiam Latinos conſtare, luſtrationes iſtas peractas fuiſſe immolatione hominum Saturno; ſed poſtea exptum eſſe, cereos tantum accenſos Saturno immolare, Thomaſſini quoque ſententiæ ſubſcribit Bulletus.

Non diſtinxerunt Saturnalia a Lupercalibus.

At vero non longe a veritate abeſt, eruditos Scriptores iſtos inter *Saturnalia* Feſta & *Lupercalia* diſcrimen non feciſſe, quamquam differant admodum inter ſe. 1. Illa fiebant in honorem Saturni: hæc Panis Dei Paſtorum. 2. Priora celebrabantur ab Italis atque a Græcis ante Romam conditam, quippe inſtituta a Rege Jano paullo poſt Saturni mortem: poſteriora vero Romulum Inſtitutorem agnoſcunt. Menſis Decembris Saturnalibus ſacer erat, dieſque XVII. ejuſdem menſis ab initio

* *Februarius nominatur a Sacris Februis Lupercorum.* Aug. l. 18. contra Fauſt. cap. 5.

** *Eujuſque ſacra erant Lupercalia, quo die mulieres februantur a Lupercis, amiculo, ideſt, pelle caprina.* Ibid.

*** *Lupercalia, ſi ad tempus reſpiciatur, Luſtrationis cauſſa inſtituta videri poſſunt.* Plut. in Romulo.

ipſis

ipſis præſtitutus fuit. Cum autem Cæſar duos dies huic menſi addidiſſet, Feſtum propterea tranſlatum fuit ad XVI. Kalendas Januarii. Denique Auguſtus decrevit, Feſtum hoc duraturum tres continenter dies, a 17. Decembris ad 19. Ex adverſo Lupercalia conſtiterunt ſemper die XV. Februarii.

Victimæ quis immolabant in Lupercalibus.

Tandem cum Græci tempore Saturnaliûm antiquitus Saturno victimas humanas immolarent, Hercules, ob oculos eorum poſita execratione iſta, conſilium dedit, ut in hominum locum cereos Deo illi accenderent*. Nuſquam itaque reperies, Romanos in Feſtis Lupercalibus victimas humanas ſacrificaſſe, ſed capras, quarum pelle lora conficiebantur, quibus Sacerdotes cetera nudi, præcincti erant. Canis quoque immolabatur, tanquam ſi gratias agerent nutrici Romuli & Remi, in cujus obſequium Lupercalia inſtituta fuerant.

Munera ſibi invicem largiebantur tempore Saturnalium.

Æquidem non negarim, Romanos Saturnalium tempore dona viciſſim mittere conſueviſſe, cereos præſertim & fila cerata, quem morem a Pelaſgis acceperant. Immo ferunt, conſuetudinem Romanorum, qua ſe ſinguli in Saturnalium diebus munerabantur, originem Strenis dediſſe, eodem ferme tempore miſſis. Et tamen nuſquam legimus, Romanos in Lupercalibus cereos adhibuiſſe.

Sententia Bailleti de Lupercalibus. *Baill. ibid.*

Autor eſt Bailletus, Lupercalia celebrata fuiſſe in honorem Panis, ſed Sacrificia, deinceps illis adjuncta, *Februo* Deo, qui Pluto, dicata. Nos latet in quo fundamentum hac de re ponat Scriptor iſte. Macrobius quidem nos docet, decreviſſe Numam, ut Menſis Februarius octo & viginti duntaxat diebus conſtaret, quippe Diis Inferorum vel Plutoni ſacer; ſed nullum veſtigium eſt, facta eo die Sacrificia fuiſſe, quo Lupercalia celebrabantur, ſed primo tantum ſupra viceſimum Februarii die, qui *Feralibus* ſolemnis erat. Feſtum hoc in Deorum Manium obſequium Romani inſtituerant, colebantque immittentes in rogos accenſos munuſcula aliqua, uti coronas, florum faſciculos; & ad ſepulchra, ubi victimas quoque immolabant, carnes deferentes. Macrobius idem a Numa Feſti hujus originem repetit, quamquam, Ovidio teſte, antiquior ſit, cum ab Enæa deſcendiſſe tradat his carminibus, quibus *Feralium* ceremonias exequitur.**

Apud Roſſinum ubi ſupra.

Macrob. Saturn. l. 1. c. 13.

Feſtum Deorum Manium.

Numa autor eſt Feſti Manium.

* *Aras ſaturnias, non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolentes, quia non ſolum virum, ſed & lumina φῶτα ſignificat. Inde mos per Saturnalia miſſitandis cereis capit.* Macrob. Saturn. l. 1. cap. 7. Roſſinus antiq. Roman. ubi ſupra.

** *Eſt honor & tumulis animas placare paternas,*
Parvaque in extructas munera ferre Pyras.
Parva petunt Manes, pietas pro divite grata eſt
Munere: non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſa fruges, parvaque mica ſalis.
Nec majora vero, ſed & his placabilis umbra eſt:
Adde preces, poſitis & ſua verba focis.

Quæ animadverſiones faciunt, ut colligamus, Feſtum Præſentationis Jeſu Chriſti in Templo, & Deiparæ ſe purificantis, inſtitutum fuiſſe ad *Lupercalium*, non vero, quod ſentiunt Thomaſſinus & Balletus, ad *Saturnalium* vel *Feralium* memoriam abrogandam.

§. III.

Feſtum Purificationis ſubſtitutum non fuit Solemnitati Luſtrationum: Et de Supplicatione, quæ hac die fit.

SAnctus Idelphonſus Archiepiſcopus Toletanus, qui evaſit ad Superos anno 667. & S. Eligius Antiſtes Noviomenſis, qui eodem tempore florebat, teſtes ſunt locupletiſſimi Traditionis ferentis, Purificationis Feſtum inſtitutum fuiſſe ad tollendos honores ſuperſtitioſos, quos Diis ſuis Ethnici reddebant. *Quam luſtrandi conſuetudinem*, quæ ſcilicet Romæ obtinuerat menſe Februario, inquit S. Idelphonſus, *congrue & religioſe Chriſtiana mutavit Religio*. Ven. Beda, qui paullo poſt duos iſtos Sanctos Epiſcopos vixit, eandem mutationem narrat totidem pene verbis.

Idelph ſerm. de Purif.
Eligius ſerm. 2. de Purif.
Beda de ratione temp. c. 10.

Ubi animadvertas velim, tres Scriptores iſtos non aſſerere, Eccleſiam ſubſtituiſſe in locum *Lupercalium* Feſtum Purificationis, ſed *Luſtrationum* Urbis Romæ, quæ menſe Februario fiebant ritu Sacrificiorum, eundemque Menſem a nomine *Februi*, videlicet Plutonis, appellabant *. *Cum enim*, ſubjungunt, *Romani omnes gentes ſubjugaſſent, tributum eis impoſuerunt eo tenore, ut quinto quoque anno idem tributum ſolveretur; quo expleto, & cenſu perſoluto ab omni populo, civitas luſtrabatur, & Diis Manibus ſacrificia offerebant.*

Purificatio ſubrogata non fuit Luſtrationi Urbis.

Patres iidem ubi ſupra.

Difficile ſane intellectu eſt, quodnam Feſtum profanum verbis iſtis ſublatum ſit per Inſtitutionem Purificationis Deiparæ. Videntur enim duo apprime diverſa Feſta hic non diſtinxiſſe, *Feralium* nimirum & *Luſtrationum*. Hæ ſolemnitates erant ſacræ, & expiationis purificationiſque Sacrificia, quibus Gentiles abſtergebant tum homines tum etiam res, vel crimine, vel cadaveris infectione, vel alio quovis modo inquinatas. Aliæ publicæ erant, aliæ privatæ. Hujuſmodi erant Luſtratio hominis, exer-

Non unum eſt Luſtrationum genus.

Hunc morem Æneas, pietatis idoneus autor,
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Ille Patris genio ſolemnia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicere pios.
Perque vias Urbis, Latioſque ululaſſe per agros
Deformes animas, vulgus inane ferunt.
Poſtea prætiti tumulis redduntur honores,
Prodigiiſque venit, funeribuſque modus.
Ovid. Faſt. 2.

* *Agitur hæc Feſtivitas menſe Februario, quem Romani adhuc Pagani a Februo, ideſt Plutone ſic vocaverunt. Februare enim purgare dicimus.* Patres iidem ubi ſupra.

eitus,

citus, gregis. Publicæ vero a Romanis celebrabantur poſt cenſum generalem Civium, eorumque bonorum, quem habebant Cenſores quinto quoque anno. Spatium iſtud vocatur Luſtrum, unda purificationibus, quæ tum fiebant, *Luſtrationis* nomen impoſitum eſt.

T. Servius Luſtrationes inſtituit.

Dionyſius Halicarnaſſæus de Feſti hujus Inſtitutione, ceremoniſque in eo peractis ſermonem habet. *Perfecto*, inquit, *cenſu a Tullio Rege, omnes Cives juſſi ſunt armati ad eſſe in Campo Martio, ubi inſtructos in ſua quemque centuria, equites, pedites, velites, luſtravit Rex Solitaurilibus. Hoſtiæ, Taurus, Aries, & Hircus, ter circumductæ circum exercitum, Marti mactatæ ſunt. Hoc modo etiam noſtra ætate poſt cenſum Romani luſtrantur a Magiſtratu ſanctiſſimo, quod Luſtrum ſua voce nominant.* Titus Livius ejuſdem rei narrator addit, Romanos ſuem aut ovem ſolitos mactare, vittiſque victimas ornare.

Dion. Halic. l. 4. in hiſt. Servii Tul lii.

Livius l. 1.

Hic autem confer narrationem, a duobus Autoribus iſtis profanis relictam nobis de Luſtrationibus, cum iis, quæ Sancti Idelphonſus atque Eligius tradiderunt; planeque conſtabit hos deceptos fuiſſe. 1. Sacrificia hæc aſſignant Menſi Februario, quod Dionyſius Halicarnaſſæus, Liviuſque minime animadverterunt. In Kalendario nanque Romanorum nullus erat Feſto huic dies vel menſis præſtitutus; adeoque poſitum erat inter Feſta Mobilia, queis nimirum certum tempus definitum non eſt. Sacrificia pariter iſta conſtanter celebrata non ſunt: vita nanque functo Tullio Servio eorum conditore, magna nonnunquam inter ea fluxit temporis intercapedo; & quinto quoque anno ſemper acta non ſunt, uti videre eſt in Faſtis Capitolinis, ex quibus apparet, Luſtrum quinquageſimum factum fuiſſe anno Urb. cond. 574.

Sancti Idelphonſus & Eligius de Luſtrationibus decepti ſunt.

2. Exiſtimant Sancti iſti Antiſtites, tum ſolemnitatem hanc initium habuiſſe, cum Romani univerſo jam orbi imperitabant; at duo Hiſtorici inſtitutam ſcribunt a Servio Tullio, ſexto Rege Romanorum ad annum 180. ab Urbe condita. Demum ambo illi Scriptores Eccleſiaſtici perhibent, Manibus rem divinam factam fuiſſe, cum profani Autores Marti referant, eos litare conſueviſſe.

Certum igitur mihi videor videre, Mariæ Virginis Purificationem inſtitutam ab Eccleſia non fuiſſe, ut tollerentur *Luſtrationes*, ſive expiationis Sacra, quæ quinto quoque anno a Romanis perpetrabantur; ſed citius *Lupercalia*, ut hucuſque probavimus. Lupercalia etenim a Luſtrationibus differunt, tum tempore, quo utræque celebrabantur; tum victimis immolatis; tum Deo, cui offerebantur; tum denique utrarumque ratione & conſilio.

Differunt Lupercalia a Luſtrationibus.

Qua de re tria ſtatuamus, quæ Traditionem a nobis propugnatam extra omnem diſputationis aleam ponunt. 1. *Lupercalia* in more adhuc

fuiſſe labente circiter V. Sæculo; & ſatis vero ſimile ſit, *Luſtrationes* antè non unum ævum deſiiſſe: illud certe liquet, latere, quo tempore aut ratione finem habuerint. 2. In promtu ſunt argumenta graviſſima, Gelaſium Pontificem *Lupercalia* ſuſtuliſſe, cum nemo contra meminerit, quod ſciam, eum *Luſtrationes* abrogaſſe. Pontifex tandem iſte Purificationis Feſtum induxit in Eccleſiam pro *Lupercalibus*: quanquam non diſſitear, quibuſdam fortaſſe privatis Eccleſiis Feſtum hoc ſolemne fuiſſe, antequam a Gelaſio Pontifice Eccleſiæ toti propagaretur.

Inſtitutio Supplicationis, quæ fit hoc die. *Sophron. Orat. de Hypante.*

Placet aliquibus, Sergii Papæ ſtudio uſum cereorum in Feſti hujus celebritate invaluiſſe. Sed e Sancti Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani ſcriptis eruimus, illum penitus radices egiſſe Seculo VII., antequam Sergius Petri ſedem teneret. Speciem tamen haud paucam veri habet, Pontificem iſtum autorem fuiſſe Supplicationis, quæ hoc die fit; ſi quidem verum ſit, Sermonem, quem titulo S. Idelphonſi produximus, & Homiliam S. Eligio tributam, partus eſſe Sanctis Viris iſtis ſuppoſitos *. Ex primo nanque illorum, qui migravit hinc tres annos ſupra triginta ante Sergium, habemus convenire ſolitos Fideles, ut cereos præ manibus geſtantes, atque Hymnos Pſalmoſque canentes, in die Purificationis Mariæ Eccleſias & loca Sancta circuirent. Eadem ſcribit S. Eligius defunctus anno 665. Ceterum cognoſcimus ex Ordine Romano, ** Sergium Pontificem autorem eſſe Litanias canendi tempore Supplicationis, quæ hoc die a S. Hadriani Eccleſia ad S. Mariam Majorem procedebat.

§. IV.

Sententia Henſchenii de Feſti hujus inſtitutione.

Veteres Patres, qui Feſti hujus meminerunt.

ERuditus hic Autor e Societate Jeſu ad prima Eccleſiæ tempora Feſti hujus originem refert ***. Quam continuo antiquitatem roborat Homilia quadam S. Methodii Epiſcopi Tyri; aliaſque deinde citat nomine S. Athanaſii, Joannis Chriſoſtomi, Gregorii Nyſſeni, Amphilochii, Leoncii Epiſcopi Cypri, aliorumque Scriptorum Græcorum.

* Non pauci Eruditorum opinantur, Sermones duorum Epiſcoporum iſtorum, in quibus de Purificatione diſputant, ſpurios eſſe, aut maxime dubios: alii ſentiunt, depromptos fuiſſe e variis octavi, vel noni, vel poſterioris etiam ſæculi operibus dubiis.

** *Legitur, quod Sergius Papa præceperit Litanias in die Præſentationis Domini in Templo.* Ordo Rom. Baron. in Martyr 2. Febr.

*** *Ab initio Eccleſia tam in ea Urbe* (Hieroſolyma), *quam in vicis regionibus Orientalibus, ſacra memoria quotannis celebrata.* Henſch. Tomo 1. Febr. in die Purif. pag. 268. §. 1.

2. Con-

2. Contendit, Feſtum hoc a Græcis ad Eccleſiam Latinam manaſſe, quod nimirum priſca omnia Martyrologia illud efferant titulo *Hypantis*, quo Græci celebritatem iſtam appellant. Hæc quænam ſint, in medium affert: videlicet, antiquum Romanum editum a Roſvveido, alia Uſuardi, Adonis, Bellini; & MSS. bene multa habent *IV. Nonas Februarii Hypante Domini*; quibus plurima alia adjungit. His tandem allatis efficit inde Henſchenius, monente D. Auguſtino *, ab Apoſtolis Traditionem hanc deſcendiſſe: adeoque Feſtum Purificationis ſubſtitutum non fuiſſe in locum Lupercalium a Gelaſio ſummo Pontifice, ut putavit Baronius, ſed ab Apoſtolis Eccleſiæ traditum. Martyrologia, quæ de illo mentionem habent.

Ceterum ſi Traditio hæc ita firmiter conſtituta eſſet, ut ſibi viſus eſt doctus hic Sanctorum Hiſtoricus, nihil ſane anceps hæſiſſem, quin illam amplecterer, utpote conſilio meo maxime conſentaneam; ſed multa in cauſſa ſunt, cur renuam huic ſententiæ aſſentiri. 1. Regula eadem S. Auguſtini ** ab hoc Autore producta. Sanctus nanque Doctor iſte, diſputans cap. 1. Epiſtolæ 118. de Feſtis, quæ celebrabantur ætate ſua, atque Apoſtolica Traditione recepta fuerant, nullius meminit prætequam Jeſu Chriſti Paſſionis, Reſurrectionis, atque Aſcenſionis, nec non Pentecoſtes; quæ declarat, quippe univerſo Orbi ſolemnia, neceſſario vel ab Apoſtolis, vel a Conciliis Œcumenicis inſtituta fuiſſe, cum de illis altum in ſacris Litteris ſilentium ſit. Quare ſatis vero ſit ſimile, Feſtum hoc in Eccleſia ſaltem Latina cognitum non fuiſſe ætate Divi Auguſtini, quandoquidem de illo ne verbum quidem habet. Quam ob rem Henſchenii opinionem non ſequamur.

Euſebius inter Solemnia, quæ indicta fuere a Conſtantino Magno, *** memorat primo diem Dominicum, ſecundo loco diem Veneris eodem cultu propter Jeſu Crucifixi memoriam, tandem Feſta Martyrum ****. Hi ſunt dies Feſti, quos ut agerent, Conſtantinus ex dictis Euſebii Præfectis Provinciarum imperavit. Porro tum opus erat, ut Imperatoris juſſum Feſtis celebrandis intercederet, ne ſine auſpiciis & tutela Feſti dies, quos ævi primis Chriſtiani obſervabant.

* *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur.* Aug. l. 4. de Bapt. contra Donat. c. 24.

** *Illa autem, quæ non ſunt ſcripta, ſed tradita, cuſtodimus; quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſalubereima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri: ſicut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cælum, & adventus de cælo Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur; & ſi quid tale occurrerit, quod ſervetur ab univerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia.* Aug. Epiſt. 118. c. 1.

*** *Cunctis ſub Imperio Romano degentibus præcepit, ut Dominico die feriarentur.* Euſ. de Vita Conſt. l. 4. c. 18.

**** *Eidem Feſtos Martyrum dies juſſu Principis obſervabant, & Eccleſiaſticarum Feſtivitatum tempora debito honore proſequebantur.* Ibid. cap. 22. 23.

Prin-

Principis, Gentilium atque *Hæreticorum* ludibriis Chriſtiani obnoxii forent.

Tom. 5. hom. 36. 3. S. Joannes Chryſoſtomus recenſet Feſta, quæ obſervabat Eccleſia ætate ſua, in quorum numero ponit Epiphaniam, Natale Domini, Paſcha & Pentecoſten. Aliorum quoque meminit, * ſcilicet Diei Dominici, Veneris, Sabbati, & Martyrum. Quod ſi teſtimonium Scriptoris Conſtitutionum Apoſtolicarum ** ſatis momenti haberet ad firmam rationem ſuffulciendam, conſtat plane Feſtum Purificationis tempore ſuo ſummo obrutum ſilentio fuiſſe. Præter Feſta etenim, de quibus hactenus, alia non agnoſcit, niſi Apoſtolorum, Sancti Stephani, & Martyrum. Eccur autem oblitus fuiſſet Purificationis, ſi modo tum celebrabatur? Quæ non eo ſunt accipienda, ut non eſſent aliæ privatarum Eccleſiarum celebritates, uti Martyrum ad ſingulas ſpectantium. Smyrnæ etenim S. Polycarpi, ejuſdem Urbis Epiſcopi, ſolemne colebant, & de quibuſdam aliis Martyribus idem tradit S. Cyprianus, quos ſingillatim Eccleſia Carthaginenſis Feſto die venerabatur.

Euſeb hiſt. l. 4. c. 15.

Cypr. l. 4. Epiſt. item l. 3. Epiſt. 6.

Sanctus Leo *** in quadam Epiſtola recenſionem Feſtorum faciens, profert in medium Annunciationem Mariæ Virginis, Nativitatem Jeſu Chriſti, Circumciſionem, Purificationem, atque Epiphaniam. Verum loqui videtur S. Pater iſte de Myſteriis citius, quam de Feſtis. Profecto enim Myſteria diverſa, non Feſta ſunt; aut certe id loci illius verba non explicant.

Denique in Kalendario Carthaginenſi vel Africano, quod editorum omnium vetuſtiſſimum habetur, atque Mabillonii opera in vulgus emiſſum eſt, nullum Mariæ Virginis Feſtum commemoratur.

Quod attinet vero ad Homilias & Sermones Veterum Patrum, ab Henſchenio pro Feſto Purificationis laudatos, tributoſque Antiquis cum Græcis tum etiam Latinis, convenit inter Sapientes, **** illos eſſe ſuppoſititios, aut ſaltem incertiſſimos, vel confectos ex aliis eorum Sermonibus, vel commentariis in Verba Evangelii Sancti Lucæ, quibus narratur Myſterium iſtud. Illud demum dicere poſſumus, ſi legitimæ ſint Homiliæ iſtæ, non loqui tamen de Feſto ſingulari, a Fidelibus celebrato, ſed

* *Sive Sexta Feria, ſive Sabbato, ſive Dominica die, ſive in celebritate Martyrum, eadem ſtatur Hoſtia.* in 1. ad Timot. hom 5.

** *In diebus Apoſtolorum vacant .... in die S. Stephani Protomartyris item vacent; ac in reliquis Sanctorum Martyrum, qui Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt*, L. 8. c. 33.

*** *Unde aliud tempus eſt, quo annunciante Angelo ..... aliud, quo Infans circumciditur, aliud, quo Hoſtia pro eo legalis offertur, &c.* S. Leo Ep. 4. c. 2. ad Epiſc. Siciliæ.

**** *Baronius in Notis ad Mart. 2. Februarii. Thomaſſ. de Feſtis Tomo 2. c. 11. Bailletus in Vitis SS. ad Feſtum Purif. Cavius, Dupinus & alii.*

can-

tantum de Myſterio, quod S. Patres populo ediſſerebant; antequam Feſtum inſtitueretur; e quo argumenta depromebant ad pietatem & diſciplinam fovendam præclariſſima, Chriſtianos hoc pacto diſponentes, ut, cum primum Eccleſia juberet, Feſtum hoc eſſent pie celebraturi. Quapropter expendenti accurate Homilias omnes, ab Henſchenio citatas, planum fiet, nullam ipſarum in die, Feſto huic dicato, recitatam fuiſſe. Patres autem, de illo poſt V. Sæculum ſcribentes, poterant ſane ipſius memoriam uſurpare, cum jam inſtitutum eſſet.

Fieri tamen potuit, privatas aliquas Eccleſias, multo ante Juſtinianum, memoriam eo die coluiſſe Purificationis, ut aliis hanc Infantiæ Jeſu Chriſti myſteriis adjungerent.

ARTICULUS II.

De Sancto Sene Simeone, qui Jeſum Chriſtum in ulnas ſuas accepit.

CUM Filium ſuum obtulit in Templo Virgo Maria: *Ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael*, nimirum Meſſiam, *& Spiritus Sanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat a Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Et venit in Spiritu in Templum, cum inducerent puerum Jeſum Parentes eius ..... Et erat Anna Prophetiſſa ..... hæc proceſſerat in diebus multis ..... & hæc ipſa hora ſuperveniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Luc. 2. 25. &c.

§ I.

De Viris multis, quibus nomen fuit Simeonis; atque an ille, qui puero Jeſu bene precatus eſt, Sacerdos fuerit nec ne?

QUandoquidem plures fuerunt ante Jeſu Chriſti ortum ii, qui Simeonis nomine vocati ſunt; propterea Scriptores in varias abjerunt opiniones de Sancto illo ſene, qui Filio Dei occurrit Templum ingredienti. Rentur Græci multi, Simeonem iſtum fuiſſe illum, qui cognomento *Juſtus*, atque e Septuaginta Interpretibus unus. Eutichius Patriarcha Alexandrinus, qui Sæculo IX. vivebat, ait, quod *dum hic Simeon Legem, Libroſque Prophetarum e Græco in Hebraum ſermo-*

Græcorum opinio de Simeone.

Cedren. in Synopſi. Damaſc. Theſſalon. Cone. 4. Eutich., & alii recent.

Eutich. in Annal.

monem vertebat; quoties coma aliquod offendebat, quod vaticinium Redemptoris contineret, illudque explicabat; intra se, quasi incredulus, inquiebat: Hoc fieri haudquaquam poterit. Qua de causſa, ſubdit Auctor, *Deus vitæ terminum ipſi auxit, adeo ut annos trecentos quinquaginta viveret, donec Chriſtum Domini videret. Quem ubi vidiſſet: Nunc, inquit, dimitte, o Domine, ſervum tuum ſecundum verbum tuum in pace.*

Huic opinioni ſatis raræ & ſingulari fundamentum nullum eſt, præter pinguem errorem non dignoſcendi diſcrimen inter Simeonem Juſtum a Luca memoratum, aliumque Simeonem Juſtum, Summum Pontificem, Oniæ Filium. Opinati nanque ſunt, duos Viros iſtos unum eſſe, quamvis diverſo admodum tempore floruerint. Præterquamquod Joſephus, egregius id genus rerum teſtis, narrat, Eleazarum, quem ferunt ſeptuaginta duos Interpretes ad Philadelphum miſiſſe, renunciatum non fuiſſe Pontificem, niſi poſt interitum fratris ſui Simeonis Juſti, Oniæ filii. Quapropter patet meridiana luce clarius, Simeonem S. Lucæ, non fuiſſe Simeonem Juſtum, de quo perhibet Joſephus; quoniam cum hic fatis ceſſerit, antequam ſummum Sacerdotium iniret Eleazarus, eſſe non poterat in Interpretum numero, neque ad Chriſtum uſque ſupervivere.

Joſephus l. 12. antiq. c. 2.

Hic non fuit Simeon filius Hilleli.

Galatinus ſ. Galatino in Myſteriis ſuis de Veritate Catholica inſedit opinio, Simeonem Evangelicum alium non fuiſſe a Simeone Juſto, Hilleli filio, & Gamalielis præceptore, cujus auditor fuerat Divus Paulus. *Huic Simeoni* (inquit ille) *ingredienti in Sancta Sanctorum, apparuit Senex nigra veſte amictus, quem ipſe Servatorem Mundi eſſe putavit; qua de cauſſa ſe eodem anno credidit moriturum. Hac Traditio*, ſubdit Galatinus, *ex qua magnum ſumitur veritatis argumentum, quod Simeon Juſtus præſciverit ſe moriturum, ut refert Evangelium, quia vidit Chriſtum Domini.*

Galatinus l. 1. c. 2. & 3.

Ibidem l. 4. c. 8.

Tametſi autem non conſtet, quo primum tempore Hillelus ad Synagogæ principatum aſſumptus fuerit, illud nihilominus compertum habemus, eum annos quadraginta Iſraeli præfuiſſe, & Magiſtratum expiſſe centeſimo ante Templi everſionem anno, triginta videlicet ante Chriſtum; Templum enim dirutum fuit 70. anno Æræ Chriſtianæ; ac D. Hieronymus * Hilleli nativitatem Jeſu Chriſto proximam ponit. Igitur ſi Simeon hic Hilleli filius ad res Judaicas gerendas aggreſſus non eſt, niſi, ſecundum Ganzum, decimo Jeſu Chriſti anno, aut ſerius ſecundum Hieronymum; perſpicue fit, eum eſſe non potuiſſe Simeonem, de quo verba facit Sanctus Lucas. Neque item majorem veri ſpeciem habet, Si-

Ganz. ad annum 768.

* *Sammai & Hillel, non multo prius, quam Dominus naſceretur, orti ſunt in Judæa.* Hieron. in Iſaiam c. 8.

meo-

meonem Juſtum noſtrum audiviſſe Hillelum, ut placuit Genebrardo *; ſi modo Hillelus in vitam venit, ex Hieronymi mente, paullo ante Incarnationem.

Atqui licet conſentiant Eruditi, Simeonem juſtum Evangelii neque Oniæ, neque Hilleli filium eſse, non conſentiunt tamen de inſtituto vitæ hujus, qui Servatorem noſtrum ulnis excepit. Quidam volunt, eum non modo non Pontificem, ſed ne Sacerdotem quidem fuiſse; eitius vero Laicum hominem, & nullo prorſus modo alium videri poſſe. Ceterum et ſi non careat probabilitate, probiſque argumentis opinio hæc; non tamen putavimus, recedendum nobis eſse a vetuſta Traditione, cujus monito contendunt alii, Simeonem Juſtum fuiſse Sacerdotem; quoniam munere Sacerdotali functus eſt, cum Jeſus Chriſtus in Templo oblatus fuit. Hujuſmodi eum exiſtimavit S. Methodius Tyri Epiſcopus, cum illum appellat *Sacerdotum optimum*, & paullo inferius *Sacerdotum piiſſimum*. Cum eo facit S. Epiphanius: *Sacerdos*, inquit, *Simeon, ex Aaronis Tribu*, reſponſum accepit a Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, donec videret Chriſtum Dominum *in carne*. *Hic eſt, qui Dominum ulnis ſuis geſtavit, ac Deum glorificavit, dicens*: Viderunt oculi mei ſalutare tuum. Nunc dimittis &c. *Mortuus demum, prope Sacerdotes admodum ſenex ac plenus dierum ſepultus eſt.*

Hom. in Feſt. Purif.

Epiph. de Vita Proph. c. 24.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Sanctum Senem Simeonem Iſraeli, Gentibuſque ceteris loquentem induxit: *Audite omnes nationes, audi Iſrael: Dominus hic eſt, quem ego tuus Sacerdos Simeon, in ulnis portans, prædico magna voce populo, teſtificans in Templo*. Eodem ipſum Sacerdotii munere elarum cenſent Sophronius Patriarca Hieroſolymitanus, VII. ſæculi Scriptor; Leo Imperator; multi poſtremorum ſæculorum Litterati homines, nimirum Dionyſius Chartuſianus, Liranus, Lodulphus, Cajetanus, & Caniſius, qui ea etiam, quæ in contrariam partem afferuntur, labefactant. Immo Baronius propugnat, Lucam ipſum taeite ejus Sacerdotium innuere, Patres cognoviſſe, Eccleſiæque Traditionem ita ſerre. *

Sancti Patres Simeoni Seni Sacerdotii dignitatem tribuunt.

Præter teſtimonia hæc, conjectura inſuper non una, neque contemnenda, aſſequi poſſumus S. Simeonis Sacerdotium. Prima eſt, complexu eum ſuo Servatorem recepiſſe, & Deo obtuliſſe; quod erat Sacerdotum duntaxat munus. Altera, parentibus ejus benedixiſſe in Templo, quod erat quoque Sacerdotibus imperatum. Ac benedictio quidem iſta ſatis differt ab alia, qua Pharaoni Joſeph bene precatus eſt: ea nanque Jacobi eere-

Conjecturæ de Sacerdotio S. Simeonis.

Num. 6. 23.

* Sophronius Ode In Hypapante, & Orat. in S. Joann. Bapt. Leo Imp. Orat. de Purificatione. Baronius ad annum. 1. §. 40.

monia in domo illius Principis, hæc S. Simeonis in Templo Dei peracta est.

§. II.

Diluuntur objecta argumenta in Sancti Simeonis Sacerdotium.

Argumenta Tillemontii.

THeophilactus atque Euthymius munus Sacerdotale denegant ſancto ſeni Simeoni: eorum tamen autoritas anteferenda non eſt autoritati multorum Autorum Eccleſiaſticorum vetuſtiorum graviorumque. Tillemontius quoque, & nonnulli alii, poſt Eraſmum, præſtantes Critici, Sancti Simeonis Sacerdotium oppugnant. Sed non videor mihi, videre firmiſſima Tillemontii momenta. Satis enim habet, ubi dixit. „ Al-

Tillem. notat. 6. in Jeſ. Chriſt.

„ latius in Diſſertatione de Simeonibus, ex qua percipere quiſque poteſt, „ quam ſint novi Græci ad excogitandas Hiſtorias natura feraces, citat „ autores multos priſcos & recentes, qui tradunt, eum Sacerdotem fuiſſe. „ Addit etiam, monumenta quæque ab Allatio, tanquam vetera, producta, ſuſpicioſa non parum eſſe; alioſque autores multos affirmare, eum potius Laicum fuiſſe. Concludit tandem, nullo prorſus modo ex Evangelio alium videri poſſe.

Infirmantur.

Ut objectis iſtis rationibus occurramus, ſatis eſt reſpondere. 1. Quidquid aſſerat perdoctus iſte Criticus, certo conſtare, Allatium ſuper Sancti Simeonis Sacerdotio aſſenſionem ſuam ſuſtinuiſſe, & Scriptores duntaxat, pro affirmante vel negante parte dicentes, enumeraſſe. 2. Ut Patrum teſtimonia ab Allatio citata imminuat, contentus eſt dicere: *Percipere quiſque poteſt, quam ſint novi Græci ad excogitandas Hiſtorias natura feraces.* Vides egregiam viam & rationem ſubducendi ſe ex autoritate Antiquorum, quoties impedimento eſt. 3. Non poſſumus illi aſſentiri, *teſtimonia quæque, ab Allatio producta, ſuſpicioſa non parum eſſe*; niſi excipiamus Tractatum de *Communi Eſſentia*, Sancto Athanaſio adjudicatum. Denique patet ex Evangelio, Sanctum Simeonem Laicum duntaxat non fuiſſe; quippe nobis illum oſtendit Sacerdotis munera gerentem.

In Monum. Trevolt. Januarii. 1705 & art. 16.

Pelleterii objectiones.

Pelleterius in Animadverſionibus in Pictorum errores, quaſdam propoſuit difficultates de Simeonis Sacerdotio, ut apparet, æquiſſimas. „ Si „ Simeon, inquit, Summus Sacerdos fuiſſet, ſingulare hoc tantæ rei ad„ junctum Evangeliſta non præteriiſſet; ſi vero ſimplex Sacerdos fuiſ„ ſet, non dixiſſet Evangeliſta, eum in Templum veniſſe, ſed ibi eum „ repertum eſſe: neque etenim Sacerdotes veniebant *Spiritu* in Templum; „ ſed per alternas vices ingreſſi, in eo ad Sabbatum uſque verſabantur.„ Ad hæc: S. Simeon Sacerdotali munere fungi non poterat; niſi lotis manibus, veſtibusque mutatis ſecundum Legis præceptum illuc ingreſſus fuiſſet,

ſet ; idque eo magis , quo, teſte Joſepho , Sacerdotes Judæorum Sacerdotalibus indumentis non tegebantur, præterquam miniſterii ſui tempore , & alio quocumque Laicis veſtibus utebantur . Propterea S. Simeon, ex Urbe ad Templum accedens , tempus non habuit veſtitum immutandi ; & tamen nullam fuiſſe interjectam moram indicat Evangeliſta inter adventum Senis , ejuſque Factum ; ſed uno contextu dicit eum veniſſe , in ulnas ſuas Jeſum accepiſſe , Deoque pro ſummo beneficio grates egiſſe. *Joſephus de Bello l. 6. c. 6.*

Hæc autem objecta omnia per ſe ſe recidunt , ſi attendas , Sanctum Lucam, quamvis affirmet, Simeonem in Templum veniſſe , non affirmare tamen illum, poſtquam Virgo & Joſephus pervenerint , eo ſe contuliſſe. Monet tantum veniſſe, reticet vero num ante vel poſtea; ac leviſſimum argumentum eſt, arbitrari , Parentes Jeſu præceſſiſſe Simeonis adventum , quod videlicet Evangeliſta nullam ſignet moram inter Sancti hujus hominis in Templum ingreſſum , ejuſque præclarum facinus . Pleraque nanque ab Evangeliſtis narrata continenter , diverſis plane temporibus acciderunt . Quare verbum hoc *venit* ambiguam habet ſignificationem. Edere nimirum poteſt ſenſum ; Simeonem tempore ſtatuto in Templum veniſſe , miniſterio ſuo operam daturum , cumque in anteceſſum ibi eſſet , eo veniſſe, ubi Salvator erat . Indicare etiam poteſt, illum domo profectum, ad Templum acceſſiſſe, cum in eo erat Maria , offerendi cauſſa Filium ſuum : qua interpretatione porro eſſet, cur cauſſaremur, non potuiſſe illum munus obire Sacerdotis , eum purificatus non eſſet , & veſtes non immutaſſet. Sed genuinus magis ſenſus eſt, Sanctum Senem præveniſſe; atque in Templo fuiſſe, cum Virgo Deipara ante Deum ſtetit. Diſſelluntur.

Ita conficio ex verbis Juvenci, qui ſub initium vixit ſæculi IV. & videtur innuere, Sanctum Simeonem jam in Templo fuiſſe, cum ipſum illuſtravit lumine ſuo Spiritus Sanctus , ut cognoſceret , Mariam Virginem puerum Jeſum in Templum detuliſſe . Hæc ſunt ejus verba. Sanctus Simeon in Templo erat, cum Virgo eo pervenit.

Iſque ubi curvato defeſſus corpore Templum
Jam gravior penetrat, monuit quod Spiritus autor ,
Ecce ſimul parvum gremio Genitricis Jeſum
Ad Templum ſenſit veniſſe. *Juvencus Preſb. Hieroſ. l. 1. Hiſt. Eccleſ.*

Timotheus Presbyter Hieroſolymitanus perſpicue tradit: *Antequam Joſephus & Virgo, Simeon in Templum venit : & cum eis antevertiſſet , juxta adyta atque penetralia ſtetit expectans revelationem Spiritus Sancti : cum autem in Templo Simeon eſſet , vidit multas matres cum ſuis Infantibus ingredientes in Templum* . Si ergo per Autores iſtos in Templo erat Sanctus Simeon, antequam ad illud pervenirent Parentes Salvatoris, videntur inde omnia a Pelletterio objecta argumenta ſponte ſua evaneſcere. Propte- *Timoth. Preſb. Hieroſ. Orat. de Prophet. Simeo.*

rea vetuſta Traditio, cooptans Sanctum Simeonem in Sacerdotum Dō-mini numerum, ſimilima vero videri debet, ut pote ſulta non paucis Scriptoribus Eccleſiaſticis, & conjecturis non contemnendis munita, denique ab iis omnibus, quæ contra afferuntur, nullo negotio expedita.

ARTICULUS III.

De fuga Infantis Jeſu in Ægyptum; deque multis in rem hanc Traditionibus.

Matth. 2. 13. 14. *CUm Magi Bethleemo receſſiſſent: Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens, accepit puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.*

Magnum narrationum fabuloſarum numerum amplecti videretur is, qui aggrederetur ea omnia eventa colligere, quæ geſta fuiſſe in Ægypto ferunt ob præſentiam Pueri Jeſu. Ut autem Traditionum omnium iſtarum rectum diſcrimen habeamus, ad tres claſſes redigendæ ſunt. Prima eas continet, quæ falſæ ſunt, atque apocryphæ; ſecunda dubias; tertia eas, quæ recipi ſine dubitatione poſſunt.

§. I.

Traditiones falſæ de itinere Familiæ Sanctæ in Ægyptum.

NON putamus autem noſtra eſſe, in Traditionibus prioris generis immorari, cum deptomtæ ſint omnes ex Hiſtoria Infantiæ Salvatoris, ex Alcorano, aliiſque hujuſmodi Operibus Eccleſiæ judicio damnatis: neque fas eſt e fontibus iſtis corruptis haurire Mira facta, a puero Jeſu in Ægypto patrata.

Baronius ad annum 1. num. 47. Maldon. in Matth. c. 2.

Inter has quoque hiſtorias locus alteri ſit, quamquam eam narrent Scriptores multi. Sancta Familia dum iter ageret, inquiunt, offendit Latronem quendam, qui obtutu conjecto in puerum Jeſum, inter ulnas Virginis exceptum, extemplo ex lupo rapaci in mitem agnum converſus eſt, Sanctos peregrinatores iſtos in ſuam ſpeluncam divertere voluit, eiſque omnia, quæ poſſidebat, partitus eſt. Addunt etiam, cum filium ſuum Latronis uxor in eam immerſiſſet aquam, in qua faſcias Infantis

Petrus de Natal. l. 2. c. 202. Hiſtoria Latronis.

Jeſu

Jesu Virgo deterserat, continuo eundem lepris affectum mundatum fuisse. Refert tandem historia hæc, Latronem istum eundem fuisse, qui cum Christo Domino Cruci suffixus, dixit illi: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum*; cuique respondit Christus: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Etsi vero non unus Autor historiam hanc reeitet, nihilo tamen magis audienda est. *Jacob. de Voragine Sermo de Innoc. Anton Gluss. quæst. 677. in Dom. Pasc.*

Mitto narratiuneulas alias hujusmodi, v. g. de Leonibus, Tygribus, Leopardis, Ursis, Draconibus, aliisque belluis, quæ obviam Infanti Jesu veniebant, & pro more suo ipsi obsequebantur. Non secus atque id, quod ajunt de quodam agmine avium, quæ circum ipsum canebant, eumque mira voce salutabant dicentes: *Salve Rex*. Quam historiam, a Cartagena desuntam, scribit ille se legisse Romæ in quodam MS. Codice de Gestis Jesu Christi. *Tom. 3. Hom. 1. 2. hom. 10.*

§. II.

Traditiones aliæ, veritati magis affines.

TAmetsi vetustæ sint narrationes alterius generis, exploratam tamen non afferunt sui cognitionem. Quare illas in medium proferimus fide Scriptorum, a quibus litteris traditæ sunt, ut jus Lectori sit, quod maluerit, de iis judicium ferre:

Habemus a Sozomeno, vulgo Ægyptios credere, Jesum a Judæa in Ægyptum migrantem, Hermopolim in Thebaide venisse; eumque Urbem ingrederetur, arborem proceram, cui *Perseæ* nomen, & superstitiosus fortassis honor reddebatur, ad solum usque inflexisse se, ut illum adoraret: immo subjungit, extitisse adhuc ætate sua arborem istam; *cujus fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis, ægrotis admota, morbos a pluribus depulerit . . . . . Atque hæc quidem de hac arbore, sicut a multis audivi, a me commemorata sunt*. Cum eo concinit Nicephorus. Arbor flectitur coram puero Jesu. *Sozomenus Hist. l. 5. c. 2. Niceph. l. 10. c. 31.*

Traditione pariter antiqua ferunt *, Mariam & Josephum, in Ægyptum proficiscentes, Matharæam divertisse; locum, inquam, inter Heliopolim & Babylonem jucundissimum, ubi consitus hortus erat, arboribus genuino Balsamo manantibus insignis, & fonte irriguus, in quo, secundum communem Coptorum, videlicet Ægypti Christianorum opinionem, Maria Virgo divini filii sui fascias infantiles eluebat. ** Maria Virgo conlitit Matharæ.

* *Abulensis q. 90. in Matt. Burchardus in Descrip. Terræ Sanctæ p. 2. c. 4. Brocardus in Geographia Ægypti. Bernard. & alii.*

** *Inter Heliopolim, & Babyloniam Ægypti, medio fere loco est hortus Balsami. Irrigatur a fonte parvo, sed ubere, in quo fama est, B. Virginem puerum Jesum sæpe lavisse, panniculosque ejus mundasse. Est ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccasse. Et hæc omnia venerantur a Christianis, & Saracenis.* Broc. in Descr. Terræ Sanctæ p. 2. c. 4.

Hunc

Quam sit ad hanc diem venerandus Infidelibus locus iste.

Hunc adversus locum tantam adhuc reverentiam adhibent Christiani atque Infideles, ut semper in eo lampas ardeat in monumentum Domicilii Jesu Christi. Id Jansenius accepisse prodit a teste rei oculato. Quaresmius item se rem vidisse testatur, atque in vetutissimo Codice Terræ Sanctæ legisse. In hanc sane diem extat Matharex magnum Ædificium, in cujus Area conspicitur *Makad*, Turcicum scilicet Sacellum, sumtibus cujusdam Ægypti Præfecti, *Hibraimi* nuncupati, constructum anno 1659. ex ruderibus alterius Ecclesiæ Coptorum Christianorum. In hoc *Makad* exigua est Piscina, marmore versicolori elaborata, quæ semper aquis, e puteo, ut ferunt, miraculoso scatentibus redundat: sive quod aquæ illius mirum in modum optimæ sint, sive quod per Coptos eruperit, ut aquas Mariæ Virgini, in Ægypto tum agenti, præberet.

Baron. ad ann. 2. n. 47. Brocard. in Geograph. Ægypti. Jansenius Concor. Evangel. 18. Quaresmius Elucid. Terræ Sanctæ l. 8. c. 7. peregr. 2. Adricomius & alii.

Traditio alia.

In eundem censum venire fortasse posset antiquissima Traditio alia; propter autores, quibus probata est, non admodum incredibilis. Hieremias, inquiunt, Propheta Sacerdotibus Ægypti illud signum dederat, fore nimirum, ut aliquando Puer e Virgine natus, Idola eorum everteret. Hinc factum est, ut hodierna quoque die populi isti effingant & venerentur Virginem, atque Infantem in Præsepio jacentem. Immo perhibent, Ptolomæo scisciranti Sacerdotes de imaginis hujus mysterio respondisse, illud eos a majoribus suis, atque a Propheta Hieremia Traditionis instar accepisse. *

§. III.

Traditione Patrum ferente, Præsentia Jesu Christi in Ægypto Dæmones expulit ex Idolis.

Isaiæ 19. 1. Euseb. de Demonst. l. 6. c. 20.

Si porro tertii ordinis Traditiones locupletioribus testibus fultæ sunt, majori etiam fide & veneratione illas prosequi par est, quæ hac videlicet Isaiæ Prophetia confirmantur: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus.* Disputans Eusebius de falsis Ægypti Numinibus, nos docet, Dæmones in Idolis latitantes, cum deprehendissent, virtutem admodum divinam in eum effundi locum, ubi erant, continuo obmutuisse; deinde perculsos,

Jeremias signum dedit Sacerdotibus Ægyptiacis, quod oporteat simulacra eorum concuti, & decidere per Servatorem puerum ex Virgine nasciturum, & in præsepi jacituram. Propterea etiam nunc Virginem in lecto, Infantem in Præsepio collocant & adorant. Et cum causam olim Ptolomæus Rex percunctaretur, responderunt, mysterium esse, ipsis a majoribus traditum, quod illi a Sancto Propheta acceperunt. Doroth. in Synopsi de Morte & Vita Proph. Palladius in Vita S. Apollonii. Sozomenus l. 5. c. 20. Lucas Legionensis in Chronico Isidori, & alii.

tan-

tandemque vi ſuprema ejectos inde fuiſſe. Animadvertit Athanaſius, Jeſu Chriſti conſpectu ruiſſe in Ægypto ſimulacra, e quibus Idola conficiebant. Autor Homiliæ, quam nomine Origenis proferunt, æque ac S. Cyrillus Hieroſolymitanus tradunt, Jeſu Chriſti in Thebaidem adventu eliſa Idola omnia & confracta fuiſſe.

Prætereo loca S. Ambroſii *, Procopii, Sozomeni, Anſelmi, Bonaventuræ, aliorumque multorum pro Traditione hac teſtimonium dicentium. Queis addas licet S. Hieronymum aſſerentem, Salvatore mundi Ægyptum ingrediente, Dæmones regionis illius contremuiſſe, & exinde ſimulacra decidere cæpiſſe. Autor inſuper de Vita Patrum in Eremo, ſe in Thebaide noviſſe declaravit ſenem quendam, Apollonium nomine, qui Templum in Urbe Hermopoli inviſiſſe teſtabatur, in quod introjens puer Jeſus, Idola ejus omnia labefactaverat & comminuerat.

Hieron. in Iſ. c. 19.

De Vita Patrum l. 2. c. 7.

Sancti Patres quoque in Jeſu Chriſti præſentiæ virtutem refundunt progreſſus magnos, unde Chriſtiana deinceps Religio in Ægypto propagata eſt, quorum argumento ſunt turbæ Martyrum, chori Virginum, atque innumera vis Anachoretarum & Monachorum, quæ Deſerta illa loca frequentarunt. *Poſtquam Chriſtus* (inquit S. Cyrillus) *in hanc regionem advenit, ſterilis ultra non fuit, nec deſerta; ſed ob Sponſi præſentiam fœcunda & florens evaſit.* Ad adventum tandem Jeſu Chriſti in Ægyptum referunt miros fructus a Dei verbo ibidem partos, quod apparet in ea Provincia, quam alibi, uberius radices egiſſe.

Euſeb. ubi ſupra Joann. Chryſoſt. in Matt. hom. 8.

Mira alia præſentiæ Jeſu Chriſti in Ægypto. Cyrill. in Iſai.

* Ambroſius in Pſ. 118. Oct. 5. Sozomenus Hiſt. l. 5. c. 20. S. Bonaventura de Vita Chriſti c. 12.

ANIMADVERSIONES IN REGULAS, ET USUM CRITICES.

LIBER QUARTUS.

De Jeſu Chriſto, ab ejus Baptiſmate ad Paſſionem uſque.

DISSERTATIO PRIMA.

De Baptiſmate Jeſu Chriſti, & de Miraculis Nuptiarum Canæ Galileæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De quibuſdam Traditionibus, quæ ſuperſunt, ad Jeſu Chriſti Baptiſma ſpectantibus, & de Feſtivitate hac, perpetuo ab Eccleſia octavo Idus Januarias celebrata.

Multifariam appellata eſt ſolemnitas Baptiſmatis Jeſu Chriſti. *Nazianz. Orat. 39. Nyſſenus de die Lum.*

PLuribus nominibus ſignata eſt Solemnitas Baptiſmatis Jeſu Chriſti ſecundum plura, quæ in ſe ſe continet myſteria. Cum etenim habita ſit veluti nativitas altera, vocata propterea fuit *Feſtum Luminum*, & *Illuminationis*; ut indicarent, Patrem & Spiritum Sanctum Divinitati Filii teſtimonium reddidiſſe. Adhi-

Chryſoſt. Tom. 5. hom. 36. Hieron. Comm. in Ezech. Lucæ 3. 11. buerunt etiam Veteres vocabulum *Theophaniæ*, ſignificans, *Deum hominibus innotuiſſe*. Tandem ipſi præcipue nomen impoſitum eſt *Epiphaniæ*: *Baptizato nanque Jeſu, & orante, apertum eſt cælum; & deſcendit Spiritus*

tus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.

Qua præhabita animadverſione, intereſt examinare Traditiones nonnullas, quæ de Jeſu Chriſti Baptiſmate circumferuntur.

§. I.

Per Jeſu Chriſti Baptiſma collata eſt ſanctitas aquis illis.

PRiſca Traditio eſt, Jeſum Chriſtum deſcendentem in aquas Jordanis, ut baptizaretur, miram in eis virtutem Sacri Corporis ſui contactu reliquiſſe. Ita ſentiunt Eccleſiæ Patres. Sanctus Gregorius Nazianzenus explicans Myſterium iſtud animadvertit, *Jeſum illuc acceſſiſſe præcipue, ut & veterem Adam ſepeliat in aquis, & ante omnia, ut per hæc ſanctificentur aquæ Jordanis.* Hac die, inquit Joannes Chryſoſtomus, baptizatus Jeſus *aquarum ſanctificavit naturam.* Atque hoc pacto loquuntur Theodoretus, aliique Patres Græci.

Sancti Auguſtinus, Leo, & Maximus Taurinenſis ajunt: *Jeſum Chriſtum in Jordanis undis aquas ad reparationem generis humani ſuo Baptiſmo conſecraſſe. Ideo baptizatur Chriſtus*, conſiderat S. Ambroſius, *non ut ſanctificetur ab aquis, ſed ut ipſe aquas ſanctificet, & purificatione ſua purificet fluenta illa, quæ tangit.*

Senſus Patrum Eccleſiæ de re hac.

Greg. Naz. Orat. in Sanctæ Lumina.

Joann. Chryſoſt. tomo 1. hom. 23. Joannes Damaſcenus l. 4. de Fide Orthod. c. 10.

Aug. de Temp. ſerm. 29. Leo ſerm. 4. de Nativ. Max. Taur. in ſerm. 10. de Epiph. Ambr. ſerm. 18. de Epiph.

§. II.

Virtus mira inſita Jordanis aquis poſt Baptiſma Jeſu Chriſti.

PErvagatum eſt, Jordanis aquas eo loci, in quo lotus eſt baptiſmate Chriſtus Dominus, benedictionem quandam contraxiſſe, quæ illas Miraculorum multorum virtute celebraverat. Traditionis hujus autor eſt S. Gregorius Turonenſis, qui teſtatur ætate ſua locum fuiſſe, *in quo Dominus baptizatus eſt ..... in quo nunc Leproſi mundantur. Cum advenerint ſæpius, lavantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur*, & locum hunc abeſſe quinque millibus paſſuum ab eo, ubi Jordanis *mari commixtus mortuo, nomen amittit.* Alia quoque multa mira facta recitat in rem hanc, quæ ab Eccleſiæ ſuæ Diacono, teſte illorum oculato, ſando audierat.

Miracula patrata ab aquis Jordanis.

Greg. Turon. de Glor. Mart. c. 17.

Cujus vetuſtæ opinionis fides eo pervaſit animos Chriſtianorum, ut in rei monumentum erigerent illo loci, ubi Baptiſmate ablutus eſt Chriſtus Dominus, Crucem, ultra jactum lapidis a Fluminis ripa non diſtantem. Illuſtre item Monaſterium Eccleſiamque, titulo S. Joannis Baptiſtæ, ædificarunt in vertice collis ex adverſo loci, in quo Chriſtus baptizatus

Monumenta a Chriſtianis erecta in eo loco, ubi Jeſus Chriſtus baptizatus eſt.

eſt; unde per pontem ad Crucem iſtam iter erat. Alia inſuper fuit Eccleſia quadrata propter Flumen, ubi ferunt Chriſtum ſe baptizantem depoſuiſſe veſtimenta ſua. Quæ omnia monumenta, vivente Beda, etiamtum extabant.

Beda de Locis c.13.

Hoc eodem loco mos erat Chriſtianis, aquis ſe immergere, atque in illis tergere veſtes; quod pietate non modica faciebant, reputantes, aquas illas ſanctæ Jeſu Chriſti Humanitatis contactu virtutem aliquam ſingularem acquiſiviſſe. Sanctus Vvillibaldus Epiſcopus Bremenſis ex nobiliſſimo Anglorum genere, qui medio circiter VIII. ſæculo florebat, & ad centum annos, ex quo Sancti Arculphus & Adamnanus Loca Sancta inviſerant, eandem rem narrando exequitur; id unum ſubjungens, *in ſolemnitate Epiphaniæ infirmos & ægrotos venientes, habuiſſe ſe cum funiculo, & ſic ſe demerſiſſe in aquam.*

Scriptores Miraculorum iſtorum teſtes.

Vvillibaldus in Vita S. Bonifacii.

Jacobus de Vitriaco, qui Paleſtinam incoluerat, factum idem oculis compertum habuit *. Toſtatus affirmat, multos experimento didiciſſe, Jeſum Chriſtum attactu Sanctæ carnis ſuæ in aquis impreſſiſſe occultam virtutem, illius ſcilicet imaginem, quam ceteris aquis contulit, quæ in Baptiſmo uſum habent, & animas regenerandi pollent facultate. Qui Terram Sanctam peragrarunt, ii referunt, peregrinos ſe immergere ſolitos Jordanis aquis, præſertim in die Paſchatis, quo confluebat Chriſtianorum turba, ut vel pietatis vel valetudinis gratia ſe in aquas immitteret.

Toſt. in c. 3. Matt. quæſt. 74.

Dubdanus in itinere Terræ Sanctæ. Quareſmius ubi ſupra.

Quæ Traditio eo vigeat adhuc inter Fideles Paleſtinæ accolas, ut Chriſtiani Latini, Hieroſolymis degentes, cum grati animi ſui ſpecimen dare vellent Joanni III. Sobieſcki, Poloniæ Regi, quod rerum ſuarum curam geſſit in Tractatu Zuranovienſi anno 1676. ipſi aquam Jordanis dono miſerunt: quod argumento eſt, eos magni feciſſe aquas iſtas, & ſingulari aliqua virtute præditas exiſtimaſſe.

Monumenta temporum.

§. III.

Græci Octavo Idus Januarias aquam benedicebant, in Baptiſmatis Jeſu Chriſti monumentum.

OBtinuit quoque apud Græcos Traditio alia. Sexto nanque Januarii die, expleto Sacro Epiphaniæ, aquas benedicebant, quibus ſe abluerent Chriſtiani, illaſque etiam potarent; in ſpem inducti fore, ut

Græci benedicebant aquam octavo Idus Januarias.

* *Peregrini etiam & indigena corpora ſua & veſtimenta, in aquis Jordanis cum magna devotione ſoliti ſunt abluere. eo quod Redemtor noſter, a Beato Joanne in flumine illo baptizatus, contactu mundiſſimæ carnis fluvium ſanctificavit, vim generativam conferens univerſis aquis.* Jacob. de Vitriaco, c. 54.

in

in dies majorem vitæ integritatem attingerent lotione illarum aquarum, queis Eccleſiaſtica benedictio addiderat quandam virtutis illarum partem, quas filius Dei ſacraverat immerſione ſui.

Petrus Fullonius, qui Patriarchatum Antiochenum invaſit, non eſt quidem invocationis illius autor, quæ fit ſuper aquas in Feſto *Theophaniæ*, ut contendit poſt Theodorum Lectorem Cedrenus. Hic nanque Antiſtes, qui ſub exitum V. Sæculi vixit, Decretum duntaxat habuit, ut hæc benedictio, vetere more, non fieret nocte media, ſed veſpere in pervigilio; quod inter Orientales ſemper perſeveravit. Quamobrem longe vetuſtior eſt conſuetudo hæc, quandoquidem tradit D. Joannes Chryſoſtomus: *Fideles, cum aquati fuerint, ſub mediam noctem ſolere hanc hauſtam deportare domum, & per integrum anni ſpatium conſervare: ut pote quod per illum diem ſanctificatæ fuerant; fit autem miraculum manifeſtum: neque enim longo temporis tractu aquarum illarum natura immutatur.* Quod Hæretici & Proteſtantes ipſi mirum factum eſſe ſuſpiciunt propter tanti teſtis gravitatem *. Paſſim dicitur, etiamnum ſemel & iterum aquæ benedictionem tribui: 1. in pervigilio Feſti, & populum ex ea bibere, domoſque luſtrare: Benedictio altera fit inter Miſſarum Solemnia diei Epiphaniæ; & propterea ſanctior habetur, & diligentius aſſervatur; moriſque eſt de ea potum præbere pœnitentibus, nondum in Dei gratiam penitus reconciliatis.

Theod. Lector. l. 2. Cedrenus Chron. in Zenone.

Chryſ. Tom. 1. hom. 23.

Goarus in Euchologio.

Accepimus a Thomaſſino, eodem die cunctos Orientis Chriſtianos ſolemni ritu flumen benedicere, quod regionem ſuam præterlabitur. Qua ceremonia diuturni temporis ſpatio, & prolixis admodum precationibus peracta, cujuſque ætatis, ſexus, & conditionis gentes in illo ſe immergunt, perinde ac Baptiſma ſuum renovarent, necnon aquæ illius partem domum aſportant.

Traditio alia De Feſtis l. 2. c. 7. n. 9.

Codinus meminit ceremoniæ cujuſdam, quæ vocatur ἁγιασμός, hoc eſt, *conſecratio & aſperſio aquæ*; deſcribiturque ab illo in hunc modum. *Noſſe oportet, principio cujuſque menſis inſtitui benedictionem in Palatio*, Conſtantinopolitano, *excepto Septembri & Januario; nam in priore fit hæc benedictio decimo quarto, in poſteriore die ſexto.* Idque opinio eſt invaluiſſe quoque apud omnes Eccleſias Græcas, atque Æthiopicas.

Codinus Curopalata de Offic. 14. num. 26.

Ex Menæo 6. Jan. & in Euchologio.

* *Quandoque ad plures annos incorrupta ſervantur.* Cavius Hiſt. Litter. Diſſ. 2. de Libris & Offic. Eccleſ. Caſaubonus exerc. 13. in Baron. § 10. Montacutius. Orig. Eccleſ. Tomo 1. p. 2. pag. 43.

§. IV.

Baptiſma Jeſu Chriſti ſemper celebratum fuit octavo Idus Januarias.

In Vitis SS. 6. Jan. Hiſt. de Bapt. Jeſu Chriſti.

BAilletus, qui nunquam deeſt ſtudio atque opera ſua, ut ſanctas Inſtitutiones, ab Eccleſia religioſe ſervatas, enervet, ſententiam hanc de Chriſto Domino, octavo Idus Januarias baptizato, apud plebem & multitudinem ferme ſemper inoleviſſe. At vero non populi opinione, ſed unanimi pene veterum Patrum Traditione ſuper re iſta Eccleſia ducta eſt.

Jeſus Chriſtus, ut fert Traditio, baptizatus eſt VIII. Idus Januarias.

Cujus ſane argumenta ſuppetunt jam inde ab initio ſecundi ſæculi; quandoquidem D. Clemens Alexandrinus nos docet, Baſilidem ejuſque Sectatores Feſtum hoc ſolemni ritu celebraſſe octavo idus Januarias, alios vero quarto; ut pote qui pro certo habebant, eo die Chriſtum Jordanis aquis ablutum fuiſſe. Atqui ſpeciem non levem veritatis habet, Heterodoxos iſtos non fuiſſe primos Solemnium iſtorum autores. Igitur ea didicerant ab Eccleſia Catholica, a qua defecerant.

Clem. Alex. l. 1. Strom.

Chriſtophorſ. poſt Hiſt. Evagrii.

Chryſtophorſonus tradidit poſteritati fragmentum Epiſtolæ Euſebii Ceſaræenſis ad Marinum, in qua ſcribit, traditum id eſſe antiquitus in Eccleſia. Suffragantur his Hieronymus, atque Autor Chronici Alexandrini *. Baronius tandem animadvertit, in hanc ſententiam deſcendiſſe omnes Scriptores Eccleſiaſticos, uno duntaxat excepto Epiphanio, qui ait, Feſto huic ſacrum fuiſſe diem VI. Novembris.

Hieronymus in Ezech. 1.

Baron. ad annum 31. n. 18.

Tillem. art 6. in Jeſ Chriſtum.

Ac ſi ad recentiores veniendum eſt, Tillemontius ipſe fatetur, hanc eſſe unanimem Veterum Traditionem, Eccleſiamque cum Græcam tum Latinam eodem die etiamnum memoriam recolere. Immo apud Græcam hoc miſterium unum proponitur in tam celebri ac vetuſta Epiphaniæ ſolemnitate. Poſtremo nemo dubitabit, conſtare facilius de Baptiſmi, quam de Jeſu Chriſti Nativitatis die potuiſſe. Evidens itaque fit, Eccleſiam, cum Salvatoris Baptiſmum octavo ante Idus Januarias die collocavit, id non feciſſe, ut vulgi opinioni indulgeret, ſed ut dictis Patrum, qui priſcam Traditionem hanc amplexati fuerant, inniteretur.

* *Natus eſt Dominus quinto & vicesimo die Menſis Chyac, ideſt, Decembris, hora ſeptima noctis, Tinctus a Joanne in Jordane XI. Tybe, hoc eſt ſexta Januarii, hora decima diei.* Chron. Alex. Olymp. CXCIV.

A R.

ARTICULUS SECUNDUS.

Miraculum Nuptiarum in Cana Galilea.

§. I.

Incertus eſt hujus miraculi dies:

EXactis in Deſerto quadraginta diebus, vocatus eſt Jeſus, Mater ejus, atque diſcipuli ad Nuptias celebrandas in Cana, Galileæ oppidulo ad Phœnices. Illud ſimile vero fit, Nuptias iſtas alicujus pauperis hominis fuiſſe Chriſto cognatione conjuncti. *Deficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum: Vinum non habent.* Impletiſque aqua ſex magnis hydriis lapideis *, aquam illam in vinum convertit. Hoc *fecit initium ſignorum Jeſus.* Joannis 2. 3.

Quamquam miraculum iſtud eodem anno patraverit Chriſtus, quo baptizatus eſt, dies tamen latet in incerto. Qui hunc aſſignant, anno ab ejus Baptiſmate elapſo, iidem fateantur neceſſe eſt, Chriſtum Dominum anni illius ſpatio a quovis miro facto perpetrando abſtinuiſſe, quoniam iſtud primum fuit; eundemque aquis Jordanis tinctum fuiſſe decimo quinto menſe ante primum Paſcha, a Joanne memoratum. Neque item commode in eundem diem incidere poteſt, quo Jeſus baptizatus eſt anno antecedente: ſiquidem D. Auguſtini autoritate, prodigia hæc duo, aliaque multa die Dominico contigerunt. ** S. Joann. c. 2. v. 12.

Id itaque affirmemus, quod propius veritati poſſumus affirmare, Nuptias nimirum Canæ celebratas fuiſſe aut exeunte Februario, aut paullo poſt, quod optime concinit Hiſtoriæ Evangelicæ connexioni: Chriſtus etenim, poſtquam claruit oſtento iſto, commoratus dies aliquot Capharnai, inde ad Paſcha celebrandum Hieroſolymam profectus eſt. Nihil Joannis ibidem.

* Rumor eſt, ex his hydriis aliquam ætatem tantam evaſiſſe. Unam certe oſtendunt in Monaſterio Portusregalis Pariſienſis, quæ viſitur in Choro Sanctimonialium; traduntque, eam S. Ludovicum, e Locis Sanctis remigrantem, Pariſios tranſtuliſſe. In media Hydria ſub anſis duo ſunt caracteres hebraici. Videtur ex duro lapide confecta, & inſtar marmoris expolita. Tandem continere dicitur ad quatuor ſupra centum Sextarios Gallicos, vulgo Pintas quinquaginta duas: quæ duas item Metretas Evangelicas pene æquant.

** *Venerabilis eſt Dominicus dies .... quo Dominus baptizatus eſt in Jordane; quo vinum de aqua factum eſt in Cana Galilea; quo benedixit Dominus quinque panes; in quo reſurrexit a mortuis.* Aug. ſerm. 154. de Tempore.

tra-

tradiderunt Patres de die Nuptiarum Canenſium, iidemque videntur nihil hac de re habuiſſe compertum. Quare cum Eccleſia canit octavo Idus Januarii: *Hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias*, idem eſt, ac ſi diceret pro more ſuo: *Hodie miraculi hujus agitur memoria*. Atque unus ferme eſt Epiphanius inter Patres, qui crediderit, Canæ Nuptias ſexto Januarii die celebratas, quo illarum ſolemnitatem colit Eccleſia Latina.

Epiph. Har. 51.

§. II.

Secundum priſcam Traditionem, miraculum idem in ſingulos annos inſtauratur.

Aquæ fontium in vinum convertebantur ſexto Januarii die.

TEſtis eſt Epiphanius, Nuptiarum Canenſium portentum ad incredulos convincendos pluribus in locis in annos ſingulos renovari conſueviſſe. *In multis locis*, ita habet, *uſque in hunc diem hoc fit, quod tum factum eſt divinum ſignum in teſtimonium incredulis: velut teſtantur in multis locis fontes ac fluvii in vinum converſi. Cibyres quidem Urbis Cariæ fons, qua hora hauſerunt Miniſtri, & ipſe dixit: Date Architriclino. Teſtantur & in Geraſo Arabiæ fons ſimiliter. Nos bibimus de Cibyres fonte; fratres vero noſtri de eo, qui eſt in Geraſo in Martyrum Templo. Sed & multi in Ægypto de Nylo hoc teſtantur.*

Epiph. Har. 51.

Caſaubonus miraculo huic fidem detrahere nititur. *Exerc.* 3 § 22. *ad ann.* 31. *num* 33. *Plinius l.* 31 *c.* 20. *Vid c.* 2.

Quamquam Caſaubonus, qui cum de miris agitur factis, nimiæ credulitatis ſuſpicione laborare nequit, dubitandum non eſſe declaret de Patris hujus experimento prorſus admirabili; dat tamen operam, ut miraculum iſtud extenuet; immo contendit, ante nuptias Canæ, quoſdam vini fontes celebres in Hiſtoria fuiſſe. Non repugno quidem, Plinio referente, Fontem quendam in Inſula Andros vini ſaporem imitari ſolitum quinto quoque Menſis Januarii die: at hic ex eodem Hiſtorico ſeptem continenter diebus vino manabat; neque inferre quidquam poſſumus, quod adjuncto temporis nuptiarum Canæ congruat. Alias cum fons Andrius ſacer eſſet Baccho, nullius momenti fuiſſet, ad perſuadendum Gentilibus miraculum hoc, in eo fonte hanc mutationem inducere; reſque in Bacchi potius, quam in Jeſu Chriſti gloriam redundaſſet.

Pontes, quorum aquæ ſpeciem vini præſeferebant. *Plin. l.* 31. *c.* 2.

Nemo ſane inficias ibit, extitiſſe ante Salvatoris adventum fontes aliquos non uno in loco, qui referrent ſpeciem quandam vini, & facultatem inebriandi eos, qui potarent; uti ille, de quo, nixus teſtimonio Eudoxii & Theopompi, Scriptorum vetuſtiſſimorum, loquitur Plinius. Vitruvius, Jeſu Chriſti contemporaneus, *eſſe fontes*, narrat, *uti vino mixtos, quemadmodum eſt unus Paphlagoniæ, ex quo etiam ſine vino potantes*

Vitruvius l. 8. c. 3.

fiunt

fiant temulenti: quod idem de multis aliis fontibus refert *. Tertullianus Lynceſtrium memorat, in Macedonia poſitum, cujus guſtus ad acetum accedebat. Ovidius quoque jampridem de his aquis eeeinerat.

Lynceſtius amnis,
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat quam ſi mera vina bibiſſet.

Atqui licet hi fontes omnes colorem, & ſi placet, guſtum quoque vini imitentur; nihili tamen quæ de iis feruntur, huic miræ, de qua loquitur Epiphanius, aquarum nocent mutationi. Fontes alii ſcatebant non vino, ſed aquis acidis & mineralibus, queis inebriandi vis erat; quod ſi vinoſi revera eſſent, alia certe diſſimili plane ratione. Præterea fontes illi perpetuo, non autem die quodam peculiari fluebant. At in annuo noſtro prodigio aqua in vinum vertebatur, labente die Epiphaniæ, quo peracto, ad priſtinam aquæ naturam revertebatur. Denique facta omnia, ab his Autoribus relata, maximam aſſerunt dubitationem, & fundamentum duntaxat habent in aliorum narrationibus, ut apparet, incertiſſimis. Aut ſaltem nefas eſt, effectus iſtos, ab una natura profectos, inter miracula recenſere, quæ primum illud a Chriſto perpetratum conſecuta ſunt.

Ac enim, inquies, ſi annale miraculum, de quo Epiphanius, octavo Idus Januarias contingere ſolebat, ut alteri priſco Nuptiarum Canæ tribueret autoritatem; fit ſatis ſimile vero, primam illam aquæ in vinum converſionem eodem die factam fuiſſe, quo portentum inſtaurabatur in ſingulos annos, ſexto nimirum Januarii. Alias ſi miraculum primum in aliam diem incidiſſet, cetera de mutatione aquarum in vinum ambigua ſane ratione ad illud referrentur. Interim vero perſpicuum eſt, latuiſſe Patres definitum diem, quo Canenſium Nuptiarum miraculum patratum fuit; & citra pene omne dubium eſſe, illud vel ſub Februarii exitum vel ſub Martii initium contigiſſe. Videtur igitur Traditio hæc, ab Epiphanio narrata, incertæ admodum veritatis; vel primum Jeſu Chriſti miraculum octavo Idus Januarias collocandum eſt. Objectio adverſus miraculum illud.

Hæc tamen difficultas in nihilum per ſeſe evadit, ſi attendamus, cum neceſſum non ſit, ut teneamus, quo die acta Myſteria fuerint, poſſe Deum illa miraculis honeſtare diebus iiſdem, quos eorundem ſolemnitate Eccleſia dicavit. Diſpellitur.

Baronii animadverſio eſt, admirabili Deum proviſione indulſiſſe, ut concederet, mirum oſtentum iſtud ſexto fieri Januarii die, quamvis, ut omnia ferunt indicia, illud Canæ alio patratum ſit die. *Videas nimirum,*

* *Sunt nonnulla acida vena fontium, ut in Lynceſtro, & in Italia, Virena, Campana, Theano, aliiſque locis plurimis.* Vitruv. ibidem.

inquit,

inquit, *admirabilem quandam Capitis cum ceteris membris conſenſionem; nempe Chriſti cum Eccleſia: dum diem, quam in tantæ rei geſtæ memoriam ſolemniter ipſa celebrat, ille his miraculis voluerit annis ſingulis illuſtrare.*

Baron. ad an. 31. num. 33.

Deus miraculis illuſtravit dies ab Eccleſia Feſtis recolendis præſtitutos.

Ita olim geſſiſſe Deum in Eccleſia, non vacat exemplis. Mos erat Occidentis, Neophitos Baptiſmi aquis abluere in Pervigilio Paſchatis: porro conſtanti traditione certiores effecti ſumus, Sacra Baptiſteria in Eccleſiis multis eo die mirandum in modum repleri, non quidem ut indicent, Jeſum Chriſtum ea die baptizatum fuiſſe; ſed ut oſtendant, deſignatum tempus illud eſſe ab Eccleſia, quo ſolemni ritu Baptiſmum conferret. Verum contigit aliquando, ut in Paſchatis feligendo dio fallerentur: tum autem Sacra Baptiſteria arida fuerunt ad diem uſque, quo Paſcha celebrandum erat, atque in eo ſtatim aquis exundarunt. Mirum eventum hoc, Zoximi Papæ tempore confectum, Paſchaſinus Epiſcopus Lilybeenſis in Sicilia litteris conſignavit, quod cum celeberrimum & teſtatiſſimum ſit, æqui bonique accipiet Lector, me hic fuſis verbis deſcripſiſſe *.

Aliud non abſimilis portenti exemplum reperimus apud Baronium. Aſſervatur Neapolis ampulla ſanguinis Sancti Stephani, quæ in ſingulos annos liquefit, vertente die Inventionis Reliquiarum Sancti hujus Martyris, tertio Nonas Auguſti. Nihilo ſecius cum Gregorius XIII. Kalendarium emendavit, eique addidit decem dies, Miraculum Sancti Stephani patratum fuit die illo, quo Eccleſia Inventionis Reliquiarum ejus Feſtum celebrabat, non autem decem poſt dies ut antea; cujus miræ rei teſtem oculatum Franciſcum Mariam Tauriſium Cardinalem Baronius producit. *Ex quo plane conſtat*, concludit idem Baronius, *divinis ſuffragiis, quæ in Sancta Romana Eccleſia ab ipſo Romano Pontifice conſtituta ſunt, probari atque firmari.*

In Notis ad Martyr. 3. Aug.

* *Quadam viliſſima poſſeſſio, Meltinas appellatur, in montibus arduis, ac ſylvis denſiſſimis conſtituta, illicque perparva, atque vili opere conſtructa eſt Eccleſia. In cujus baptiſterio, nocte ſacroſancta Paſchali, baptizandi ora, cum nullus canalis, nulla ſit fiſtula, nec aqua omnino vicina, fons ex ſe repletur, pauciſque qui fuerint conſecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat, ex ſeſe diſcedit ..... Cum ergo apud Occidentales error ortus fuiſſet, conſuetis lectionibus nocte Sancta diſcuſſis, cum Presbyter ſecundum morem baptizandi horam requireret, uſque ad lucem aquam non venientem, non conſecrati qui baptizandi erant receſſerunt. Ut ergo breviter narrem, illa nocte, qua luceſcebat in diem Dominicam, decimo die Kalendas Maii, fons ſacer hora competenti repletus eſt. Evidenti ergo Miraculo claruit, Occidentalium partium fuiſſe errorem.* Paſchaſ. apud S. Leonem Ep. 63.

DISSERTATIO II.

De Epistolis Jesu Christi, & Abgari; deque Imaginibus Edessæ, & Paneadis.

DIscrepant Autores cum de authentica veritate ambarum Epistolarum istarum, tum de imagine, a Jesu Christo ad Regem Abgarum missa, & de Historia Statuæ Paneadis. Alii monumenta hæc apocryphis annumerant, alii indubia esse defendunt. Quæ duo extrema vitio non carere arbitramur. Argumenta nanque priorum ita rem non efficiunt, ut posteriorum fundamenta penitus subvertant; neque istorum rationes hactenus dirimunt controversiam, ut nullus supersit dubitandi locus de certa Epistolarum atque Imaginum istarum veritate. Ut autem media, eaque recta, incedamus via, operam omnem impendemus, ut statuamus, Traditionem, quæ nobis hæc omnia servavit, vel certe æquissimam esse, veroque simillimam.

ARTICULUS PRIMUS.

Probabile admodum est, Abgarum dedisse Epistolam ad Jesum Christum, eique Jesum Christum respondisse.

§. I.

Argumentum Epistolarum Istarum.

Epistola Jesu Christi servata est ad annum usque 1185.

ÆTate Redemtoris nostri, ea Mesopotamiæ pars, quæ Osroene vocabatur, propriis Principibus subjecta erat; iique semper *Abgari* dicti sunt, quod arabice interpretatur, *potentissimus* *. Ille,

* Abgarus Rex Edessenus, ita nuncupatus fuit, quod claudus esset, idque Syriaca lingua nomen ejus significaret. Ne legas itaque *Abgar*, neque illud

de quo diſputamus, filius Eucanii, ſive Ueamii erat, inter Provinciæ illius Principes celeberrimi. Abgarus igitur, qui Toparchæ interdum, interdum Regis titulo decoratur; cum fando audiviſſet miracula, quæ a Chriſto domino in Judæa patrabantur, non dubitavit, quin hic eſſet Meſſias hominibus promiſſus. Quare id ſibi ſumſit, ut ad eum mitteret curſorem Ananiam nomine, Epiſtolas deferentem, quæ ipſi Urbem ſuam offerrent, in qua commodius degeret, quam Hieroſolymis, atque inter Judæos, illum unde unde poſſent male accipientes: eundemque, ut Edeſſam peteret, enixe poſtularet, quo ſibi, malo morbo laboranti, mederetur. Morbus hic Procopio podagra fuit; Conſtantino Porphirogenito paralyſis; Græcis tandem recentioribus lepra.

Epiſtola Abgari ad Jeſum Chriſtum:

Euſeb. l. 1. Hiſt. c. 13.

Mihi auditum eſt de te, & curationibus tuis, quæ fiunt a te ſine pharmacis & herbis. Sicut enim ſermo percrebuit, cæcos videre facis; claudos ambulare, & leproſos mundas, & impuros ſpiritus & Dæmones ejicis, & diuturnis morbis vexatos curas, & mortuos excitas. Et hæc omnia cum audiſſem de te, in animum induxi alterum duorum, aut te eſſe Deum, & delapſum e cœlo facere hæc, aut filium eſſe Dei facientem hæc. Propterea igitur per Litteras rogavi te, ut inviſeres me, & morbum, quem habeo, ſanares. Etenim audivi, Judæos & obtrectare tibi, & velle tibi male facere. Urbs autem perexigua eſt mihi, ſed ornata, quæ ſufficiet ambobus.

Porro Jeſus non quidem Edeſſam ſe contulit, ſed ad eum reſcripſit, miſſurum ſe poſt ſuam in Cœlum Aſcenſionem aliquem ex Diſcipulis ſuis, qui morbo remedium afferret, eundemque ſalutaribus myſteriis imbueret.

Epiſtola Jeſu Chriſti ad Abgarum.

Euſebius ibid.

Abgare, beatus es, quod credidiſti in me, licet me nunquam videris. Scriptum eſt enim de me, eos, qui me viderunt, non credituros mihi, ut qui non viderunt, ipſi credant & vivant. Quadre ſcribis mihi, ut veniam ad te, neceſſe eſt, omnia, ad quæ veni, hic implere me; & poſtquam im-

ducas ab *Akbar*, quod Arabice *Magnus* dicitur. Traditione cum Chriſtianorum tum Turcarum comperimus, Principem hunc Epiſtolam dediſſe ad Jeſum Chriſtum, atque ab eo reſponſum tuliſſe cum linteo, in quo Facies divina delineata erat. *Herbelotius in Bibliotheca Orientali, verbo, Abgar.* Gall.

ple-

plevero, ita recipi ad eum, qui miſit me. Et poſtquam receptus fuero, mittam tibi aliquem Diſcipulorum meorum, ut curet morbum tuum, & vitam tibi, & iis qui tecum ſunt, impertiat.

Poſtquam igitur in Cœlum Chriſtus conſcendit, Abgarus cognovit, eum ſibi pollicita perſolviſſe; Apoſtolus nanque Thomas S. Thadæum, ex Diſcipulis unum, Edeſſam ablegavit, qui Regem convertit ad bonam frugem, morboque liberavit. Quo factum eſt, ut Edeſſeni ipſi Fidem amplecterentur, atque in illa conſtantiſſime perſeverarent.

Ambarum Epiſtolarum iſtarum Archetypum Syriacum eſt. Illud e Syriaco Græce reddidit Euſebius. Moſcovitis commune fecit Boſius Profeſſor Jenenſis. Leguntur etiam Perſice, Græce & Latine. Epiſtolæ iſtæ parum diſcrepant in omnibus iſtis verſionibus. Exemplar autem latinum, quod extat in celebri Bibliotheca Volfembutelenſi, differt admodum a Veneto. Epiſtola Abgari ex Arabico Abulpharaii ab erudito Pocockio converſa eſt. *Variæ Epiſtolarum iſtarum Interpretationes.*

Archetypum Epiſtolæ Jeſu Chriſti, ut teſtatur Cedrenus, extabat adhuc ætate Imperatoris Michaelis Paphlagonici ad annum circiter 1035. Quo regnante, cum ariditate ſex integros menſes terra elanguiſſet, elata fuit Epiſtola Jeſu Chriſti ad Abgarum ab Aulæ Præfecto in publica Supplicatione, ad divinam iracundiam propulſandam inſtituta. Quamobrem tum certe Epiſtola illa Byſantii ſervabatur, eo delata anno circiter 1028. imperante Romano Argyropulo, Michaelis Deceſſore*. Hæc Epiſtola ætatem evaſit ad annum uſque 1185. quo periiſſe creditur, cum Plebs Byſanthina in Imperatorem Andronicum Comnenum turbas excitavit. Nicetas ** profecto narrat, in eo tumultu, Thecam Sacram, in qua erat Epiſtola hæc, furto ſublatam fuiſſe. *Cedrenus Compl. Hiſt. I. 2.* *Epiſtola Jeſu Chriſti diu ſervata eſt.*

§. II.

Teſtimonium cum veterum tum recentiorum Scriptorum pro Epiſtolis iſtis.

PRimus omnium Euſebius eſt, *** qui de Epiſtolis iſtis meminerit. Declarat autem, ſe illas e publico Edeſſenæ Civitatis Tabulario depromſiſſe, in quo Syriacis verbis deſcriptæ ſervabantur, non ſecus atque *Euſebius affert Epiſtolas iſtas.*

* *Gregorius Maniaces Protoſpatharius, Urbium ad Euphratem Prætor, Edeſſa potitus, Epiſtolam Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti manuſcriptam, quam ibi invenerat, Imperatori miſit.* Zonaras in Romano Argyropulo. Joannes Curopalata in ſua Hiſtoria. Cedrenus in Hiſt.

** *Sacroſanctum illud vaſculum furto ſublatum, quo, ut a majoribus accepimus manibus, ad Abgarum Littera continebantur.* Nicetas Choniat. l. 2. de rebus geſtis Andronici Comneni Imperat.

*** *Quarum rerum inſigne & locupletes teſtimonium ex Tabulario Edeſſa Civitatis, id temporis a Rege gubernata, de-*

Historia, quam recitat, Missionis S. Thadæi, & conversionis ejusdem Urbis. Possumus itaque suspicari, præstantem Autorem istum nihil præterrisse illorum, quæ ad historiam hanc expendendam facere poterant, quæ maximę poterat esse Ecclesiæ utilitati, & non modicam prioris Historiæ suæ Ecclesiasticæ Libri partem constituit.

Scriptores alii Ecclesiastici, qui Epistolas illas memorant. *Apud Aug. Ep. 210. vol. 363. Evagr. Hist. Eccl. l. 4. c. 26.*

Sanctus Ephrem Diaconus Urbis Edessenæ, qui sub initium IV. Sæculi floruit, tempore Constantini, mentionem habet Epistolarum istarum in eo Tractatu, qui inscribitur: *Testamentum S. Ephrem*. Darius Comes, V. Sæculo clarus, earundem memoriam recolit in Epistola ad Augustinum. Evagrius dicit, Procopium scriptis mandasse ea, quæ Veteres tradiderunt de Civitate Edessæ, de Rege Abgaro, & de Jesu Christo, qui ad Principem istum Litteras dedit. Præter Autores istos, a Joanne Damasceno *, Theodoro Studita, a secundo Concilio Nicæno, & Cedreno Epistolarum istarum mentio fit.

Non habeo autem quod afferam magis authenticum Traditionis hujus VIII. Sæculo testimonium, ac illud Grægorii II. In Epistola nanque, quam ad Leonem Isauricum misit Pontifex iste anno 726. conceptis verbis habet: *Abgarum ad Christum scripsisse, & Christum sua manu rescripsisse*. Haymonius Episcopus Halberstadiensis in Saxonia inferiori, atque XI. Sæculi Scriptor, in Opere *de Christianarum rerum memoria*, Epistolarum istarum verba fecit. Constantinus denique Imperator, cognomento Porphyrogenitus, qui sæculo X. imperavit, non est oblitus mentionem habere de Epistolis istis, deque Translatione Epistolæ Jesu Christi Constantinopolim.

Greg. II. Epist. ad Leonem Isaur.

Haymo &c. l. 2. c. 4.

Recentiorum sensa de Epistolis istis. *Tillemontius t. 1. in S. Thomam Apostolum.*

Inter recentiores Catholicos, qui Epistolas hasce non respuunt, unum Tillemontium produco, cujus verba animadversione digna sunt, eaque libenter usurpo. Postquam etenim Eusebii atque Ephremi dicta pro vetustis hisce monumentis in medium protulit: „ Mihi videor, inquit, ine„ luctabiles Demonstrationes desiderari, ut tanquam supposititia ex„ ploderemus monumenta, duorum gravissimorum virorum autoritate „ fulta, alterius quidem ingenio & sapientia, alterius pietate & religio„ ne præstantis. Non contendimus autem, eas esse perspicue certas; „ nemo enim est, qui falli non possit: sed speramus futurum, ut Eru„ diti, quorum plerique ad eas falsitatis arguendas ducuntur, nobis æqui „ & boni parcant, si nolumus a regula nostra desciscere, ne quidquam

promtum habes. Nam in tabulis publicis, quæ nedum veteres, sed recentes etiam res nuper ab Abgare gestas continebant, hæc eadem ad nostram ætatem reservata reperiuntur. Quare nihil commodius esse putavi, quam ipsas Epistolas, a veteribus illis annalibus petitas, atque adeo ad verbum ex Lingua Syriaca in Græcum conversas hoc loco citare, quæ ita se habent &c. Euseb. Hist. Eccl. l. 1. c. 3.

* *S. Joannes Damascenus l. 4. Orthod. Fidei c. 17. Theodor. Studita Epistola ad Paschalem Papam. Concilium Nicænum Act. 5. Cedrenus in Compendio Hist. tab. 2.*

reji-

„ rejiciamus, quod ſatis momenti habet in antiquitate, niſi ſi argumen-
„ ta admodum firma nos cogant. „

Moderatio Hæreticorum aliquorum de Epiſtolis iſtis.

Quo in loco non poſſum, quominus afferam temperatiſſimum Proteſtantium aliquorum de Epiſtolis iſtis judicium. Primus ſub ſtilum venit Cavius, qui cum Scriptores nonnullos indicaſſet, qui genuinas negant Epiſtolas iſtas, ſubjungit: *Verum ego non adeo temere abjiciendum eſſe cenſeo tam venerabile antiquitatis monumentum*. Caſaubonus non auſus in dubium revocare, ſaltem Epiſtolam Abgari, & minus fidens eruditione ſua, profitetur: ſe *De Epiſtola Abgari, Toparchæ Edeſſeni ad Dominum, Doctiorum judicia audire malle, quam aliquid ipſe pronunciare.*

Cavius. *Hiſt. lit. pag. 2.*

Caſaubonus. *In Baron. Exerc. 13. ad ann. 31.*

Duos eruditos Scriptores iſtos excipiat alius eruditione nihilo minor, Richardus Montacutius, Epiſcopus Norvicenſis Urbis in Comitatu Norfolciæ in Anglia, affirmans: *Non eſſe in his Litteris aliquid, cur rejiciantur; omnia pia, modeſta, & cum Chriſtiana pietate conjuncta. Sed utcumque mihi ita videantur æſtimanda, unuſquiſque tandem in ſuo ſenſu abundet.* Quæ loca ſatis monent, Scriptores iſtos, licet certas & indubitatas non judicent Epiſtolas iſtas, non cenſere tamen autoribus ſuis ſuppoſitas: ſed cum idonea autoritate firmatæ ſint, non eſſe ambigendum, quin maxima ſaltem probabilitate afficiantur.

Richardus Montacutius. *Orig. Eccl. parte poſter. Pal. 63.*

§. III.

Exponitur, quonam ſenſu Concilium Romanum Epiſtolam Jeſu Chriſti apocryphum declaraverit.

Celebratum Romæ anno 494. & frequens Epiſcopis LXX.

MAjor, quæ hac in quæſtione emergat, difficultas eſt, ſcire, quonam ſenſu Gelaſius Pontifex Epiſtolam Jeſu Chriſti apocryphis annumeraverit. Hinc namque pendet, aut ego fallor, Epiſtolæ hujus authentica veritas, vel ſuppoſitio, aut certe probabilitas. Operæ itaque pretium eſt, celeberrimi hujus Concilii Decretum explicare, quidque voce hac *Apocryphum*, quam ſæpius repetit, intelligat.

Conſilium Patrum hujus Synodi in hoc Decreto.

Quicunque porro diligenter expendat Decretum iſtud, is plane deprehendet, propoſitum habuiſſe Patres Concilii hujus, ut illud edentes, de medio tollerent innumeros pravos Libros, primæva Eccleſiæ ætate cum a Catholicis, tum ab Hæreticis conſcriptos. Volumina hæc conſtabant hiſtoriis multis falſis, ſuſpicioſis, aut dubiis, Dogmatibus Fidei contrariis, & id genus aliis non paucis periculoſis rebus, Chriſtianorum ſimplicitatem in errorem inducentibus *. Quanquam autem Opera hæc

* *Quia igitur Libros a Catholicis & Hæreticis fere innumeros noverat editos Gelaſius, atque in iis tum falſa, perverſa, & hæretica dogmata latere, tum alia quæ dubia & periculoſa, quæ ſcandalo offenſionem ſimplicibus præberent: tum plane omnia*

omnia ad genera inter ſe oppido diverſa pertineant, Concilium tamen univerſa ſine diſcrimine *Apocryphorum* cenſura notavit.

In claſſes multas dividuntur Libri Apocryphi.

Nihilominus in plura genera partiri poſſunt Libri, quos Sancta Synodus Apocryphos declarat. Prioris generis eſſe poſſunt ii, qui ſingillatim alicui Scriptori ſuppoſiti ſunt, atque illi, qui Autoris nomine carent *: Hujuſmodi Libri non ſolum ideo habiti ſunt apocryphi, quod Autores illorum ignoti ſint, ſed quod etiam fabulis conſtent, rebuſque vel ad fovendam pietatem parum idoneis, vel malis, vel ſuperſtitioſis, & philacteriis pleni, & propterea legendi non ſint, ſed occulendi. In hunc pariter cenſum venire poſſunt Libri atque Auctores, qui a Concilio anathemate percelluntur. **

Claſſis prima.

Claſſis ſecunda.

Alterum genus complectitur Libros, qui piis optimique exempli rebus referti ſunt; ſed quia Scriptores eorum latent in incerto, vel veremur, ne ab Heterodoxis conſcripti fuerint, aut ipſis additæ res ineptæ, atque adjuncta non ſatis ad veritatem accommodata: iccirco eos Concilium *Apocryphos* appellavit, nimirum *ſine ſingulari cautela in Sancta Romana Eccleſia non legendos*. Quibus accenſeas licet Acta nonnullorum Martyrum, & Sanctorum multorum Geſta. ***

Tertia Claſſis.

Tertium locum tenere poſſunt, qui eorum revera nomina in fronte gerunt, a quibus conſcripti ſunt; ſed *Apocryphi* dicuntur, quaſi non digni, qui publice in Eccleſia perlegantur. Atque iſta interpretatione Concilium apocrypha nuncupat multorum Scriptorum Eccleſiaſticorum Opera. ****

Concilium itaque Scriptorum iſtorum Opera *propter rerum notitiam ſingularem, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicit renuenda*: ea tamen pronunciat apocrypha, cum nolit facultatem dare, ut in Chriſtianorum cœtibus publice legantur, atque Officii Eccleſiaſtici partem conſtituant. Quem quidem honorem iis tantummodo decrevit Sanctorum Patrum Operibus, *qui in nullo a Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſortio deviarunt, nec ab ejus fide, vel prædicatione ſejuncti ſunt, ſed Communionis ipſius, gratia Dei,*

rima ab Hæreticis intruſa ..... hujuſmodi Librorum diſcrimen ſtatuit, ut aliqui omnino rejicerentur, alii abſque offenſionis periculo legerentur.

* *Actus, nomine Andreæ Apoſtoli, apocryphi: Actus, nomine Philippi Apoſtoli, apocryphi: Liber de Nativitate Salvatoris, de Sancta Maria & obſtetrice, apocryphus: Liber, qui appellatur Pœnitentia Adæ, apocryphus.*

** *Opuſcula cum ſuis Autoribus, Auctorumque ſequacibus ſub anathemate indiſſolubili vinculo in æternum confitemur damnata.*

*** *Liber, qui appellatur, Pœnitentia Cypriani, apocryphus: Paſſio Cyrici & Julitæ, apocryphus.*

**** *Opuſcula Clementis Alexandrini, apocrypha; Opuſcula Tertulliani, apocrypha: Hiſtoria Euſebii Pamphili, apocrypha: Opuſcula Lactantii, apocrypha: Opuſcula Victorini Pictavienſis, Apocrypha: Opuſcula Caſſiani, Presbyteri Galliarum, Apocrypha.*

uſque

usque ad ultimum diem vitæ suæ participes fuerunt. Quod est igitur Epistolæ Jesu Christi ad Abgarum, (neque enim alterius Epistolæ hujus Principis mentio a Concilio fit) non videtur Synodus, cum illam inter Apocrypha rejecit, in ullum Librorum istorum ordinem redegisse. Etenim nihil præsefert fabulosum, pravum, pernicioſi exempli, inutile, superstitioſum, vel a Fide abhorrens, quod Synodum compulerit, ut eam a Christianorum oculis removeret: porro e converso pietatem undique, atque exemplum optimum redolet. Quare ergo a Concilio *apocrypha* esse censetur? *Epistola Jesu Christi ad Abgarum Regem apocrypha*. Quia videlicet compertum omnino non erat, eam conscripsisse Christum Dominum. Quo sensu Epistola Jesu Christi Apocrypha declarata sit.

Prodiit quippe quarto tantum sæculo; primi ejus laudatores capi nullo negotio potuerunt; a paucis tantummodo recepta est. Quæ omnia veritatem indubitatam haud pariunt, Epistolam hanc a Jesu Christo exaratam fuisse. At enim Concilium eam Jesu Christo adjudicare potuisset autoritate Eusebii, Ephrem, aliorumque IV. & V. sæculi Scriptorum. Non repugno. Verum licet argumenta hæc satis essent, ut illam verosimillimam redderent; satis tamen non erant, ut a Concilio collocaretur in numero Librorum minime controversorum, & de quibus nulla dubitatio oriri possit. Ac si fas esset mihi hactenus audere animadvertendo, dicerem, Epistolam hanc idonea autoritate munitam esse, ut publice in Ecclesia recitetur, officiique Divini partem constituat; si Viris, ad quos attinet publicas Ecclesiæ preces designare, placitum esset, inter illas Epistolæ huic locum præbere. Quot nanque in Breviariis castigatissimis *Legendæ* sunt, quæ plures propugnatores, paucioresque adversarios non habent? Neminem pariter latet, quod alibi sæpius monuimus, non esse necesse, ut Ecclesiasticæ precationes Canonicis duntaxat rebus, aut moraliter certis compactæ sint? quandoquidem omnia, quæ a Sanctis Litteris depromta non sunt, probabilitatis fines non egrediuntur: licet hæc diversos plane gradus aquirere possit. Epistolæ Jesu Christi locus esse posset in Officio Divino

Quod si conjecturæ meæ super Concilii Romani de Libris Apocryphis, & præsertim de Jesu Christi Epistola, Decreto satis rectæ minime videantur; proficiam libenter Eruditorum illorum sapientia, qui mihi in re obscura lumen præferre non denegabunt.

§ VI.

§ IV.

Senſus, ab Autoribus tributi voci Apocryphum *Concilii Romani, nequeunt congruere Epiſtolæ Jeſu Chriſti.*

Mens P. Alexandri de voce *Apocryphum*.

Alex. Hiſt. Eccl. Tom. 1. Diſſ. 3.

NON deſunt Litterati homines, qui putent, vocem *apocryphum* hoc loci ſignificare *falſum aut ſuppoſititium*, alii *non canonicum*. A priore ſententia eſt P. Alexander. Audi enunciationem ipſius. *Epiſtolæ Jeſu Chriſti ad Abgarum, & Abgari ad Jeſum Chriſtum ſuppoſititiæ & apocryphæ ſunt. Id probatur Decreto Concilii Romani, in quo Gelaſius Papa hoc de illis judicium tulit: Epiſtola Jeſu ad Abgarum Regem, apocrypha. Epiſtola Abgari ad Jeſum, apocrypha.* *

Alex. Hiſt. Tom. 1. c. 12 art. 8.

Duo Librorum apocryphorum genera.

Porro videtur ſapiens hic Dominici alumnus ſecundum principia ſua rite diſſerere; qui exiſtimat *bifariam ſumi Apocrypha, vel pro pſeudepigraphis, & quorum ſecreti Autores atque incogniti, vel pro iis, quæ notam aliquam merentur erroris aut impietatis*. Quapropter Epiſtolam S. Barnabæ, falſo huic Apoſtolo tributam exiſtimat, atque in hunc modum argumentatur: *amandanda non eſt Epiſtola Barnabæ ad apocryphas Scripturas, quia notam aliquam erroris aut impietatis mereatur, quin immo teſtatur S. Hieronymus, illam ad ædificationem Eccleſiarum pertinere*; *Ergo*, concludit, *cenſenda eſt apocrypha, quod ſit Pſeudepigrapha, & Sancto Barnabæ ſuppoſita*. Cujus doctrinæ vi Epiſtolam quoque Jeſu Chriſti non accipit idem Pater: cum nihil etenim contineat, quod Salvatoris dignitatem & Sapientiam non deceat, ſequitur, eam eſſe apocryphum judicandam, quod nimirum Jeſu Chriſto perperam tribuatur.

Quæ cum ita ſint, poſſemus eruditum hunc Dominicanum interrogare, nonne velit regulis ſuis parere, quod attinet ad alios Libros, in eodem Decreto apocryphos appellatos, aut nolit? Si præceptis ſuis obtemperare detrectet, quare illis utitur, ut Epiſtolam Jeſu Chriſti tanquam commentitiam excludat? Et cur illa ad hanc citius Epiſtolam, quam ad alia Opera refert, æquo modo in eodem Concilio inter apocrypha recenſita? Ceterum non poteſt ſe ſubducere, quin pronunciatis ipſe ſuis pareat; niſi ſimul profiteatur, argumentationem ſuam non conficere, atque adhibitas rationes nutare.

Apocryphum non ſignificat ſuppoſititium, ut placet Alexandro.

Si vero de Epiſtolarum iſtarum ſuppoſitione pronunciare velit ex re-

* Neſcio æquidem, ubi legerit Alexander locum iſtum: illud certe perſpicuum eſt in Decreto Concilii hujus, relato a Gratiano *Diſſ.* 15. *c.* 3. hæc ſolum verba eſſe: *Epiſtola Jeſu ad Abgarum Regem apocrypha*, & nullam de Abgari Regis Epiſtola fieri mentionem.

gulis

gulis paullo ante conſtitutis, libenter aſſentior; ſed opus quoque erit, ut ad apocrypha ſcripta detrudat Librum Paſtoris, Hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii, Opera Tertulliani, S. Clementis Alexandrini, alioſque Libros omnes, quos Decretum idem apocryphos judicat. Et tamen hæc Gelaſii cenſura non prohibet, quominus Alexander cum Litteratis univerſis Operum Scriptoribus iſtis tributorum veritatem agnoſcat. Quis id inficiari auderet! Quid de Hiſtoria Eccleſiaſtica, eademque P. Alexandri, ficret; ſi in ſpuriis habendi eſſent Libri omnes, quos edixit apocryphos Concilium Romanum.

Baronius, Tillemontius, aliique Sapientes, qui pro Jeſu Chriſti Epiſtola pugnant, ajunt, *Gelaſium Papam recenſere illam inter apocrypha, quaſi non Hagiographa*. „ Eccleſia, inquit Tillemontius, cum Epiſtolam „ hanc non receperit eadem communi, qua Scripturas recepit, via .... „ propterea potuit illam apocryphis adſcribere, non tanquam falſam, „ ſed ut non autoritate tanta præditam, quanta opus eſſet, ut partem „ efficeret Scripturarum. „

Baron. ad ann. 31. n. 60.

Tillem. art. de S Thoma Ap.

Sed emergit ſemper gravis difficultas, unde ſit, vocem hanc *apocryphum*, cum dicitur de Epiſtola Jeſu Chriſti, uſurpari pro *non Canonico*, potius quam ubi de aliis Libris, in eodem Decreto contentis, intelligitur. Explicent igitur nobis, quid ſibi velit vox *apocryphum*, quoties agitur de Opuſculis Tertulliani, Clementis Alexandrini, Caſſiani, aliorumque eadem nota affectorum? Integrum ne erit reſpondere, Gelaſium cum dicit: *Actus nomine Philippi, apocryphi*, intellexiſſe verbis iſtis, monumenta, Apoſtolorum iſtorum nominibus appoſita, eſſe *non Canonica*? Cui unquam in mentem venit, ut diceret, vocem *apocryphum* hoc loci valere ac *non Canonicum*; cum Gelaſius velit indicare, Opuſcula hæc certo falſa eſſe, ſuppoſititia, prava, aut pernicioſa?

Apocryphum non ſignificat non canonicum.

Non eſt itaque cur ſuſpicemur, Epiſtolam Jeſu Chriſti ita *apocryphum* declaratam fuiſſe, ut enunciaretur eſſe *non canonica*, Quænam igitur fuit Concilii mens in eo Decreto? Ea ſcilicet, ut e Fidelium manibus eriperet innumeros pravos Libros, qui per id temporis diſſeminabantur; & delectum haberet illorum, qui cum publice tum privatim in Eccleſia ſine periculo legi poterant. Cum itaque non diſquirerent de Libris divinitus afflatis cognoſcendis, non fit vero ſimile, vocem *apocryphum* in hoc Decreto idem ſignare, ac *non canonicum*.

Epiſtola Jeſu Chriſti dicta non fuit apocrypha, quaſi non canonica.

Quamobrem non video, qui poſſit hujus admodum ambiguæ vocis *apocryphum* ſenſus ſtatui, niſi ratione ſumpta ex Operibus & Scriptoribus, in tres illas claſſes digeſtis, quas ſuperius attulimus. Porro quandoquidem Autor hujus Epiſtolæ notus eſt, immo Sapientia ipſa, nihil preſefert Epiſtola non pium; & quæſtio non erat in illo Decreto de ſecernen-

dis Libris Canonicis ab iis, qui ſecus : perſpicue ſit, vocem *apocryphum* accomodari huic Epiſtolæ non poſſe ulla ex iis interpretationibus, quibus Libri, triſariam a nobis diviſi, *apocryphi* dicti ſunt; ſed ſolum ut ſignificet, omnino non conſtare ejus Autorem eſſe Jeſum Chriſtum, non autem illam ſuppoſititiam eſſe, vel *non Canonicam*. Quod ipſi jus haud ſert, ut tum ſecreto tum publice legi poſſit.

§ V.

Objecta ab Alexandro in Epiſtolas iſtas argumenta.

Argumentum primum.

CUM Epiſtolæ Jeſu Chriſti & Abgari offenſionem habuerint apud Alexandrum, ſibi viſus eſt commode poſſe Scriptorum Eccleſiaſticorum de illis perhibentium teſtimonia declinare reſponſis vagis, & verendæ Antiquitati parum obſequentibus. Initio igitur generale hoc reſponſum dedit Veterum locis, quæ ſavent utriſque Epiſtolis: *Si Autores illi hujusmodi monumentorum fidem expenderint, concedo : Si minus expenderint, nego*. Porro ſi perſuaſum Alexandro eſt, reſponſionem hanc facere ſatis æquis hominibus poſſe, ut credant, illius vi Scriptorum, quos aggreditur, autoritatem infirmari, neſcio, an in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica ullum ſupererit Factum admittendum, quantumvis Antiquorum teſtimonio fulciatur; poſtquam ipſi reſponderimus : *Si minus expenderint, vel in eorum cenſura decepti ſint, nego*.

Alex. Hiſt. Eccl. ſæc. 1. Diſſ. 3.

Secundum argumentum.

Euſebius, ſequitur idem Pater, *Sanctus Ephrem, & alii, qui ipſos ſecuti ſunt, Scriptores illas Epiſtolas, & Annales Eccleſiæ Edeſſenæ tanta cum accuratione & diligentia non expenderunt, ac Gelaſius, & LXX. Synodi Romanæ Patres . . . . . Unde nulla nobis debet eſſe religio illos deſerere, ut Gelaſii, Synodique illius Decreto adhæreamus. Nam in his, quæ Librorum delectum & cenſuram ſpectant, potior eſt Eccleſiæ autoritas privatorum Hiſtoricorum vel Patrum ſuffragiis.*

Hiſt. Eccl. Tom. I ſæc. 1. c. 12 art 9. 9.

Incommode tamen cadit, ſapientis hiſtorici hujus excidiſſe animo, illum non multo ante tanquam authenticum recepiſſe Librum Paſtoris autoritate Euſebii & S. Hieronymi; quanquam Gelaſius Papa hunc ad Libros apocryphos ablegaverit : *Liber qui appellatur Paſtoris, apocryphus.* Vides quantopere ſervet Alexander regulas ſuas, qui nollet alios ab iis ne latum quidem unguem recedere.

Tertium argumentum.

Deinceps ſingulis occurrit Autorum teſtimoniis, quibus nos Traditionem iſtam confirmavimus. Euſebius, inquit, levius, quam par erat, Hiſtoriæ huic, e publico Urbis Edeſſenæ tabulario depromptæ, fidem

adhi-

adhibuit. Sanctus Ephrem pronior in eam hauriendam fuit. Darius Comes de ea loquitur, tanquam de re incerta & falsis rumoribus pervagata. Evagrius quoque, aliique Eusebio recentiores *majorem fidem non merentur*. Concludit tandem: *quamvis VII. Synodus Epistolam Christi ad Abgarum laudasset, illam nihilo secus rejiceremus*,

Exigua veneratio Alexandri erga Concilium II. Nicenum.

Mirari non desino, Doctorem istum exiguam adeo venerationem ostentare erga septimam Synodum Generalem, testimonium aperte dicentem pro Epistola Jesu Christi; eundemque velle, ut sine dubitatione ulla assentiamur ambiguo cuidam loco Concilii Romani, quod illam inter apocrypha rejecit. Dixerim sane, ipsius existimatione credulitate nimia laborare Rempublicam Litteratorum, cum in spem indueatur futurum, ut diverticulis istis contenta sit ad eludendum Scriptorum Ecclesiasticorum testimonium. Sed videamus, an melius ipsi negotium cesserit in aliis conjecturis.

De Locis l. II. c. 6. Alex. ubi supra

Contendit in vestigiis Melchioris Cani, unum argumentorum fuisse, quibus permota Romana Synodus, Historiam Eusebii apocryphan esse Historiam tulit; quod ipse videlicet duabus hisce Epistolis in illa locum dederit. Verum si ambo Theologi isti Gelasii Papæ Decretum diligentiori trutina examinassent, profiterentur sane, nihil horum in eo reperiri. Quare genuina ratio, propter quam Concilium Eusebianam Historiam penitus non abjecit, eamque apocryphis annumeravit, ab aliis longe fontibus repetenda est, qui in eodem Decreto designantur. *

Alia Alexandri conjectura.

Si Jesus Christus ad Abgarum dedisset Epistolam, hæc majore esset, urget Alexander, quam Evangelium, autoritate, atque in Sacrarum Scripturarum Canonem recepta fuisset. Vulgaris sane in Epistolam hanc difficultas, at non magis ægre dissolvenda. Cum enim manaverit ad Ecclesiam Epistola ista humana tantummodo via, atque in Eusebii, qui falli potuit, narratione firmata, nec non autoritate Tabularii Edesseni, in quod absurdum non esset irrepsisse mendacia monumenta, non vero autentico perpetuæ Traditionis veluti ductu, per manus hominum ab Apostolis ad nos derivante, non debebat Ecclesia eam in Librorum Canonicorum numerum referre.

Jesus Christus in Epistola sua non citat Evangelium.

Qui fieri potuit, rursus insurgit Doctor iste, ut Jesus Christus in Epistola hac proferret dicta de se in Evangelio, quod eo duntaxat e vivis sublato conscriptum fuit? Atqui ubi nam reperias sive in veteri sive in novo Testamento verba hæc: *Scriptum est de me*? Hic potius sensus

* *Chronicon Eusebii Cæsarensis, atque ejusdem Historiæ Ecclesiasticæ Libros, quamvis in primo narrationis suæ Libro topuerit. & postea in laudibus atque excusatione Origenis Schismatici unum conscripserit Librum: propter rerum notitiam singularem, quæ ad institutionem pertinent, usquequaque non dicimus venundos, &c.*

eſt Prophetarum multorum: v. g. Iſaiæ c. 52. v. 15. c. 65. v. 12. uti Eruditi non pauci adnotarunt. ** .

Cur diſtulerit Chriſtus Abgarum ſanare.

Parata quoque reſponſio eſt ei, quod inculcat Alexander, nimirum debuiſſe Chriſtum Abgaro ſtatim ſanitatem reſtituere, ejuſque bonitatis non fuiſſe, ad uſque Aſcenſionem ſuam in cœlum valetudinis illius remedium prorogare. Præterquamquod enim leviores ſunt conjecturæ iſtæ, quam ut Traditionem tam firmam convellant, nunquid non erat optio Chriſto agendi cum per ſe, tum per alios quod ſibi magis libuerit? Quod ſi maturius Abgaro Regi promiſſa non perfecit, id ſane factum eſt, ut meritum ipſius dilatione curationis augeret.

Epiſtola Abgari nullius momenti eſt contra Arrianos.

Non prætermiſiſſent noſtri, inquit poſtremo loco Alexander, quin Abgari Epiſtolam laudarent adverſus Arrianos, ſi modo illam ab hoc Principe conſcriptam credidiſſent; celeberrimum ſiquidem de Jeſu Chriſti Divinitate continet teſtimonium. At enim cujus ponderis eſſe poterat in Arrianos Epiſtola hæc? Num Regis iſtius autoritas hæreticos illos commoviſſet? Percurramus locum Epiſtolæ Abgari. *Et hæc omnia cum audiſſem de te, in animum induxi alterum duorum, aut te eſſe Deum, & delapſum e cœlo facere hæc, aut filium eſſe Dei facientem hæc.* In quo nam ex his verbis Arrianorum damnationem vides? An non videtur citius locus iſte eis favere, cum Rex iſte diſertis verbis *Deum a Dei filio* diſtinguat; & horum alterum Jeſu Chriſto tribuat. Quod ſi dixiſſet: *in animum induxi hoc unum, te Deum eſſe, & Dei Filium*, tunc ea dixiſſet, quæ validiſſime facerent contra Arrianos.

§. VI.

Refelluntur quæ objicit Dupinus in Epiſtolam iſtam:

Primum Dupini argumentum.

Dupinus Bibl. p. 2. & ſeq. edit. 1686.

ARgumenta vero, quæ Dupinus affert, ut violet Epiſtolarum iſtarum exiſtimationem, nihilo videntur firmiora iis, quæ propoſuit Alexander. „ Speciem veritatis habet, inquit Doctor iſte, Euſebium „ faciliorem æquo fuiſſe in fide monumentis ipſi oblatis adjungenda; & „ probabile eſt, Epiſtolas iſtas ſuppoſititias eſſe, atque Hiſtoriam de induſtria confictam. „ Habes viam & rationem promtam, qua tot Veterum dictis adverſeris: crediderim tamen futurum, ne ipſa prudentis Lectoris animus valde afficiatur. Præterquamquod eruditus hic Bibliothecæ Eccleſiaſticæ Scriptor moleſte non accipiet, nos ipſi ob oculos ponere, quam extorſerit a germano ſenſu Euſebianam narrationem: *Euſebius nan-*

* Valeſius in adnotat. in cap. 13. l. 1. Hiſt. Euſeb. Cavius Hiſt. Litt. pag. 2. Tillem. art. de S. Thoma.

que

que facilior æquo non fuit in fide monumentis ſibi oblatis adjungenda, cum hiſtoriam hanc e Tabulariis publicis depromſerit : *In monumentis publicis . . . . . cujus rei teſtimonium habemus ex ipſius Edeſſæ, in qua regnabat Abgarus, tabulariis deſumtum*. Euſebius itaque authenticis monumentis fidem adhibuerat.

Negat Duplnus, in aliquo pretio habendam eſſe ſuper hac re Euſebii autoritatem, cum ſenſibus pateat, eum plus ſatis dediſſe fidem Monumentis ad ſe miſſis. At vero id poſitum in quæſtione eſt, utrum nec ne levitatis Euſebius arguendus ſit. Neque enim in eo accuſari ſolet Scriptor hic, quod fabulas adamaverit, & germanas a mendacibus Hiſtorias ſecernere neſciverit. Quem præterit, inſtat, quam dubiæ fidei ſint in hiſtoriis hujuſmodi Eccleſiaſtica Tabularia? Ego vero Euſebium audio Urbis potius, quam Eccleſiæ Edeſſenæ Tabulas citantem; ac neſcio num alibi monumenta magis authentica, quam iſta, reperire quis poſſit. Difficile certe ſoret, fabulas illas indicare, quæ III. aut IV. ſæculo in publicis cum Eccleſiaſticis, tum Urbanis monumentis deprehenſæ ſint. Objectio alia.

Quis etiam, urget, concipiat animo, Regem Edeſſæ ex ſimplici Miraculorum Jeſu Chriſti narratione, de eo locutum fuiſſe inſtar hominis de ejus Divinitate non ambigentis, ipſiuſque Religionis præceptis imbuti . . . . . Quis non videat, verba hæc ſcribi potuiſſe ab homine tantum, Chriſtianæ fidei credente, in eaque inſtituto, qui Abgarum, perinde ut ipſe loqueretur, loquentem induxerit.

Eccur autem non potuit Abgarus in notitiam venire prodigiorum, quæ Jeſus Chriſtus in Judæa patrabat? Nunquid non erat Abgaro commercium cum Judæis, qui Meſſiam, Dei Filium, præſtolabantur? Cum itaque certior ille factus fuerit de miris Jeſu Chriſti factis, ſibi perſuaderi facile potuit, eum fuiſſe Deum, vel filium Dei. Quod cum dicimus, non poſſumus non mirari, quare contenderet Doctor hic verba iſta : *In animum induxi, te aut eſſe Deum, aut Filium Dei, ſcribi potuiſſe ab homine tantum, Chriſtianæ Fidei credente, in eaque inſtituto*. Quaſi vero Chriſti fidelis homo non dicturus potius fuiſſet, eum eſſe Deum, & Filium Dei, Deum ſimul & hominem; quam *Deum aut Filium Dei*. Abgarus certior fieri potuit de Miraculis Jeſu Chriſti.

Denique quamobrem non potuiſſet Princeps hic percipere, Ieſum Chriſtum cenſeri paſſim Filium Dei, cum id a Dæmonibus ipſis vulgabatur? An non ſcribit Sanctus Matthæus, *opinionem ejus abiiſſe in totam Syriam* intra cujus fines ſita erat Edeſſa? *Matt.* 4. 24.

Et tamen ſatis non habet Dupinus improbaſſe Abgarum, quod dixerit: *ſibi eſſe Urbem perexiguam, ſed quæ ſufficeret ambobus* : „ hoc nanque „ perſpicua fit falſitas Epiſtolarum iſtarum. Quis etenim credat, obtu„ liſſe Regem homini ignoto dimidium ſtatim Regni ſui? „ ſed illum putat Levis Dupini conjectura.

tat etiam deliramenta locutum, cum dixit, ſe paratum fore, bellum Judæis importare, ut de Jeſu Chriſti morte ulciſceretur; citra metum Romanorum. Euſebius igitur, Sanctus Ephrem, totque alii nullo ingenio homines erant, qui ineptias iſtas non judicaverint? Mirum ne eſt, cum exoptaſſe, ut Urbem ſuam incoleret Chriſtus Dominus, utque illum in ipſam reciperet, ſecumque ageret iis obſequiis, quæ ſanctitatem hominis pro Deo habiti decerent? Quidve mirabile habet, eundem deſcendiſſe in cogitationem ulciſcendi mortem illius, niſi Romanorum timor obſtitiſſet?

Tempus appoſitum Litteris iſtis examinatur.

Difficultas vero temporis, Epiſtolis iſtis inſcripti, majorem conſiderationem meretur. Hæ nanque conſcriptæ fuerunt anno 330, Æræ, quæ in more apud Edeſſenos erat, & incidit in annum Olympiadis Ducenteſimum ſecundum. Porro certum eſt, tum temporis Jeſu Chriſti famam nondum pervagatam fuiſſe, neque prædicandæ doctrinæ ſuæ initium dediſſe. Propterea fabuloſa eſt Epiſtolarum iſtarum Hiſtoria. Audienti tamen Valeſium in promtu eſt argumenti hujus refutatio, qui nos docet, MS. vetuſtiſſimum Bibliothecæ Regiæ habere, non ſecus atque alios: *Acta ſunt hæc anno quadrageſimo ac trecenteſimo*. Eidem ſubſcribunt Pagius, & Cavius; ac Tillemontius legendum ſentit 347. vel quidpiam quod prope adſit. At qui, cum Æra, qua utebantur Edeſſeni, exordium duxerit ab anno CXVII. Olympiadis primo, quo Regnum Seleucius auſpicatus eſt, quadrageſimus ſupra trecenteſimum hujus Æræ annus concurrit cum decimo quinto, aut decimo ſexto Imperii Tiberii, in quo ſecundum aliquos Chriſtus Jeſus morti traditus eſt. Euſebius quoque fatetur, *poſt Aſcenſum Jeſu Chriſti, Judam qui etiam Thomas dictus eſt, Thadæum Apoſtolum unum ex Septuaginta ad Abgarum miſiſſe.* Qua de re tum potuit hic fando audire de Miraculis Jeſu Chriſti: quandoquidem hoc anno ea, quæ ſibi Chriſtus ſpoponderat, impleri vidit.

Valeſ. in notas Euſeb. Pag. Crit. Tom. 1. ad ann. 41. n. 1. Cav. Hiſt. Litt. p. 2. Till notat. 5. in D. Thomam.

Euſeb. ubi ſupra.

Proteſtantes, qui in Epiſtolas iſtas ſcripſerunt.

Proteſtantes homines bene multi adverſus Epiſtolas Jeſu Chriſti & Abgari ſteterunt, uti Rebelius, *antiq. Evang.* Hamm. *Hiſt. Eccl. l. 2. c. 4.* Gerhardus *in Harmonia*, Droſcheus, Rivetius, Otius, Cocus, Spanemius junior, & quidam alii, a quibus cum Alexander & Dupinus argumenta comparaverint hactenus a nobis refutata, non vacat eandem incudem rurſus tundere.

A R-

ARTICULUS II.

De Imagine Edeſſena, quam vocant Archyropoetam, videlicet non manufactam.

QUæcumque feruntur de Imaginibus Jeſu Chriſti, vel pertinent ad eas, quæ miro modo ſine ope humana effictæ ſunt ἀχειροποίητοι, vel ad illas, quæ hominum artificio elaboratæ. Prioris generis Imagines ad tres redigi poſſunt, quarum prima ſit a Jeſu Chriſto ad Abgarum miſſa; ſecunda Veronicæ data; tertia linteo ſepulchrali impreſſa, quo demortui Chriſti corpus involutum fuit. Alterum genus complectitur Statuam æream, quam ipſi in Urbe Paneade dicavit mulier Hemoroiſſa; Lignеum ſymulacrum a Nicodemo inſculptum; Imago Perſarum Regis juſſu depicta, atque effigies in multis Numiſmatibus exhibita. In ſequentibus de præcipuis Imaginibus iſtis agemus; hic autem, tanquam in loco ſuo, de Edeſſena & Paneadana ſermo erit. Extat non unum genus Imaginum Jeſu Chriſti.

§. I.

Traditio de Imagine Edeſſena Veterum teſtimoniis roboratur.

INitio ipſo attende Joannis Damaſceni verba: *Cum Abgarus Edeſſæ Rex eo nomine pictorem miſiſſet, ut Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob ſplendorem ex ipſius vultu manantem conſequi potuiſſet, Dominum ipſum divinæ ſuæ ac vivificæ faciei pallium admoviſſe, imaginemque ſuam ei impreſſiſſe, ſicque illud ad Abgarum, ut ipſius cupiditati ſatisfaceret, miſiſſe ferunt.* Alio alii modo parum abſimili efferunt hiſtoriam hanc, at omnes in rei ſumma conveniunt, quod optime animadvertit Conſtantinus Porphyrogenitus. * Scriptores, qui de Imagine Edeſſena locuti ſunt. *S. Joann. Dam. ſc. de Fide Orth. c. 17.*

Hæc eſt celeberrimæ hujus Imaginis hiſtoria, quam tum Græci tum Latini a IV. ſaltem ſæculo coluerunt. Legimus in Actis Samonæ & Guriæ ** Martyrum Edeſſenorum, paullo poſt Sanctorum iſtorum interitum, qui Quam prioribus ſæculis venerata fuerit Imago hæc.

* *Attamen in eo, quod præcipuum eſt in hac Hiſtoria, conſentiunt omnes, & confitentur ex facie Dominica admirabiliter in linteo fuiſſe formam expreſſam.* Conſt. in Oratione de Tranſ. hujus Imaginis.

** Quantumvis Metaphraſten Bailletus flocci faciat, fatetur tamen Sanctorum Martyrum iſtorum Acta videri ex Autographo probato deſumta, Baill. Tab. Crit. 15. Nov.

con-

contigit anno 306. cum Hunni Edeſſam obſiderent, Edeſſenos a Romanis ſubſidium petiiſſe, *maxime verbis Chriſti confidentes, quæ ſcripſerat ad Augarum, quod Civitas nunquam eſſet capienda a Barbaris, & quod in eam prima Domini noſtri Jeſu Chriſti effigies miſſa ſit ad Augarum.*

Acta MM. apud Sur. 5. Nov. ex Metaph. Evagr. l 4. hiſt. Eccl. c. 26.

Procopius VI. Sæculi Scriptor, Evagrii fide meminit hujus imaginis; Item Simocatta Ineunte Sæculo VII. S. Joannes Damaſcenus, cujus verba retulimus, Imaginis hujus veritatem exploratiſſimam habuit. Secundum Concilium Œcumenicum Nicænum Sæculo VIII. non dubitavit illam producere in argumentum cultus Sanctarum Imaginum.

Simoc. in Hiſt. Heraclii. Concil. Nic. II. Act. V.

Greg. II. Epiſt. ad Leon. Iſaur. German. Conſtantinop.

Gregorius II. Pontifex, Sedem Petri tenens anno circiter 714. atque ad Imperatorem Leonem Iſauricum ſcribens, dicit: *Cum Hieroſolymis ageret Chriſtus, Augarus, qui tum temporis dominabatur, & Rex erat Urbis Edeſſenorum, cum Chriſti miracula inaudiſſet, Epiſtolam ſcripſit ad Chriſtum, qui manu ſua reſponſum, & ſacram glorioſamque faciem ſuam ad eum miſit.* Adrianus Papa in Epiſtola ad Carolum Magnum, ita Jeſum Chriſtum ad Abgarum verba facientem inducit: *Quod ſi faciem meam corporaliter cernere cupis; en tibi vultus mei ſpeciem transformatam in linteo dirigo, per quam & deſiderii tui fervorem refrigeres, & quod de me audiſti nequaquam impoſſibile fieri exiſtimes.*

Adr. Ep. Apologet. ad Carolum Magn.

Haymo Epiſcopus Halberſtadienſis, * qui IX. Sæculo floruit, diſſerens de Epiſtolis Jeſu Chriſti & Abgari, non præteriit memoriam Imaginis illius, quam Principi huic Salvator dono dedit. Supervacuum porro eſſet, teſtimonia proferre quamplurimorum Græcorum, qui de hac Imagine teſtantur: ex. gr. Cedrenum, Theophilum, Michaelem Glicam, Nicephorum Callixtum, Photium, Zonaram, Joannem Curopalatam, Conſtantinum Porphyrogenitum, alioſque multos, ab erudito Patre Gretſero laudatos. Ejuſdem autem Traditionis momenta quædam nova reperies in Hiſtoria hujus Imaginis, quam mox daturi ſumus.

Sintagm. de Imag. c. 3.

§. II.

Hiſtoria Imaginis Edeſſenæ.

CUM Abgarus ſacram Jeſu Chriſti imaginem eo honore ſuſcepiſſet, quo proſequi par erat auguſtum adeo bonitatis illius ſpecimen, quem ut Deum colebat; eam auro ornatam ſupra Urbis ſuæ Edeſſæ portam collocari juſſit, ut ingredientibus ſimul & egredientibus veneratio-

* *Dominus faciem ſuam lineo panno impreſſit & miſit ad eum; ut qui propria forma videri non poterat, ſaltem per imprefſam Imaginem videretur.* Haymo de Chriſt. rerum mem. l. 2. c. 5.

hi esset, & sub ea figi laminam auream, his inclusam Litteris: *Christe Deus, qui in te sperat, a spe non excidit*. Ex qua Inscriptione ortam, si bene conjicio, dixerim fidem Edessenorum, nunquam futurum, ut Urbs in hostium manus incideret. Hanc populorum illorum fidem narrat Darius Comes in Epistola ad Augustinum, eamque S. Ephrem tradidit postrema Jesu Christi verba significare, qui nimirum vi illorum Urbi perpetuo benedixerit, ejusque fundamenta firmaverit hactenus, ut benedictio isthæc ad supremum usque alterius adventus diem sit duratura.

Constant. Porphyrog. Orat. de hac Imagine.

Falsa opinio plebis Edessenæ.

S. Ephrem in Testam.

Evagrius tamen ingenua fide profitetur, *in Epistola, a Christo Deo nostro ad Abgarum scripta, non poni, Edessam nunquam ab hostibus subjugatam fore, sed id esse duntaxat Fidelium ore celebratum*. Traditio hæc quantumvis falsa ad sextum usque sæculum propagata est, atque ad ipsius Chosroes I. Persarum Regis aures pervenit; qui cum, Procopio referente, accepisset ex audito, nunquam ab hostibus captam fuisse Edessenam Urbem, protegente illam Imagine Jesu Christi, quam Abgaro idem Christus largitus fuerat cum adhuc in vivis esset; argumento probare voluit, num vera esset Traditio hæc *. Cum autem non adversus homines, sed adversus Deum bellum hoc moveretur, placuit ipsi germanum potestatis suæ argumentum præbere, quod apparuit per admirabilem hanc Imaginem, ad quam præcipue referenda est Urbis Edessæ liberatio, cum ab arroganti hoc Principe obsessa est. Cives namque in summas angustias adducti, ad Jesu Christi Imaginem confugerunt, quæ conatus adversariorum infregit adeo, ut Princeps hic variis oppugnationibus Urbi illatis, obsidionem solvere coactus sit, parte exercitus amissa, & cognito Divini Numinis singulari præsidio, quod illi Urbi, cui excidium meditatus fuerat, adesset. Neque vero solum est prodigium istud, quod Imaginis hujus gratia operatus sit Deus. Philippicus Imperatoris Mauritii in Oriente Præfectus, anno 590. cum Persis jam jam signa collaturus, Sanctam hanc Imaginem, quæ Edessæ servabatur, per Castra circumtulit, cujus pretiosæ Reliquiæ aspectus ingens adeo inspiravit animo militum gaudium & robur, ut celebrem de hostibus victoriam adeptus sit.

Evagr. Hist. Eccl. l. 4. c. 26.

Procop. apud Evagr. loco citato.

Sancta imago irritos reddit Chosroes conatus.

Alia Imaginis hujus miracula.

Quæ Imaginum virtute patrata Ostenta cum irridere & cavillari vellet Basnagius, ait, Philippico de Provincia deducto, Orientis Legationem Prisco delatam fuisse. At exercitu seditionem conflante, nullum succurrisse aptius Imperatori huic consilium, quo turbas ad officium re-

Basnagius contradicit.

Basnag. Hist. Eccl. l. 12. c. 6. n. 1.

* *Chosroes Edessam obsidere constituit, ratus, ea se falsa esse convicturum, quæ de ea Civitate omnium Fidelium ore celebrabantur: nempe Edessam nunquam ab hostibus subjugatam fore*, Evagrius ubi supra.

vocaret, quam ante illos ponere Imaginem non manufactam, dictamque *Eliphrepha*. „ Placet Criticis, ait Hæreticus homo, barbaram vocem „ istam significare imaginem auream; ast compertum nobis est, nullum „ Imagini huic venerationis indicium milites exhibuisse, immo in illam „ lapides jactasse. „

Theoph. Simoc. l. 3. c. 1. In quo duplex erratum admisit.

Fateor ultro, Simocattam esse facti hujus narratorem; sed duobus peccavit Basnagius, dum illud retulit. Primo cum dicit, Priscum tumultus extinguendi gratia in publicum protulisse Imaginem non manufactam, dictamque *Eliphrepha*. Atqui vox hæc hominem, non autem Imaginem significat. Audi Photium locum hunc laudantem. *Priscus Eliphrephæ dans Imaginem non manufactam, illius opera multitudinem placare studebat*. Sed afferam ipsissima Simocattæ verba: *Iliphedæ Dei atque hominis effigiem, quam ἀχειροποίητον, hoc est non mortali manu confectam Romani appellant, involucro nudatam per castra circumferendam committit*. Quibus verbis aliud Basnagii erratum dignoscitur. Imago nanque a Prisco elata, non erat aurea, sed eadem atque illa, qua superior discesserat e prelio Philipicus, nimirum, quæ Edessæ custodiebatur.

In Bibl. Photii in excerptis ex l. 2. Hist. Simoc.

Imago Edessena Constantinopoli transfertur.

Imago Jesu Christi Edessæ fuit ad medium usque Sæculum X. neque Imperatores Constantinopolis enixis precibus, ditissimisque muneribus efficere potuerunt apud incolas Urbis hujus, ut pretiosum Thesaurum istum ad se traducerent, donec Civitas ipsorum a Seracenis obsessa est. *Edesseni*, inquit Curopalata, *malis obsidionis graviter oppressi, Legatos ad Imperatorem miserunt, petentes ut exercitus ab obsidione recederet, seque polliciti sunt, pretium daturos Sanctam Christi effigiem. Soluta igitur obsidione, tradita est Imago, & ad regiam Urbem perducta; eam excipiente Imperatore cum splendido atque decenti satellitio.*

apud Metaph. die 16. Augusti Zonaras in Romano Lecapeno.

Constantinus Porphyrogenitus Orationem posteritati reliquit, in qua diligentissimam eorum institutionem, quæ in hac Translatione gesta sunt. Cujus testimonium de hoc historico facto eo probandum magis est, quo nihil recitat nisi oculorum suorum fide confirmatum. Imperator hic erat cum Romano Lecapeno anno 944. quo Solemnitas hæc celebrata fuit.

Miracula in ea transferenda perpetrata.

Idem Imperator oblitus non est mira alia multa facta exequi narrando, quæ Translationis tempore contigerunt, *narrationemque concludit dicens: *Imaginem hanc in Phari Templo repositam fuisse ad gloriam Fidelium, custodiam Imperatorum, tutelam totius Civitatis, & Status Christianorum.*

* *Cæci ex improviso respiciebant & claudi reddebantur sani membris integris: saltabant qui longo tempore in lecto decubuerant; & sani fiebant, quibus erat manus arida; & fugabatur omnis morbus & infirmitas.*

In

In Translationis hujus monumentum, quæ facta eſt decimo ſeptimo Kalendas Septembris, celebritatem Græci recolunt ſingulis annis, uti videre eſt in ipſorum Menologio, ubi hæc habentur: *Commemoratio Imaginis non manufactæ Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ex Urbe Edeſſa egreſſæ, in hanc a Deo ſervatam & Regiam Urbem deportatæ.* Deinde, ex Cardinalis Baronii dictis, cum Byſanthium, ſæpe bello vaſtatum, atque a Romana Eccleſia diſtractum fuiſſet, Dei providentia factum eſt, ut Romam transferretur, *ubi hactenus colitur in titulo S. Sylveſtri*: non tamen hic Annalium Scriptor Translationis tempus notat, atque occaſionem.

Græci recolunt Feſtum Translationis.

Imago hæc Edeſſa Romam translata eſt.

Baron. ad ann. 944.

Auguſtinus Juſtinianl, Epiſcopus Nebbienſis in Corſica refert, delatam in Italiam ab Leonardo de Montaldo Genuenſium Duce, qui conceſſit ad Superos anno 1384., cuique propter magna apud Imperatorem merita, dono tradita fuerat.

In Annal. Reip. Genuenſi l. 4. ad annum 1384.

§. III.

Fit ſatis iis omnibus, quæ contra Traditionem iſtam afferri ſolent.

Tillemontius, poſtquam Conſtantini Porphyrogeniti Orationem citavit, In qua Imaginis Edeſſenæ Hiſtoriam deſcribit: „ Non eſt hic „ locus, inquit, expendendi monumentum iſtud. Satis tamen erit ani„ madvertiſſe Græcorum ſtudium ad fabulas venditandas, eoſque nihil „ certi habuiſſe, unde Imaginis iſtius originem repeterent. „ Bailletus perſpicue tradit, hiſtoriam hanc quamlibet fabuloſam, videri tamen manaſſe ad Orientem omnem VI. Sæculo.

Sine ratione Imaginis hujus hiſtoriam ad fabulas amandant.

Tillem. Tomo 1. articulo de S. Thoma verſus finem.

Baill. Hiſt de Feſtis Mob. Tomo 1. de Reliquiis Domini Noſtri art. 12.

Dupinus, collato ſtudio ſuo ad probandam Epiſtolarum Abgari & Jeſu Chriſti falſitatem, ſubjungit? „ Sed cum fabularum ſit, in dies au„ geri, excogitarunt deinceps, Chriſtum, Litteras Abgaro dantem, mi„ ſiſſe ad Ipſum imaginem pariter ſuam, impreſſam in Sudario. Evagrius „ primus eſt, qui de ea meminerit ..... Nihilo ſecius inſequentibus „ ævis Propugnatores Imaginum eam ſæpius uſurparunt, Græcique re„ centiores conſtanter adeo id erediderunt, ut Feſtum ejus inſtituerent die „ Auguſti decimo ſexto. „

Dupinus Bibl. Tomo 1. pag. 50

At enim Viri iſti, rati ſe prima Reipublicæ Litterariæ occupare ſubſellia, perſuaſum certe habuerunt, non adſtringi ſe, hac dignitate præſtantes, munere probandi quæ affirmant; ſatiſque eſſe, ubi pronunciaverint, Imaginem Jeſu Chriſti ad Abgarum miſſam fabulam olere, ut ceteri omnes de hoc non dubitent, & nihil faciant quidquid pro ejus authentica veritate tuenda afferri poteſt. Interea fit ſimile vero, eos Ca-

ſauboni ſententiam hac de re ſecutos, ab ipſo quoque objecta argumenta adoptaſſe, abſque eo quod in illis retractandis tempus teramus. At ea tanti non ſunt, ut omnem Hiſtoriæ hujus probabilitatem ad nihilum redigant.

Caſauboni argumenta. *Exerc.* 13. n. *Baronium ad annum* 31.

Euſebius ne verbum quidem, ait Caſaubonus, fecit de hac Imagine; quamquam recitaverit Epiſtolas Abgari & Jeſu Chriſti, e publico Urbis Edeſſenæ Tabulario depromptas, atque in Hiſtoriam ſuam illatas. Difficultas hæc graviſſima omnium eſt; cui tamen reſpondebis.

Euſebius Epiſtola ad Conſtantiam.

1. Unius Scriptoris ſilentium anteponendum non eſſe catervæ aliorum, de re aperte perhibentium. 2. Deinde mirum non eſſe, Euſebium nihil dixiſſe de Imagine Edeſſena, quia Arianus erat ex iis, qui afferebant, *mutatam eſſe Jeſu Chriſti incarnatam formam in Divinitatis naturam, & propterea nulla imagine exprimi poſſe*. Quod conceptis verbis demonſtrat Synodus VII. Œcumenica Act. 6. in qua Epiphanius hoc pacto de Euſebio loquitur. *Ex his igitur Scriptis illius apparet, aperte illum Arianicæ eſſe opinionis & ſententiæ: inſani iſti Ariani vere .... Theopaſchitæ ſunt. Qui autem ejus ſunt ſententiæ, imaginem non habendam cenſent, quemadmodum impius Severus, Petrus Fullo, Polixenus ..... Hujus igitur ſocietatis exiſtens & Euſebius, (quemadmodum ex illius Epiſtolis & hiſtoricis Commentariis demonſtratum eſt) imaginem Chriſti Theopaſchitarum more rejicit*; * & propterea non eſt admirandum, eum conticuiſſe, quæ attinent ad Imaginem Jeſu Chriſti, dum mentionem fecit de ejus Epiſtolis, deque Miſſione S. Thomæ in Meſopotamiam poſt aſcenſum Salvatoris in Cœlum: tametſi non levem habeat veritatis ſpeciem, in Monumentis ex Edeſſæ Tabulario deſumtis, Miræ hujus Imaginis memoriam extitiſſe.

Quare Euſebius de Imagine Edeſſena non meminerit?

Averſato Euſebio ab Imaginibus.

Quam fuerit etiam ab Imaginibus Jeſu Chriſti abalienatus Euſebius, facile patet ex ejus Epiſtola ad Conſtantiam Licinii Imperatoris uxorem. Sciſcitanti nanque, ut mitteret ad ſe Imaginem Chriſti Salvatoris, reſpondit Euſebius, non poſſe hanc mittere: *Aut enim petis imaginem Chriſti ſecundum Divinitatem; & hæc nulla figura exprimi poteſt: aut ſecundum carnem, & formam ſervi, quam pro nobis induit; ſed neque hoc modo depingi poterit, quandoquidem mortalitas ejus a gloria Divinitatis abſorpta eſt.*

Euſebius Hiſt. l. 7. cap. 14.

At Euſebius nonne meminit Statuæ, Jeſu Chriſto poſitæ ab Hæmorrhoiſſa? nonne alibi diſerte narrat, ſe Jeſu Chriſti, & Sanctorum Petri & Pauli imagines vidiſſe? Ita ſane. Sed hæc non evertunt, quæ de eo ſe-

* *Quæ de cauſſa & Conſtantiæ Licinii uxori ſcribit, apud ſe imaginem non reperiri.* Ita habet Epiph. Syn. VII. act. 6.

Eun-

runtur in II. Concilio Nicæno ſuper Epiſtola ad Conſtantiam data. Quid quod poterat ne Euſebius omittere, quin de Statua Paneadenſi, re videlicet notitiæ pervulgatæ, citra negligentiæ aut malæ fidei crimen loqueretur?

Evagrius, inſurgit denuo Caſaubonus, primus eſt, qui meminerit Imaginis hujus; at *Evagrius fabulator eſt*. Procopius ſilet in quarto de Bello Gothorum Libro. Gregorius quidem II. illam memorat, ſed ſine probationibus. S. Joannes Damaſcenus de illa, tanquam de re incerta, ſcribit. Quod vero eſt teſtimonii ſecundi Concilii Nicæni, *nihil hoc ad rem*; quoniam caret omni pro Imaginis hujus veritate argumento. Alia Caſaubo-ni argumenta ibidem.

Ecce difficultates ineptæ judicio meo, ut æquo homini perſuadeant, Imaginem Jeſu Chriſti mendacem eſſe; utque momenta pro hac Hiſtoria ſtatuenda vel æquent, vel infirment: Parum profecto nos movent hujuſmodi loca communia.

Et vero Evagrius primus non eſt, qui de vetuſto hoc monumento mentionem fecerit. Oſtendimus etenim, de ea ſermonem eſſe in Vita Sanctorum Guriæ & Samonæ, qui ſub initium ſæculi IV. paſſi ſunt. Procopius etiam eandem commemoraverat ante Evagrium, quandoquidem ab iſto laudatur. Quod ſi verba ejus in IV. de Bello Gothorum Libro non reperiuntur, oportet illum alibi de ea locutum fuiſſe. Egregie ſatis cordatus homo erat Evagrius, ut non afferret Hiſtoriam commentitiam, ab Autore pene ejuſdem ævi deductam, niſi in Procopii Operibus revera extaſſet. Nunquid ambigunt quotidie Litterati Viri in ſuſcipiendo Scriptorum teſtimonio, quorum volumina perierunt, ſi tamen ab aliis Scriptoribus adducantur, qui ſe eos legiſſe teſtentur? Nonne Caſaubonus ipſe fateri non dubitat, alterum Procopii de Bello Perſico Librum mutilum eſſe, in eoque obſidionis Edeſſenæ exitum deſiderari? * Enervantur.

Tandem Gretſerus nos docet, quamvis relata e Procopio de Jeſu Chriſti & Abgari Epiſtolis, deque Imagine Edeſſena, non extent in Latinis Scriptoris hujus Editionibus, legi tamen in Editione Græca anni 1607.

Atque illud non erediderim, negotium nobis facceſſere poſſe, quod ait Caſaubonus de teſtimonio Gregorii II. Sancti Joannis Damaſceni, & ſecundi Concilii Nicæni; cum opus non ſit quæcumque Facta narrantur, ex Dialectices legibus confirmari. Idque eo magis, quo cum orbi univerſo perſpecta eſſet Traditio hæc, quorſum hæc ad illam probandam argumentatio? Prudentis igitur Lectoris ſit, judicium ferre, an tanti ſint

* *Si quis excipiat illius Codices ex parte mutilos eſſe, & finem illius obſidionis hodie in Libris editis deſiderari: fateor quidem deeſſe nonnulla in narratione illa.* Caſaub. ib. art. 58.

objecta hæc, ut hiſtoriæ hujus probabilitatem evaneſcere faciant, eamque inter fabulas detrudant.

ARTICULUS III.

De Statua Jeſu Chriſto poſita in Urbe Paneade.

§. I.

Traditionis hujus fundamenta.

Matt. 9 20.21.

Hæmorhoiſſa ab Jeſu Chriſto ſanata.

SCriptum reliquit Matthæus, *mulierem, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accesſiſſe retro, & tetigiſſe fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimenta ejus, ſalva ero. At Jeſus converſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit.* Macarius cognomento *magnus*, tertii aut quarti ſæculi ſcriptor, illam Edeſſæ Principem fuiſſe exiſtimavit: at non eam hujus dignitatis fœminam nobis proponit Eccleſia. Græci nonnulli, ejuſdem Autoris veſtigiis inſiſtentes, mulieri huic Veronicæ ſive Berenices nomen imponunt.

Quæ eſſet Mulier iſta.

Paneadis, ſive Cæſareæ Philippi orta erat, Urbe in finibus Phœnicum, e ſuperiore Galilæa apud ortum Jordanis ad radices Montis Panii, ſive initium montium Libani. Hæc Euſebius ex Incolarum Traditione didicerat.

In honorem Jeſu Chriſti Statuam erigendam curavit.

Euſebius narrat Hiſtoriam iſtam.

Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 18. Philoſtorg. pag. 87, 88.

Deinde Hiſtoriam exequitur fœminæ hujus Evangelicæ, quæ a ſanguinis, quo laborabat, profluvio curata contactu veſtium Salvatoris, ſtatuam eidem in accepti ab ſe beneficii monumentum erexit. Monumentum iſtud in Civitate Cæſareæ Philippi Euſebii temporibus adhuc extabat. Ait igitur: *Juxta januam domus illius ænea mulieris effigies ſtare dicitur, columnæ lapideæ impoſita, flexis genibus, protenſiſque manibus inſtar ſupplicantis. Ex adverſo autem effigies Viri, ex eodem metallo conflata, ſtantis, ac diploide decenter induti, mansumque mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipſa baſi ignota quædam naſci dicitur planta, quæ ad fimbriam uſque æneæ diploidis aſſurgens, depellendis omnis generis morbis præſentiſſimum remedium eſt. Hanc ſtatuam Jeſu Chriſti ſpeciem referre ajebant; noſque adeo illam Urbem ingreſſi ipſam conſpeximus.*

Alii, qui de hac Statua locuti ſunt Scriptores.

S. Aſterius Amaſenus affirmat conſtanter, *Statuam Hæmorhoiſſæ per multos annos in Urbe Paneade duraſſe ad redargutionem eorum, qui Evangeliſ-*

geliſtis mendacium adſcribere audebant; non tamen ſtetiſſe ad ſua uſque tempora, nimirum ad annum uſque Chriſti 400. quo hæc ſcriptis mandabat. *Aſterius apud Phot. cod. 271.*

Antipater quoque Epiſcopus Boſtrorum in Arabia, qui ad medium ſæculum V. floruit, & Apologiam Euſebii pro Origene confutavit, teſtis eſt ejuſdem Imaginis Paneadenſis; cujus locum citat Gregorius Act. 4. Secundi Concilii Nicæni, qui conſequenter Diaconus recitat, quæ Boſtrenſis Epiſcopus litteris tradidit de Statua Salvatoris poſita Cæſareæ Philippi. *

S. Germanus item Patriarcha Conſtantinopolitanus & Gregorius II. laudibus proſequuntur monumentum, ab hac fœmina poſitum, ut ſui eſſet erga Chriſtum grati animi ſpecimen. Epiphanius pariter coram Patribus ejuſdem Synodi II. Nicænæ ait: *De Imagine Hæmorrhoiſſæ, multis Scriptoribus confirmare poſſumus*. Denique illam memorant Acta S. Procopii, cujus feſtum ſolemne habet Eccleſia octavo Idus Quintiles, laudanturque Actione IV. II. Concilii Œcumenici: & Geſta S. Artemii, relata a Surio decimo tertio Kalendas Novembris. *S. Germ. Conſt. Epiſt. ad Leon. Iſaur. Greg. II. Ep. 4. ad S. Germ. Conc. Nic. II. Act. IV & VII. Epiph. Sard.*

Quod Salvatoris beneficentiſſimi, plæque mulieris monumentum ſtetit in Urbe Paneade ad regnum uſque Juliani Apoſtatæ, uti accepimus a Sozomeno, referente, Julianum Imperatorem anno 362. eam *ſubvertiſſe ſtatuam, ſuamque ejus loco poſuiſſe. Quo facto ignis violentus ſtatuam illam circiter pectus perſecuit, caputque una cum collo in terram dejecit. Atque ex eo tempore ad hanc uſque diem ſtatua ejuſmodi ſpecie perſeverat, fuligine fulminis obſita*. Non abſimiliter narrat Caſſiodorus, Julianum Symulacro Chriſti *depoſito, ſuam ibi ſtatuam collocaſſe*. Statua hæc ſtetit ad tempora uſque Juliani. *Sozomenus l. 5. c. 21.* *Caſſiod. Trip. Hiſt. l. 6. c. 41.*

Chriſti vero Statuam, ſubdit Sozomenus, *tunc quidam Pagani trahentes per Urbem confregerunt. At Chriſtiani poſtea ejus fragmenta cum collegiſſent, in Eccleſia poſuerunt, ubi etiam adhuc cuſtodiuntur*.

Videtur hæc opinio Ambroſio inſediſſe, ut crederet, fœminam, Jeſu Chriſti ope a ſanguinis fluxu ſanatam, aliam non fuiſſe a Martha ſorore Magdalenæ & Lazari. Id monent hæc ejus verba: *Deum largum ſanguinis fluxum ſiccat in Martha, dum Dæmones pellit ex Maria &c.* Verum potuit mulier Hæmorrhoiſſa nuncupari Martha, quin neceſſum eſſet, non internoſcere inter illam, atque Lazari Magdalenæque ſororem. Adeoque certum eſt, Mulierem ab ejectione ſanguinis liberatam, æthnicæ Religioni addictam fuiſſe, antequam Jeſu Chriſto nomen daret: & ſecundum ſpeciem civilemque ritum, a Gentilium moribus & conſuetudine po- Videtur Ambroſius, fœminam hanc a S. Martha non diſtinguere. *Ambr. in Libro de Salomone c. 5.*

* *Gregorius Diaconus & Notarius Sacri Patriarchatus legit: ex Oratione de muliere Sanguinis fluore laborante Antipatri Epiſcopi Boſtrorum.* Conc. Nic. II. Act. IV.

ſtea

ſtea quoque non deflexiſſe: cujus argumento eſt Statuæ illius erectio; quam ſibi non licere Judæi arbitrabantur.

§. II.

Conjecturæ Baſnagii & Reiſchii adverſum Facti hujus hiſtorici veritatem.

QUanquam plerique ex Heterodoxis non diffiteantur, ſtatuam hanc Jeſu Chriſto poſitam fuiſſe in Urbe Paneade; non tamen concedunt, inde probari uſum Sanctarum Imaginum prioribus Eccleſiæ ſæculis. Ceterum id nullo modo controverſiæ noſtræ caput eſt, neque illud expendere aggredior. Satis mihi erit, ſi oſtendero, piam hanc Traditionem firmiter adeo jactam fuiſſe, ut nullus ſit rectæ dubitationi locus; ſique Proteſtantium aliquorum conjecturas ſuſtulero.

Conjecturæ Baſnagii. *Hiſt. Eccl. Tome 2. l. 22. c. 4. art. 8. pag. 1322. Gall.*

Fœmina hæc, ait Baſnagius, cui fluentem ſanguinem inhibuit Chriſtus, pauper erat, atque ex Marco & Luca, *fuerat multa perpeſſa a compluribus medicis, in quos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam*. Et tamen ænea hæc ſymulacra amplos ſumtus requirunt. Alias Euſebius primus eſt, qui recentis ab eventu rei exactis annis, Statuarum iſtarum meminiſſe cœpit. Denique miraculum perpetratum a planta, ad baſim ſtatuæ Chriſti enaſcente, incertiſſimum erat: tum quod Euſebius id narrans utatur verbo *dicitur*, quod fere ſemper fabulam indicat: tum quod etiam fieri non poſſet, Herbam hanc, tanta virtute prædita, ut morbis omnibus Euſebii ætate mederetur, non fuiſſe tum notiorem & celebriorem.

Argumenta Reiſchii:

Reiſchius Rector Collegii Volfembutelenſis, Euſebium quidem fatetur dixiſſe viſam ab ſe Statuam, ſed non affirmaſſe Chriſto poſitam, & tantum id ſermone percrebuiſſe. Quod ſi hoc perſuaſum ipſi fuiſſet, non reſpondiſſet Conſtantiæ Licinii Imperatoris uxori ea, qua reſpondit, ratione. Hæc nanque cum e naturali quadam ſexus illius pietatis propenſione Imaginem Jeſu Chriſti deſideraret, Euſebius ipſi in univerſum reſpondit, id fieri nullo modo poſſe.

Utriuſque Hæreticî objecta diſſolvuntur:

Non tamen vi tanta pollere arbitramur conjecturas iſtas, ut de Hiſtoria teſtatiſſima dubitationem injicere poſſint. Quamvis etenim narrent Evangeliſtæ, in Medicos mulierem erogaſſe omnem ſubſtantiam ſuam; idem tamen eſt, ac ſi dixiſſet, ſumtus maximos illam feciſſe valetudinis cauſſa, non autem nihil ipſi ſuperfuiſſe. Recreata vero ab ægritudine inſtaurare potuit res ſuas, quo ipſi erigendæ Statuæ modus ſuppeteret: niſi dicas, divitem aliquem ejus Urbis Civem illam in tantæ rei monumentum poſuiſſe.

Euſebius porro quam alia multa recitat, ab aliis Scriptoribus ante ipſum

non

non memorata, de quibus nemo dubitat? Idemque cum per ſe ſe non intuitus eſſet miras ſanationes ope illius herbæ, quæ ad Statuam creſcebat, ſed tantum ab aliis narrantibus accepiſſet, noluit eas referre inſtar teſtis oculati, quod non innuit, de illis eum dubium aneipitemque fuiſſe. Quemadmodum autem fieri facile potuit, ut quamplurimi admirabilem hujus Plantæ virtutem cognoverint, ita difficile eſt rationem reddere, cur de ea ſiluerint; ſicut de ſtatua, quæ multo notior erat, quam Planta.

Similiter quod ſcribit idem Euſebius: *Hanc Statuam effigiem Jeſu exprimere dicunt*, id non ſignificat dubitationem ejus; neque enim de iis, quæ ſubjecta oculis ſunt, poſſumus dubitare: præſertim eum narret ſimul Factum iſtud, atque confirmet, dum addit: *Quam ad noſtram uſque ætatem manentem, ipſi ad eam civitatem profecti oculis cernebamus*. Denique de Imagine a Jeſu Chriſto ad Abgarum miſſa diſputantes, refutavimus ea, quæ Reiſchius urget de reſponſo Euſebii ad Conſtantiam.

Illud vero præterire nolo, quod cenſet de Hiſtoria iſta Autor Librorum Carolinorum. Hic nanque de illa, tanquam de re incertiſſima, verba facit; fœminæ hujus facinus redarguit, quod ſexus imbecillitati, & cuidam ingenii tribuit levitati; immo quam gravia inde conſequi poſſunt incommoda multis verbis exaggerat, ſi modo tamen, concludit, id revera factum fuiſſe credamus. Atqui quantalibet demum Scriptorem Librorum Carolinorum florere autoritate velimus, tanta certe non erit, quæ cum Euſebii autoritate certet; & dubitatio ejus, qui quadringentis poſt Euſebium annis vixit, teſtis oculati teſtimonio fucum facere non debet. Tantum etiam abeſt, ut e facti hujus hiſtoriei veritate pernicioſæ duci poſſint conſecutiones, ut potius in Chriſti Domini gloriam redundet, & monumentum ſit bonitatis ejus erga Mulierem; & grati animi Mulieris erga præſtantiſſimi muneris largitorem.

Objectio decerpta e Libris Carolinis.

DISSERTATIO III.

Utrum Jesus Christus Paschalem Agnum in Mortis suæ pervigilio manducaverit.

FEria quinta, Salvatoris Mortem præcedente, qui primus erat Azimorum dies, in cujus vespere jubebat Lex, ut Paschalis Agnus comederetur; misit Jesus Petrum & Joannem, ut pararent Pascha, quod jamdiu desiderio desideraverat cum Apostolis suis manducare. Id constat ex Evangelio. Discrepat vero apud Sapientes, utrum Christus nec ne hoc ab Apostolis paratum Pascha revera celebraverit. Quod in præsente Dissertatione examinare pergimus.

Matt. 26. 2. & seq.

ARTICULUS PRIMUS.

Argumentum Controversiæ hujus, & a quibus Scriptoribus agitata fuerit.

ANte postremi sæculi finem, cuilibet videbatur aperte in Evangelio videre, Jesum Christum Legis Pascha cum discipulis suis peregisse ipso die a Lege præscripto, videlicet decimaquarta Luna Mensis Nisan, quæ ineidit eo anno in Mortis ejus pervigilium. Ecclesiarum Græcæ & Latinæ Patres, Theologi, atque Interpretes de hoc non dissentiebant, & hujusmodi erat opinio communis, ab exiguo tantummodo Scriptorum numero oppugnata, quorum sententia jandiu in oblivione jacebat.

Sententia Lamii de postremo Jesu Christi Pascha te.

Tum vero prodiit in lucem Lamii Oratorii Presbyteri anno 1689. Harmonia quædam sive Concordia quatuor Evangelistarum, quam deinceps Tractatus alii bene multi consecuti sunt. In ea Criticus hic eruditus singularem plane opinionem in publicum edidit super estremo Paschate Jesu Christi, quem contendit non comedisse Agnum Paschalem in postremo vitæ suæ anno, sed Cruci suffixum fuisse eadem die, quo Judæi Legalem cænam erant comesturi. Primus omnium, qui super hoc capite quasdam difficultates proposuit, unus fuit ex iis Doctoribus, qui Librum ejus probaverant: sed Lamius Dissertationem emisit, in qua diligenter ea extricare studuit, quæ Censori suo scrupulum injecerant.

Viri

Viri tamen eruditi conatus, & producta pro ſententia ſua de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate argumenta non prohibuerunt, quominus opinioni huic Sapientes plurimi reclamarent. Ante omnes illum Pienudus adhortus eſt *, deinde Tillemontius, & poſt eum bene multi momenta non pauca in opinionem ſuam intentarunt. Ut autem illam ſolidius jaceret, & quæ contra dicebantur tolleret, vel quæ dici poterant præoccuparet, ſtatuit de quæſtione hac cumulate diſputare in Tractatu Gallico, quem inſeripſit: *Tractatus Hiſtoricus de veteri Judæorum Paſchate, editus anno 1695.*

Sapientes non pauci in opinionem hanc arma verterunt. *Pienudus in Epiſtola inſerta Ephem. 4. anni 1695. Tillem. notat. 16. in Jeſ Chriſt.* Lamius alterum ſcribit Tractatum, ut priorem defendat.

In priore Operis hujus parte exponit longo verborum ambitu quidquid attinet ad tempus & rationem celebrandi vetuſtum Paſcha Judæorum, quam explicit analogia ceremoniarum Paſchalium cum oblatione Chriſti Domini, cuius imago & typus erant. Altera vero Scripti hujus pars in eo contendit vires omnes, ut probet, quæſtionem hanc, num Jeſus Chriſtus in mortis ſuæ pervigilio extremum Paſcha confecerit, ad Fidem non pertinere; & perſtringat Theologos illos, qui ex opinionibus ſuis Fidei dogmata confiant. Et vero affirmat, quæſtionem hanc, cum in earum numero collocanda non ſit, quæ fidem autem bonos mores attingunt, iis accenſendam eſſe, in quibus jus eſt unicuique, a communi Patrum ſententia recedere. Tandem ad judicium revocat cum antiquorum tum recentiorum Autorum ſenſa de Paſchate Jeſu Chriſti.

Quanquam tamen perſuaſum Lamio eſſet, Opus hoc maximi momenti fore ad indicandum adverſariis ſilentium; nihilofecius tantum abeſt, ut Litteratorum hominum querelas compeſſeret, ut potius plures alios excitaverit, qui aeriter in opinionem ejus impetum facerent. Tillemontius pugnam rurſus dedit **, quem ſecuti ſunt Harduinus, Daniel in Interpretatione Ludovici Leonis, Pariſiis 1695. & P. Mauditius. Eodem tempore prodiit in lucem Scriptum aliud, cui titulus „ Apologia Arnaldi, „ & Bouhours in Autorem latentem ſub nomine Abbatis Albigen„ ſis: „ in quo *** exploditur opinio Lamii, ut contrariam Sacris Litteris, Eccleſiæ Patribus, & Concilii Tridentini doctrinæ. Pezeronius tandem, Vvitaſſius, & Beſſinus deſcenderunt in aciem, ut novam opinionem oppugnarent. Qui tamen omnes tot metuendorum adverſario-

Eadem opinio ab aliis Scriptoribus impugnatus. *Pezeronius in Hiſt. Evang. Vvitaſſius Epiſt. in Ephem. Sap. 1695. Beſſinus Animad. in novam Lamii opinionem. Rothomagi 1697.*

* Pienudus humanas Litteras profeſſus eſt in Collegio Harcurtienſi; deinde Regius Profeſſor Linguæ Græcæ anno 1698. obiit anno 1703

** *Tillemontius Epiſtola ad P. Lamium*, quæ extat in ſecundo Tomo Monumentorum ſuorum. *Harduinus de ſupremo Chriſti Paſchate, Pariſiis* 1693. Mauditius in Analyſi Evang. Diſſ. 3. & 32. Par. 1694. Gall Apologia impreſſa Montibus, 1694. Gall.

*** Opus hoc confectum fuit adverſus animadverſiones in Verſionem Montenſem, & alterum Bouhours, Tribui ſolet Toinardo, licet ab ipſo non agnoſcatur.

rum conatus id non obtinuerunt, ut silentium Lamio imperarent. Cunctis nanque Criticis istis responsum dedit Dissertationibus multis, quas edidit inscriptas: *Continuatio Tractatus historici de veteri Paschate Judæorum*. Gall. quarum postrema lucem publicam subivit anno 1697. cui eum nemo responsum aliud iteraret, ulterius non processit disputatio.

Quels placuerit opinio de Paschate extremo, a Christo Domino non celebrato. *Lamius Tract. de Paschate c. 7. Gallo*

Sapientibus hujus Ævi multis opinio fuit, Jesum Christum postremo vitæ suæ anno Pascha Legis minime peregisse. Antequam Lamius Tractationem suam de Paschate sub prelo poneret, audivit a Toinardo, sibi id ante annos viginti ita persuasum fuisse, uti apparet ex *Harmonia Evangeliorum*, edita ejus nomine anno 1707. Tourneminus Parisius eum decimo sexto Kal. Januarias 1691. tum tertio Idus Quintiles 1692. in publicum certamen proposuit duas Theses Theologicas, Lamii sententiam defendentes, quod doctissimus hic Jesuita declarat in Epistola ad eum data. Hæc autem Epistola non modo summatim continet solidiora momenta, quæ afferri possunt pro sententia hac recenti; sed quibusdam constat animadversionibus, quæ Lamium fugerunt, quæ hujusmodi sunt ut non contemnantur &c. Denique anno 1713. Calmetus Benedictinus e Congregatione S. Vvittonis in Commentariis ad Litteram omnium Librorum cum Veteris tum novi Testamenti, huic opinioni suffragium dedit Dissertatione de Paschate ultimo, quam præfixit Evangelio Matthæi, atque in eam intulit clarissime quæcumque probabiliora ab hac sententia dici possunt.

Alii ejusdem sententiæ propugnatores. *Villegagnonus de Judæor. Paschatis implemento*, 1590.

Novimus ipsius confessione Lamii, nullum vidisse illum Scriptorem editum, qui opinionem suam propugnaverit in Europa ante Nicolaum Villegagnonum, Antonium de Dominis Archiepiscopum Spalatensem, & Hieronymum Vecchietum, Florentinum. Sed illud affirmate dicere possumus, ex tribus Autoribus istis nullum ferme pondus accedere opinioni suæ. Quamquam etenim initio summis laudibus efferat Autorem primum, deinceps fateri cogitur, Æquitem hunc Melitensem offendisse multis super quæstione Paschatis. Quod attinet ad Antonium de Dominis, cujus opus lucem aspexit Londini 1620. nemo unus ignorat, quo fuerit ingenio vir, ut hoc loco necesse sit id inculcare. Demum satis erit dixisse, Vecchieti Librum editum Augustæ 1621. *de anno primitivo*, igni traditum fuisse Decreto Quæsitorum Fidei, & Scriptorem ejus perpetuo carcere detentum.

Tametsi vero diligens hæc narratio nos aliquanto detinuerit, proderit tamen, opinor, ut magis comparetur Lector ad pronunciandum, an eruditio Ecclesiastica, Profana, atque Judaica, quibus redundant doctissimorum virorum istorum Volumina, contulerit admodum ad Facti hujus majorem claritatem & firmitatem.

A R.

ARTICULUS II.

Diſputationes Eruditorum de poſtremo Paſchate rem hanc parum enuclearunt; & qua de cauſſa.

Parum utilitatis; cpetit hæc concertatio.

QUiſnam tandem eſt tot diſputationum fructus, quæ vehementi adeo animorum contentione excitatæ & propugnatæ ſunt ſuper extremi Paſchatis argumento? Luca ne Evangeliſtarum melius enodata ſunt, quam antea eſſent? Firmius ne caput hoc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſtitutum eſt? In aliam ne ſententiam quis abiit ſuper hac quæſtione? Nihil minus. Doctus Pater Lamius inepta ſibi ſpe blanditus eſt fore, ut Litteratos Viros in ſuam opinionem perduceret; iique contra tantum abeſt, ut Lamii conſtantiam fregerint, ut potius eum in prima ſententia ſua altius firmaverint.

Contulit ad ingenia diſtrahenda.

Quorſum igitur exceſſit tam longa & pertinax concertatio? ad ingenia ſcilicet diſtrahenda, ad diſputationes multiplicandas, ad opiniones novas inducendas, vel eas innovandas, quæ jandiu erant obliteratæ. Ante iſtud Litterarium certamen cum Eccleſia, tum Eruditi omnes uno, ut ita dicam, ore de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate loquebantur; ſed jactata Critices perſpicacis lumina confuſionem, ſit venia verbo, mentibus incuſſerunt, & tot hac de re opiniones pepererunt, quot illam vel propugnare vel impugnare aggreſſi ſunt.

Viæ & rationes diſſimiles a Criticis inventæ, ut Evangeliſtas conciliarent.

Cardo rei de ſupremo Jeſu Chriſti Paſchate vertitur in conciliandis SS. Matthæo, Marco, & Luca cum Divo Joanne: ut tamen inter eos conſtaret, diverſis plane viis Litterati Viri noſtri inſtiterunt. Tillemontio viſum eſt, ut conveniret inter Evangeliſtas, non oportere infieiari, Judæos Feria ſexta Paſcha celebraſſe. Putavit Harduinus expediri poſſe difficultatem ab eo, qui poneret pro certo, Synagogam pio & ſapienti conſilio feſtum diem addidiſſe, ut immolatores munera ſua explere poſſent: atque hoc pacto celebritatis dies doctus hic Jeſuita diviſit. Iſraelitis nanque & Galilæis deſignata fuit Feria quinta, & inſequens dies incolis Judeæ.

Mauditius Analyſi in Evangel. Diſſ. 1.

Mauditius ſe recipit ad Tabulas Aſtronomicas, ut ſignet veras Lunas, proindeque decimamquartam ejus, qua Chriſtus Dominus Paſcha celebravit; atque ad Phaſim, videlicet exortum primi Lunæ creſcentis cornu, ut indicet diem, quo Paſchalem agnum Judæi immolare debebant. Daniel excitavit opinionem Ludovici Leonis, Viri Religioſi ex Ordine S. Au-

S. Auguſtini, dicentis, tempus legitimum Paſchatis immolandi initium eſſe decimæ quartæ, hoc eſt ſecundæ Veſperæ decimæ tertiæ.

Celeberrimus Pezeronius, ut Evangeliſtas invicem ſentire faciat, ſtatuit, Judæos celebraſſe duas Neomenias, primam quidem, quæ ſupputabatur a conjunctione Lunæ cum Sole; alteram a die exortus, ſive Phaſis Lunæ: Propterea ne in Lege cuſtodienda fallerentur, duas decimas quartas numeraſſe, & Paſchatis ſolemnitatem coluiſſe duobus continenter diebus propter dubitationem de vero initio novæ Lunæ. Quo poſito, ex Abbatis hujus ſententia dicendum erit, Jeſum Chriſtum celebraſſe Paſcha prima die decimaquarta, quæ Jovis erat; & Judæos multos ſecunda die decimaquarta illud confeciſſe, nimirum die Veneris. Vvitaſſius autor eſt, dies communes Judæorum non incepiſſe in Solis occaſu, ſed media nocte: quo invento putat ſe nodum diſſolviſſe, atque Evangeliſtas inter ſe conciliaſſe.

Alii hujus conſenſionis gratia animum applicuerunt ad translationem Feſtorum, quam dicunt Judæis in more poſitam fuiſſe, ut in Thalmude ſcriptum eſt. Alii vero uſi ſunt Calendario Judæorum, monente, Paſcha, ſive Feſtum Azimorum peragi non potuiſſe ſecundo, quarto, & ſexto Hebdomadæ diebus.

Incommoda diviſionis hujus inter Sapientes conſecutio.

Variæ opiniones iſtæ alias inſuper pepererunt propter nexum principiorum ſuorum. Verum ſane eſt, omnes in id intendere, ut Lamii ſententiæ refragentur, & Jeſum Chriſtum Paſcha Legis comediſſe conſtituant; at in alia omnia ſinguli eunt, & mutuo rejiciunt viam, quam inierunt, ut factum hoc confirment, quin Textui Evangelico vim afferant. Id porro incommode cadit in hac Sapientum diviſione, quod poſt omnem iſtam Critices eruditioniſque veluti ſarcinam, large effuſeque ab ipſis oſtentatam, verendum eſt, ne facti hujus hiſtorici veritas nihilo melius enucleata ſit propter ea, quæ ſequuntur.

Ratio prima.

1. Conjecturæ allatæ a præſtantibus Criticis noſtris, ut exponant, quonam pacto Jeſus Chriſtus Legi obtemperaverit; & eam, quæ ſpecie tenus eſt, Evangeliſtarum repugnantiam tollant: conjecturæ, inquam, iſtæ parum firmæ, immo leviſſimæ videntur, cum quam quiſque ſingillatim affert, aliorum plerique tanquam minus probabilem explodant: Duo ex. gr. Neomeniæ a Pezeronio excogitatæ, duoque dies ab Hardulno producti, quorum alter Galilæorum, alter Iſraelitarum Paſchati deſignatus eſſet, cenſentur ab iis Eruditis, quibus res eſt in hac concertatione, vel inepti ad Evangeliſtas conciliandos, vel omni veritatis fundamento carentes.

Ratio ſecunda.

2. Singulæ opiniones iſtæ conſtitutæ ſolummodo ſunt vel Thalmudis autoritate, vel Rabinorum teſtimonio, vel Judæorum recentiorum moribus,

ribus, aut Calendariis, & Tabulis Aſtronomicis, aut non admodum accuratis Judæorum Cyclis, aut tandem quorundam ex poſtremis ævis Scriptorum ſuffragiis. Porro rationes, aliis præter iſtos ſponſoribus deſtitutæ, hujuſmodi ne ſunt, ut eas amplectamur? Ii ipſi, qui eas nunc adhibent, Scriptores, multum ne momenti in illis ponunt, cum in ſimilibus tantæ vetuſtatis factis ſibi objiciuntur? An cogere nos volunt, ut iiſdem ſine hæſitatione aſſentiamur; vel contendere poſſunt, Evangeliſtarum concordiam fundamentis tam ruinoſis ſuperſtruendam eſſe?

Ratio tertia.

3. Novimus quidem Criticos ſibi præſidium quæſiviſſe Philonis & Joſephi, & conjecturarum ſuarum multas fulſiſſe amborum Autorum teſtimonio, qui ut pote ejuſdem ævi, digniores ceteris hac de re ſunt, ut audiantur. At vero quid nam proficiunt illi Scriptorum iſtorum autoritate, cum viciſſim exprobrent ſibi, rectam verborum utriuſque intelligentiam non fuiſſe aſſecutos, & nemo ſingillatim auderet diffiteri, ſe e re ſua præclariſſimorum Judæorum ſuffragium aliquando recipere, aliquando vero rejicere. Sibi itaque ipſis auferunt commoda illa, quæ capere ex illorum teſtimonio poſſent; ſuæque conjecturæ nullam vim majorem acquirunt, neque magis ſimiles vero fiunt, neque ad eas, quæ apparent, Evangelii difficultates explicandas aptiores.

Ratio quarta.

4. Fateor etiam, eos Patrum Eccleſiæ autoritatem non contemſiſſe; ſed ſatis habuere, ubi illos in univerſum laudarunt, ut majus pondus quibuſdam præcipui facti adjunctis compararent; neque enim exiſtimo, quenquam fuiſſe, qui inviolate ipſis adhæſerit, aut ad Lamii opinionem evertendam, aut ad unanimem Eccleſiæ de poſtremo Paſchate ſententiam ſtatuendam. Aſſueti nanque, nihil in trutina ſuſpendere, niſi ex ſeveræ Critices regulis; nihilque pronunciare, niſi tum ex ejus principiis, tum etiam ex Aſtrologicis Chronologicisque obſervationibus, & Linguarum eruditarum ſtudio: ſatis in his omnibus intelligentiæ fore exiſtimarunt, qua ſine conſtanti Sanctorum Doctorum Traditione hoc factum poſſet enodari.

Traditionis & conſenſus Eccleſiæ neceſſitatem habent in quæſtione iſta dirimenda.

Hac autem via & ratione fieri ne poterit, ut quæſtio hæc perfecte dirimatur, atque illam, quam majorem habere poteſt, certam veritatem acquirat? Exigua profecto ſemper erit veri ſimilitudine, niſi rem deferamus ad unanimem Patrum Traditionem, Eccleſiæque ſuffragium, eoſque fontes tanquam ultimum id genus quæſtionum tribunal ſpectemus, a quo, quam maximam acquirere poſſumus, hac de re exploratam cognitionem acquiramus. Oſtendimus alibi, autoritati & conjecturæ, duobus Critices principiis uſitatis addendas neceſſario eſſe Traditionem & conſenſionem Eccleſiæ quoad res, quæ ad Criticen Eccleſiaſticam pertinent. Sine quibus certe fundamentis, quæ unum ſæpe duntaxat conflant,

Animad. in Reg. & Uſum Crit. Diſſ. 7. art. 8. Tom. 2.

ſiant, dubii ſemper erimus ancipiteſque in factorum illorum deciſione, quæ ad Ipſorum tribunal revocantur. Hujuſce veritatis plura jam dedimus exempla, queis accedent alia in ſubſequentibus: immo in propoſito ſtantes, nemo poterit certius germanam Evangeliſtarum de poſtremo Paſchate mentem cognoſcere, niſi Patrum Eccleſiæque Traditionis conſulto. Hanc etenim viam ineundam a nobis eſſe Concilia decreverunt, ubi velimus Scripturarum ſenſa ſcrutari.

Sexta Syn. Conſt in Trullo can. 19. Concil. Later ſeſſ. XI. Conc. Trid ſeſſ. 4.

ARTICULUS III.

Non poſſumus ex verbis Evangelicis, ſecundum neutrius partis interpretationem, diſſolvere controverſiam: utrum nec ne Jeſus Chriſtus ultimum Paſcha celebraverit.

Convenit inter Doctos, decidendum de controverſia eſſe ex Evangelio.

CUM hactenus probaverimus, diſſimiles Sapientum hujus ætatis opiniones, fultas Judaica eruditione, Aſtronomica ſcientia, & conſuetæ Critices luminibus, ſatis non eſſe, ut eam, quæ ſpeciem tenus eſt, Evangeliſtarum repugnantiam tollant; videtur hæc quæſtio, quippe in Evangelio perſpicue enuncíata, ex ejuſdem Sacri Textus verbis diſſolvenda. Quod Tillemontius optime animadvertit. „ Nihil habemus, in„ quit, quod ſolide de controverſia decidere poſſit præter Evangelia.„ Atque in Epiſtola ad Lamium art. 1. „ Oportet, ſcribit, ad Evangelium „ redire, illudque Judicem appellare. „ Lamius quoque, & qui ab eo in hac diſputatione ſunt, ad Textum Evangelicum appellant: adeoque utriuſque partis adverſarii ſuper hoc capite non diſſentiunt. Porro cum apertiſſima, ut utrique affirmant, ſint Evangeliſtarum verba, quare adhuc hac de re controverſantur? Quia ſcilicet quibuſdam placet, facilius eſſe, Sanctos Matthæum, Marcum & Lucam interpretari, ut ad Joannem referantur; ceteri vero contendunt, e re magis eſſe, Sanctum Joannem ad alios Evangeliſtas accommodare.

Notat. 26. in Jeſ. Chriſt.

Tract. de Paſch. p. c. 13. pag. 247.

Quare de contextu Evangelii digladiantur Viri Litterati?

Lamius redarguit adverſarios, omnem latere Antiquitatem modum illum, quo explicant ſex Sancti Joannis loca: ejus contra adverſarii urgent, illum locis Sanctorum Matthæi, Marci, & Lucæ ſenſum dediſſe, ab Eccleſiæ Patribus alienum, atque admodum ſingularem. Eruditus hic Oratorii Presbyter perſuaſum vehementer habet, ſe in Evangelio Joannis perſpicue reperire, Jeſum Chriſtum in Mortis pervigilio Paſcha non comediſſe; qui vero in eum pugnant, affirmare non deſinunt, ſe in tribus aliis Evangeliſtis aperte legere, Salvatorem noſtrum Legem impleviſſe de

Agno

Agnô immolando in pervigilio ejus diei, quo idem ipſe in Crucis arbore immolatus fuit. Denique novæ opinionis Patroni poſtulant alios de illata vi dictis S. Joannis, ut ea ad trium aliorum Evangeliſtarum ſenſa detorquerent; Autores vero priſcæ ſententiæ exprobrant Lamio, perinde ac male Interpretatus ſit loca Sanctorum Matthæi, Marci, & Lucæ, ut illa cum S. Joanne conciliaret. Tillemontius, explicatis ſex locis S. Joannis, hæc ad P. Lamium dirigit verba: „ Habes omnia S. Joannis loca, quæ tibi argumenta ſuffeciunt. Quamvis etiam contendere poſſes, Evangeliſtam hunc pro te ſententiam aperte ferre; puto equidem paucos admodum fore, qui non videant, tres alios nihilo minus in te perſpicue dicere. Si itaque tibi videtur Joannes haud ſecus favere tibi, quam mihi tres alii, certo ſit, alterutrum ex nobis falli; & quandoquidem partes hoc in negotio ſumus, ejus judicium nobis non tribuamus, ſed ad homines univerſos deferamus. Quantumvis clara tibi viſa ſint Joannis loca, unquam ne ad ſe in univerſum rapuerunt omnes, ſicuti alia Evangeliſtarum dicta? Quot ſenſerunt ea interpretari commode nos poſſe? „ Et tamen Lamius ex adverſo mordicus tuetur, tres Evangeliſtas nullo negotio cum Joanne componi poſſe, idque apud omnes compertum eſſe debere. *Tillem. epiſtola ad Lamium page 23 & 24. Gall.*

At vero Toinardus, ut finem faciat controverſiæ hujus, quatuor enunciata profert in ſua quatuor itidem Evangeliſtarum Harmonia. Primum eſt, opus eſſe, ex Evangelii verbis omnes illas quæſtiones diſſolvere, quæ hoc pacto diſſolvi poſſunt. Secundum, cum in verbis Evangeliſtæ alicujus emergit difficultas, enucleandam eam eſſe verbis alterius, vel plurium Evangeliſtarum, qui clarius de eadem re ſcripſerint. Tertium, quoties Evangeliſtæ textus ita clarus eſt, ut nullus reliquus ſit de eo dubitandi locus, huic ſtandum eſſe. Quartum, eum quid reperiatur in uno aut pluribus Evangeliſtis, quod videatur opponi verbis apertis & conceptis alterius Evangeliſtæ, ita tamen, ut æqua interpretatione conciliari poſſit, in eo ſiſtendum eſſe, quod clare conſtat, alios vero ad hunc redigendos, potius quam illud violenter interpretari. *Quatuor Regulæ Toinardi.*

Præcepta hæc rectiſſima eſſe videntur, & de illis inter doctos conveniat neceſſe eſt. Porro Toinardus ſecundum quatuor hæc pronunciata explicat loca Evangeliſtarum, efficitque ex illis, Chriſtum Jeſum in mortis pervigilio ultimum Paſcha non confeciſſe. Contrariæ vero partis propugnatores, eaſdem quatuor attendentes enunciationes, adverſam omnino ſententiam probant; nimirum, Chriſtum poſtremo vitæ ſuæ anno Paſcha celebraſſe. Quænam igitur ratio poſt hæc dirimendi quæſtionem hanc ex Textu ſacro, eamque ſpeciem repugnantiæ, quæ in Evangeliſtis eſt, auferendi, ſi varias haſce Criticorum noſtrorum vias inire velimus? *Lamius, Calmetus.*

Animadverſio in hanc Litteratorum hominum diviſionem.

Antequam Articulo huic finem impono, liceat mihi, animadverſionem quandam apponere, quæ per ſeſe in animum incurrit, quæque apprime conſilio illi reſpondet, quod mihi in hoc Opere propoſitum eſt. Si contextus Evangeliſtarum perſpicuus eſt, ut convenit inter utriuſque partis Scriptores, unde fit, eos ex eodem textu pugnantia concludere? Id non ſane vitio vertam exiguæ illorum eruditioni atque intelligentiæ. Opera nanque a Viris iſtis ſapientibus in vulgus emiſſa, & locus, quem in Republica Litteraria tenent, eos extra hoc ponunt dedecus contumelioſum. Quod ſi urgeretur aliquis, ut deviam hanc agendi rationem crimini daret quibuſdam, ut ita dixerim, præjudiciis, anteceptæ animo opinioni, vel pertinaciæ; Criticorum præſtantium nomen, quod cum dignitate tanta tuentur, eos ab iſtis culpis ſatis purgat: qui nanque Criticum dicit, hominem intelligit vere doctum, prudentem, moderatum, qui acquieſcat veritati, etſi ab ea damnaretur; hominem etiam emunctæ naris, nullo amore ſui, ſed tantum æquitate ductum; iis demum immunem affectionibus abjectis & pudendis, quæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam perturbarunt.

Quare, ut monent principia noſtra, tribuenda eſſet fortaſſe diſcrepantia hæc, vel modicæ regularum magnæ hujus artis accurationi, vel malo earundem uſui. Quodcunque tamen in cauſſa ſit; liquet profecto, quandiu præclari Viri iſti adhærebunt citius Critices luminibus, quam Traditioni iis in rebus, quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Scripturarum interpretationem, vel pios mores ſpectant, tandiu eos res difficiles minime explanaturos. Poſtremum, de quo agimus, Paſcha exemplum eſt ſub ſenſus cadens. Propterea una, quæ ſupereſt, ad Evangeliſtas hoc de Facto conciliandos via eſt, unanimem Traditionem & aſſenſionem Eccleſiæ conſulere; quo pacto concertationem hanc diſſolvere curabimus.

ARTICULUS IV.

Traditio fert, Chriſtum Dominum in Mortis ſuæ pervigilio Paſcha celebraſſe.

Senſa Patrum Græcorum de Paſchate poſtremo. *In præfat. Tract. de Veteri Paſchate Gall.*

CUM Lamius fide ingenua profiteatur, opinionem ſuam de poſtremo Paſchate ab omnibus derelictam eſſe, contentus ero, huc ſummatim afferre ſanctos primorum ſæculorum Doctores, qui nos docuerunt, Jeſum Chriſtum die Jovis ante mortem ſuam Legitimum Agnum conc-

comediſſe. Si Conſtitutionum Apoſtolicarum Autor ſatis haberet momenti atque autoritatis, primus in hanc Traditionis ſeriem venire poſſet, qui Apoſtolos inducit dicentes, ſe Paſcha comediſſe Veſpere diei Jovis, antequam Chriſtus Euchariſtiam inſtitueret. Sed habeto teſtimonia magis authentica.

Primum, quod ſeſe offert, ab Origene depromtum eſt, qui perſpicue tradit, Apoſtolos manducaſſe Paſcha in pervigilio Paſſionis Domini ſecundum Moſaicæ Legis præceptum: quod de Paſchali Agno intelligi tantummodo poteſt. *Orig. hom 9. in Lev. & hom 35. in Matt.* Origenes.

Ducangius in fine Chronici Paſchalis, elegantem Chronici Euſebiani locum nobis ſervavit, in quo hæc habentur: *Cum enim una cum Diſcipulis umbratile Paſcha comediſſet Dominus noſter, inducto alio authentico Paſchate, Feria quinta hebdomadis, in qua erat 14. Luna &c.* Quod Euſebii fragmentum deſcripſit Ducangius e duobus Codicibus Bibliothecæ Regiæ, atque altero Colbertianæ. Euſebius. Ducangius, *Selecta ad illuſtrationem Chronici Paſch* c. 5. pag. 421.

Non inficiatur Lamius, S. Joannem Chryſoſtomum pro opinione communi palam ſuffragium ferre, cujus verba reipſa ſunt ita perſpicua, ut nulla ratione eludere illa potuerit *. Photius inſuper addit in Bibliotheca ſua, non ſolum in hac ſententia fuiſſe Patrem iſtum, ut crederet, Jeſum Chriſtum in ultima cæna Paſcha Legis celebraſſe, ſed ſuper hoc capite univerſam Eccleſiam Græcam eidem adhæſiſſe: Quod aſſerit quoque Victor Antiochenus. Quamvis S. Epiphanius ** crediderit, Chriſtum Dominum Paſcha celebraſſe biduo ante præſtitutum a Lege tempus, nihilo tamen ſeeius exiſtimat, Agnum Paſchalem revera comediſſe. Nihil hic dico de Theophilo Alexandrino, deque aliis nonnullis, quorum loca deinceps afferam. S. Joannes Chryſoſtomus. *Photius codice 216.* *Victor Antioch. in c. 14. Marc.* S. Epiphanius.

His Patribus Græcis accedant duo alii neceſſe eſt. Primo S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, cujus opinione *Dominus noſter Jeſus Chriſtus conjunxit in una die Agnum Judæorum, & verum manna, quando benedixit panem & vinum, dicens: Hoc eſt corpus meum, & ſanguis meus.* Secundo S. Proterus, qui in S. Cyrilli locum ſucceſſit; & interrogatus ab Imperatore de ratione celebrandi Paſcha, reſpondit, Jeſum Chriſtum *Quinta Feria XIV. Luna menſis primi in Cœnaculo cum Diſcipulis Paſcha manducantem, paullo poſt a Juda traditum, & ſequenti die, XV. Luna, crucifixum fuiſſe.* Quod utrorunque Patrum iſtorum ſuffra- S. Cyrillus Alexandrinus. *Cyrill. Alex. Epiſt. ad Patres Concil Carthag.* S. Proterus. *S. Proterus Epiſt. ad Leonem de ratione Paſch.*

* *Quomodo ſi Paſcha comedebant, adverſus Legem recumbentes manducabant? Sed dicere poſſumus, quia poſtquam comederunt Paſcha, ad cænandum recubuerunt.* Chryſoſt. hom. 81, 82. 83. in Matt.

** *Quare biduo ante legitimum diem epulum Paſchale celebrarunt, hoc eſt feria tertia ad Veſperum, quod quinta fieri oportuit.* Epiph. Hær. 51. num. 26. contra Alogoſ.

gium eo gravius eſt, quo veteres Patres ad Patriarcha Alexandrinum munus detulerant deſignandi ſingulis annis diem, in quo Feſtum Paſchale celebrandum eſſet: adeoque opus erat, eos id egregie callere, ut animadvertit Sanctus Leo. *

Senſus Patrum Latinorum.

Patres Latini nihilo obſcurius pro vetere Paſchate mentem ſuam aperiunt. Quamvis Calendarium Paſchale, in Anglica Editione S. Cypriani nomine vulgatum, ab eo minime conſcriptum fuerit, Autor tamen vetuſtiſſimus eſt, quod comperimus a Dupino & Cavio. Porro Autor iſte nos facit certiores, Chriſtum Jeſum ante mortem ſuam Paſcha Legis celebraſſe. Ambroſius in quadam Epiſtola ſua ita loquitur: *Celebravit Paſcha hebdomade, in qua fuit quartadecima Luna. Denique ipſo die Paſcha cum Diſcipulis manducavit.* Ipſius Lamii conſeſſione ſtant in eum Auguſtinus atque Hieronymus; quapropter opus non eſt illorum verba referre. Junilius Epiſcopus Africanus, qui ad annum 550. floruit, ait ſolemnibus verbis: Jeſum Chriſtum, *poſt eſum Agni typici Myſteria nobis ſui Corporis & Sanguinis celebranda denunciaſſe.*

Dupinus in Bibl. Cavius hiſt. lib. pag. 79.

Sanctus Ambroſius. *Epiſt. ad Epiſcopos Æmiliæ.*

Aug. Epiſt. 36. c. 13.

Hieronym. 4. in Matt. c. 26. v. 17. & 26.

Junilius Africanus. *Comm. in Geneſim.*

Quibus omnibus addere poſſumus unanimem Eccleſiæ conſenſum, quem oſtendit nobis in Officio Sanctiſſimi Sacramenti, confecto ab Angelico Doctore Divo Thoma, atque ab illa adoptato; dum canit ſolemni ritu hæc carmina indicantia, Chriſtum Dominum, comeſto Agno Paſchali, corpus ſuum Apoſtolis epulandum dediſſe.

Poſt Agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum Diſcipulis &c.

Concilium Tridentinum.

Denique Concilium Tridentinum ſuper hac re declarat ſenſa ſua diſertis verbis: *Celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo Filiorum Iſrael immolabat, novum Paſcha inſtituit, ſe ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit.*

Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1.

Hic autem potuiſſem Traditionis hujus veluti catenam producere per ſingula Eccleſiæ ſæcula ad nos uſque, niſi ultro cognoſceret Lamius, eam omnibus probatam eſſe, & ſententiam ſuam ab omnibus pariter derelictam. „ Quandoquidem (hæc ſunt ejus verba) opinio, quam tueri ag„ gredior, in univerſum deſerta erat, propterea congredi cogor cum „ Theologis, Scripturarum Interpretibus, Hiſtoricis Eccleſiaſticis, Chro„ nologis, & generatim cum omnibus iis, qui cum inter Catholicos,

In Præfat. Tract. de Paſch.

* *Quoniam apud Ægyptios hujus ſupputationis antiquitus tradita videbatur peritia, per quam qui annis ſingulis dies præfixa ſolemnitatis eveniret, Sedi Apoſtolicæ indicaretur, ut hujus ſcripti ad longinquiores Eccleſias judicium generaliter percurreret.* S. Leo Epiſtola prima ad Marcianum.

„ tum inter Heterodoxos celebriori eruditione præſtiterunt. Cuncti ad-
„ verſarii mei ſunt, quos partim adorior, partim repello; ut de me di-
„ ci poſſit, quod de Iſmaele tradunt Litteræ Sanctæ: „ *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*".

Fatetur itaque Lamius, communem ſententiam, ut pote Sapientum omnium ſæculorum turba munitam, anteferendam hoc capite eſſe ſententiæ oppoſitæ, atque ab omnibus deſertæ. Et vero non poterat id Criticus prudentiſſimus diffiteri. Unde fit igitur, eum ſuper quæſtione hac, jam dijudicata ante tribunal Traditionis omnis ſæculorum, non recedere a ſententia ſua, atque in iſtam ſecundum accuratiſſimæ Critices regulas, ut videtur, æquiſſimam non deſcendere? Quod operæ pretium eſt ſequenti Articulo examinare.

ARTICULUS V.

Rationes, quibus permotus eſt Lamius, ne putaret, teneri ſe de amplectenda opinione communi; quanquam Patrum concurſus, omnesque pene Litterati viri pro ea pronunciaverint.

SAtis ratione ac mente præditus erat Lamius, ut unanimi Patrum & Sapientum opinioni adverſaretur, niſi ad id rationibus firmiſſimis compulſus fuiſſet; & tanta pollebat Critices intelligentia, ut noſſet unum eſſe ex magnæ Artis hujus principiis, non licere, opinionem probabilem rejicere, & factum præſertim hiſtoricum morali ratione certum oppugnare, niſi præſto ſint rationes hujuſmodi, quæ perſuaſionem inducant, & genus quoddam Demonſtrationis efficiant? Porro Lectoris ſit judicare, utrum illæ, quibus perductus Lamius eſt, recipi mereantur, & monitis iſtis reſpondeant.

§. I.

RATIO PRIMA:

Quæstio hæc funditus dijudicata non fuit:

Ratio prima.

QUandoquidem veritas præscriptionem non habet, nunquam satis laudare possumus magnum atque excelsum Lamii propositum, quo illam plures annos indefatigabili labore perquisivit. Postquam vero pertinax hoc studium explevit super extremo Paschate Jesu Christi, persuasum tandem ipsi fuit, integrum esse sibi, minime perstare in novæ suæ opinionis condemnatione, quam tulerat constans Traditio Patrum Ecclesiæ, & omnium pene Sapientum, qui hactenus floruerunt. Ratio prima, quæ illum ad id consilio adegit, est, funditus rem dijudicatam non fuisse. „ Quare æquum est, inquit, caput hoc quoque quæstionis „ ritu perpendere instar tot aliorum, quæ nunquam probe examinata „ fuere, adeoque ad hanc diem sub judice sunt. „

Quare Lamius resiliat a Traditione.

In Respons ad Epist. Tillem. p. 222.

Tract. de Pasch. 2 p. c. 3. pag. 315. & 336.

Neque etenim, subdit, cogitandum est, primos Ecclesiæ Patres omnes Scripturarum Sanctarum difficultates excussisse; cum tantum otii nacti non fuerint, aliisque negotiis urgentioribus distinerentur. Patres in Scripturis id unum spectabant, quod consuetudine receptum erat, & utilitatem habebat ad populos pietate imbuendos, hæresesque confutandas. Non vacabant hactenus, ut reconditas disputationes instituerent; sed Scripturas interpretabantur utili quadam ratione, atque auditoribus suis respondente. Plebs magna non postulat, sed quæcumque sibi offerantur, contenta est, neque opus est ingentibus impensis, ut ipsi satisfiat.

Ibidem pag. 337.

Ibidem pag. 338.

Ibidem 339.

Dicere possumus in universum, quod attinet ad quæstionem, de qua in præsens, eam adhuc neque priscis neque recentibus ævis diligenter, ut par erat, expensam fuisse. Qui vero affirmarunt, Dominum nostrum in Mortis pervigilio Pascha non celebrasse, inepta tantummodo momenta in medium proferebant, & bona causa jam ceciderant. Quod si Toinardo placuisset, in publicum edere, quæ super hac re ante annos multos spoponderat, non visus essem laborare causa non bona, ut visum sum, cum primum prodiit mea Harmonia: Ad illud tempus unusquisque sententiam a me propugnatam ita absurdam censuerat, ut ne animus quidem ipsi adhibendus esset. Qua plane ratione Scriptores non pauc locuti sunt. Immo subjungit Lamius, Cardinalem Humbertum dixisse, nullum Sapientem negare posse, Christum Dominum pridie mortis suæ Pascha legitimum peregisse: *Quis sapiens hoc negat?*

Ibidem pag. 346.

Evi-

Evidens fit (pergo referre verba Lamii) ſi viſa eſt contemnenda & minime audienda ſententia mea, id argumento eſſe, eam excuſſam non fuiſſe, ejuſque fundamenta nondum detecta. Qui eam abjecerunt, germana ejus momenta perſpecta non habebant: porro quid ſentiendum de Judicibus, qui ejus rei, quam condemnarunt, jus ignorant. Quam multi demum ii ſint, qui opinionem meam exploſerunt, ipſorum judicio affici non debemus: „ aut certe (concludit Lamius) nemo mihi denegabit „ jus appellandi ab illorum ſententia, petendique, ut cauſſa recognoſcatur. „ *Ibidem.* *Ibidem pag. 267.*

Ecce rationes, quibus permotus eſt Lamius, ut refragaretur judicio, quod Patres Eccleſiæ, Sapientes, & Traditio pronunciarunt a Veteri Paſchate. Quæſtio hæc diligenter examinata non fuit: qui de ea decideruut, ad id deducti ſunt nondum cognita cauſſa: dijudicata tandem non eſt funditus, & ſupremo judicio. Quare jus putat eſſe ſibi, *appellandi, petendique, ut cauſſa recognoſcatur*.

§. II.

Hæc prima ratio expenditur.

SI Lamius indicta appellatione ſignificaſſet, ad quem Judicem provocaret, & ante quod tribunal cognitionem acciperet cauſſæ ſuæ, non eſſet cur id ab eo percontaremur. At nos penitus latet Judex hic, neque de illo divinare poſſumus, niſi ipſe nos doceat. Hic ſane non ſunt Scriptores Eccleſiaſtici, neque omnium ſæculorum Traditio, neque Eccleſia, quæ in Breviario perſpicue aperit mentem ſuam, neque Concilium Tridentinum; quoniam ab iſtorum judicio appellat. Neque item erunt Autores cum poſtremorum, tum hujus ævi; quoniam hi per ipſum iccireo ſententiam ſuam rejecerunt, quia genuinas ejus probationes ignorabant. Modus, inquit Lamius, quo Tillemontius S. Joannis loca explicavit, nemini Patrum perſpectus fuit; & perinde loquitur, per ipſum, de hac quæſtione, ac ſi illam Patres expendiſſent, & de illa invicem conſenſiſſent. Sententia Harduini fundamentum non habet in ſacris Litteris, & Judæorum Traditione. Vvitaſſius de re pronunciat nimia magiſtri au toritate. Pezeronius in eo tantum ſollicitus eſt, ut res in eam ſpeciem effingat, qua vult eas apparere: quaſi vero nemo in trutina ſuſpenſurus eſſet, quales revera ſint. Atque hæ ſunt, quas prætexit, excuſationes, quare nullum ex Autoribus admittat, qui hac de re ſcripſerunt jam inde ab initio, cum controverſia de Paſchate exorta eſt. Qui vero ante ipſum opinati ſunt, Chriſtum Jeſum pridie quam pateretur Paſcha Legale

Lamius judices non appellat antiquos Scriptores.

Neque recentiores. *In Reſponſo ad Epiſt. Tillem. p. 116. 119 Gall.* *In Reſponſo ad Hard. pag. 14. Gall.* *Animad. in Epiſt. Doct. cujuſdam pag. 8. Gall.* *Ibidem pag. 37.*

gale non celebraſſe, judices legitimi non ſunt, quoniam veras ſententiæ hujus probationes ignorarunt. Quibus poſitis non video, ad quod Tribunal deducere nos velit eruditus Criticus iſte.

Verum quidem eſt, eum ſub finem animadverſionum ſuarum in ſententiam Ludovici Leonis de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate, hæc verba habere. „ Si quæſtio de Paſchate ultimo ſatis eſt enodata, nunquid tem-
„ pus non eſt pronunciandi decretoria ratione ſecundum illud, quod ra-
pag. 18. Lamius rationem appellat. „ tio nos cogit de illa ſentire? „ At non ſtatuit, ſua ne ratio an aliorum ea ſit, quæ litem ſupremo judicio dirimere debeat. In ſequentibus autem ſummum Virum iſtum ſequemur ante Tribunal rationis, ad quod nos ſiſtit; verum hæc neque ſua erit, neque noſtra, neque alterius hominis privati, ſed ratio publica, quæ allatis in anteceſſum, & citra affectionem ullam utriuſque partis momentis, de re pronunciabit.

Patres de hac Quæſtione non ſcripſerunt. Quoniam igitur ratio prima, quæ Lamium coegit, ut Autores Eccleſiaſticos abjiceret, atque ab eorum judicio appellaret, ab exigua controverſiæ hujus de Paſchate inquiſitione petenda eſt; nos erudiat, amabo, quid rei ſit quæſtionem aliquam expendere, & quare iſtam Patres non
In Reſponſion. ad Epiſt Tillem. pag. 119. expenderint. „ Propterea eſt, inquit, quia nullum extat Patrum Opu-
„ ſculum, in quo res hæc digeſta ſit in Libros & Capita, & difficultates
„ omnes emergentes enucleatæ ſint. Plus ſatis flagito, non repugno;
„ ſed ubinam reperis, quæſtionem hanc agitatam in ullo fuiſſe Concilio:
„ Hæreticos pro negante, Doctores Eccleſiæ pro ajente parte ſentiiſſe...?
„ Patres, qui tam ſolliciti fuerunt, ut populos de iis inſtituerent, quæ ipſos
„ intereſſe cognoſcebant, ullum ne hac de re Sermonem habuerunt? Argumen-
„ tum ne alicujus Epiſtolæ ſcribendæ ex ea nacti ſunt? Nihil minus. Immo
„ multi ne verbo quidem ejus meminerunt; qui vero de ea locuti ſunt,
„ id obiter fecerunt, verbiuſculum profetentes, in quo ponebant pro cer-
„ to, & ſine inquiſitione rei, Chriſtum Dominum Paſcha celebraſſe:
„ uti videmus, Concilii Tridentini Patres leviter rem tangere; quo oſten-
„ dunt, illos revera exiſtimaſſe, rem ita ſe habere. „

Ibi dem pag. 119 Atqui licet egregius Criticus noſter jactet, ſe diligenter in Patrum ſenſa ingreſſum eſſe de iis rebus omnibus, quæ cum Paſchatis Quæſtione nexum aliquem habent; & fidenter affirmet, Patres in rem hanc non conſcripſiſſe Tractatus aliquos, vel Sermones, vel Epiſtolas, nihilominus difficile non eſt percenſere multos, qui in idem argumentum Opera luerubrarunt. Primus, qui ſe offerat, Anatolius eſt, Alexandriæ ortus, atque Epiſcopus Laodicenus in Syria, qui tempore Probi Imperatoris, & Cari ſucceſſoris ejus, anno circiter 270. florebat. Hunc Eu-
Patres non pauci Tractationes de Paſchate edidere. ſebius appellat temporum ſuorum in omni Litteraturæ genere ſapientiſſimum: *Principem ſine controverſia locum tenuit*; idemque Euſebius, atqui

què Hieronymus teſtantur, amplitudinem ingenii ſui, vim eloquentiæ, reconditamque eruditionem apparere in Libro, ab ipſo conſcripto de Paſchatis Feſto, cui titulus: *Volumen de Paſchate, ſive Canones Paſchales*, quod edidit Antuerpiæ Egidius Buchinus anno 1634.

Prætereo Librum de Paſchate, quem Theophilus Patriarcha Alexandrinus Theodoſio Imperatori nuncupavit, itemque multas hac de re Epiſtolas, in quibus dicit, Jeſum Chriſtum proditum a Juda fuiſſe ſub lexitum decimæ quartæ diei primi Menſis, cum Judæi Paſcha celebrabant *. Nonne extant triginta Homiliæ de Paſchate, confectæ a S. Cyrillo Alexandrino, & typis commiſſæ Antuerpiæ anno 1618. in quibus confirmat, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis celebraſſe.

Non dubito, quin nobis concedat Lamius, Proterum, S. Cyrilli in Sede Alexandrina ſucceſſorem, anno circiter 451. Epiſtolam dediſſe ad S. Leonem Pontificem ſatis præclaram de Feſto Paſchatis, in qua animadvertit, Servatorem noſtrum ante mortem ſuam Paſcha legitimum peregiſſe. Victorius, medii V. ſæculi Scriptor, præter Canonem Paſchalem egregias Litteras miſit de Feſto Paſchatis ad Pontificem Hilarium. Dionyſius quoque Exiguus poſteris reliquit duas ſuper eadem re graves Epiſtolas. Quem præterit, S. Joannem Chryſoſtomum admodum copioſe agere de re hac in Homiliis multis in Matthæum? Ambroſius pariter de Paſchate præſtantiſſimam Epiſtolam exaravit. Aliique Veterum bene multi Cyclos fecerunt ſpectantes ad Paſchatis Feſtum, in quibus non potuerunt, quominus examinarent, utrum Jeſus Chriſtus Paſcha celebraverit. Si opus eſt igitur, Eccleſiæ Patres ſcripſiſſe Tractatus, Sermones, vel Epiſtolas ſuper hac quæſtione, ut dicantur rem hanc critica lance ſuſpendiſſe, non eſt cur contendamus, id quoque poſtremo Chriſti Paſchati deeſſe.

Ambr. ad Epiſc. Emilia.

Verum enim vero ubinam reperit P. Lamius, ut admitti poſſit Traditio aliqua Eccleſiaſtica, oportere, eam Patres expendiſſe hujuſmodi Tractationibus, in quibus res digeſta ſit in Libros & Capita, & quæſtionem illam agitatam fuiſſe in quodam Concilio &c. Nunquid non ſatis eſt, eruditos Eccleſiæ Doctores tradere nobis hiſtoricum aliquod Factum in Operibus ſuis, ut iiſdem fidem adhibeamus? In quas demum anguſtias redigerentur Scriptores, ſi non liceret ipſis Factum aliquod producere ex teſtimonio Autorum Eccleſiaſticorum, niſi ſi quæſtionem de illo digeſſerint in Libros & Capita? Quot geſta in medium affert Lamius Joſephi, Philonis, Thalmudis, Rabbini alicujus, vel alterius Scriptoris fide; qui de iis obiter tantum meminerunt, vel paucas voculas conſcripſerunt? Jus ne nobis eſſet, eruditum hunc Criticum in-

Non eſt neceſſe, Patres confeciſſe Tractationes de re aliqua.

* *Salvator noſter decima quarta quidem eſt traditus Luna, hoc eſt quinta poſt Sabbatum, decima quinta autem crucifixus.* Theoph. Alex. Lib. ad Theod.

terrogandi, nonne Sponſores, quos adhibet, rem illam digeſſerint in Libros & Capita? Et tamen nunquid non poſtulat, ut ea, quæ attulit, ſine dubitatione recipiamus? Plerique contra Eccleſiæ Patres, omniſque Eruditorum Reſpublica nos docent, Jeſum Chriſti pridie diei mortis ſuæ Agnum Paſcalem comediſſe: & Lamius negabit vetuſtam hanc Traditionem amplecti, immo illam mendacem exiſtimabit, eo prætextu nimirum, quod hæc res excuſſa non ſit, neque in Libros & Capita digeſta?

Eccleſia Traditiones aliquas, tanquam Fidei Dogmata recepit; quanquam Patres de illis Tractatus non conſcripſerint.

Quod ſi negotium eſſet de ulla Fidei Traditione, integrum ne eſſet ipſi non aſſentiri, niſi Patres in Tractationibus peculiaribus eam perpendiſſent, atque in Libros & Capita digeſſiſſent? Cum Jeſu Chriſti Divinitas confirmata fuit in Concilio Nicæno contra Arianos, & Spiritus Sancti Divinitas adverſus Macedonianos, & Eunominianos in primo Concilio Coſtantinopolitano: Cum Maria Virgo declarata fuit Mater Dei contra Neſtorianos in Concilio Epheſino; & cultus Sanctis Imaginibus conſtitutus in Iconoclaſtas a SS. Synodo Nicæna; ut mittam alia Concilia, in quibus capita Fidei declarata ſunt autoritate Traditionis, ex Operibus Patrum collectæ: Heterodoxi ab hiſce Conciliis damnati, audientiam ne ſibi feciſſent, ubi conclamaſſent, Eccleſiæ Patres non perpendiſſe quæſtiones illas in Tractationibus digeſtis in Libros & Capita; neque illis de rebus aut Sermones aut Epiſtolas conſcripſiſſe?

Porro liquet, Sanctos Doctores, in Conciliis illis adductos pro Traditionibus memoratis, non ſemper ſingillatim diſputaſſe de quæſtionibus illis, neque ad illas confirmandas Opera edidiſſe. Immo plerique illorum obiter tantum de iis mentionem fecerant: neque enim quidquam præterea requirebatur, ut autoritas illorum accederet Traditionibus, quæ ipſis de manu in manum traditæ fuerant, atque in Eccleſia generatim receptæ.

Æquum non eſt id quod præſumit Lamius.

Atqui ſi ad definiendam Patrum Eccleſiaſticorum teſtimonio Fidei Traditionem, non eſt opus, eos rem illam examinaſſe in Tractationibus digeſtis in Libros & Capita, Sermones ſcripſiſſe, Litteraſque ea de re dediſſe: Quodnam jus eſt Lamio, ut contendat, ſe non teneri ad credendum Jeſum Chriſtum ante mortem Paſcha Legis celebraſſe, quanquam huic Facto unanimis fere Patrum conſenſus teſtimonium dicat, eo tantum prætextu, quod Doctores ſancti quæſtionem iſtam ad judicium non revocaverint? Poteſt ne ſibi perſuadere, rectam eſſe ſuam a tot doctiſſimorum Virorum deciſione appellationem, ubi contenderit, in ipſorum Tractatibus rem non eſſe in Libros & Capita digeſtam. Atqui licet id quoque requireretur, non tamen ipſi deeſſet; quandoquidem Autores Eccleſiaſtici non pauci Traditionem hanc diligenti trutina penſitarunt,

runt, iisdemque formulis, ut superius ostendimus, a Lamio petitis.

Sum porro nescius, an enunciatum hoc primum, in quo vim ponit Lamius provocationis suæ a judicio tot cujusque Ævi Eruditorum, edito pro veteri Paschate Jesu Christi, pateat nec ne consecutionibus incommodis in negotio Religionis, si res ad vivum resecanda esset. Videtur certe, Historiam cum Ecclesiasticam tum profanam stirpitus convellere: de quo nanque historico Facto certam assequi poterimus veritatem, si liceat reclamare: *Scriptores de hoc eventu mentionem facientes, illud non perpenderunt Tractationibus, in Libros & Capita digestis*. Habes sane locum communem, maximæ futurum opportunitati, ut te Veterum autoritate liberes, atque eximas a quibusvis factis testatissimis recipiendis. Si nanque istud Lamii regula infirmatur, non crediderim ullum aliud extare in Ecclesiastica Historia, quod illius vi non labatur, cum difficile sit aliud reperire, quod magis in universum omnibus sit probatum. Quid quod, nonne possemus addere, pronunciatum idem, ut late patet servatum, apertam sternere viam, qua Pyrrhonismus litterarius, sive historicus invehatur? Incommodæ pronunciati hujus consecutiones.

§. III.

SECUNDA RATIO Lamianæ appellationis.

Doctores Sancti, locus Concilii Tridentini, Breviarium Ecclesiæ, non sunt de Paschatis quæstione legitimi judices.

DUplex argumentorum genus hoc loco in nos eruditus iste Criticus intentat. Primum attinet ad Patres in universum, aliud complectitur rationes singulares, quibus permotus est, ut rejiceret Sanctos Doctores, qui in ejus sententiam suffragium tulerunt. Primo itaque ait, quæstionem de Paschate ab Astronomicis & Cronologicis disciplinis pendere; neque posse quem sine illarum ope certo scire, quo die celebrandum esset Pascha illo, quo Christus vitam explevit, anno. Non apparet, inquit, Patres, qui Christum Pascha Legis peregisse rentur, Astronomicam facultatem consuluisse: Chronologia, ad artem, ut nunc traditur, redacta, scientia est hoc sæculo orta: Nemo inficias iverit, in rem hanc utiles esse Libros Judæorum; cum tamen Hebraicæ Linguæ intelligentia antehac paucorum esset. Nunquid rejiciemus tot egregios Libros, ad Sacras Litteras illustrandas hac ætate conscriptos, quod videlicet, quædam in eis sint, quæ Patres non dixerunt, vel dissimilia ab his, quæ dixerunt? Secunda ratio Lamianæ appellationis. Patres carnerunt cognitionibus ad hanc dirimendam controversiam necessariis. *In Resp. ad Epist. Tillem. pag. 120.*

Tract. de Pasch. a. p. c. 5. pag. 339 Nemo unus, inquit alibi, ad hanc diem dubitat, Linguarum peritiam ad Scripturas penitus enucleandas neceſſitatem habere. Quod quidem non erat primorum Sæculorum ſtudium ..... Item non comperimus, Veteres calluiſſe ſatis mores Judæorum, & rationem eum loquendi, tum etiam agendi; atque hærent multis in locis, quæ expeditiſſima ſunt iis, qui rem a fonte ipſo altius haurire poſſunt.

Rationes ſingulares non audiendi Patres.

Altero loco Lamius affert argumenta ſingillatim, quibus ad non audiendos Eccleſiæ Patres compulſus eſt. „ Origenes, inquit, de re ſcribit „ obiter & ſine rationibus, nec videtur multum in iis poſſuiſſe ſtudii, „ quæ ad Paſcha ſpectant. „ S. Epiphanius, ſequitur, plane ſingularem „ de Paſchate opinionem habet, opinionem, inquam, falſam, quæ defendi „ non poteſt, adeoque non tenemur, Sancto Epiphanio adhærere, tanquam „ regulæ eorum, quæ ſuper hac quæſtione nobis credenda ſunt. „ S. Hieronymus ponit, Jeſum Chriſtum comediſſe Agnum Paſchalem; neque id caput alicujus diſputationis inſtituit, ſed obiter, & verbo, ut „ ita dicam, uno tranſgreditur. „

Tract. de Pasch. a. p. c. 6. p. 351. *Ibid. 354.* *Ibid. 353.* *Ibid. p. 355.*

„ S. Ambroſius, quæ habet de Paſcha legali, deque Jeſu Chriſto illud „ eum diſcipulis manducante die Jovis, pro certo ponit, nullis adhibitis „ probationibus. „ S. Auguſtinus eodem modo ſe gerit, neque ex ullo Operum ejus videre eſt, eum rei huic operam dediſſe. „ Quæ eum dixit, his vocibus effert objectum ſuum. „ Ea, quæ Pater aliquis litteris „ commendavit de re, in quam ſe penitus non inſinuaverat, haud ſunt „ eorum regula & norma, quibus fidem adhibere debeamus. „

Ibid. c. 5. pag. 297. & c. 2. pag. 307.

Concilii Tridentini locus rem non ſolvit.

Quod attinet ad Concilium Tridentinum audi ipſius verba: „ Nemo „ eſt qui ambigat, Canones tantum hujus Synodi, in quibus hæreſes „ anathemate percelluntur, fidem noſtram neceſſario flagitare. Porro locus hic in Canonibus non continetur ..... Quanquam etiam con„ fiterer, Doctores, qui huic Concilio interfuerunt, ab opinione mea diſ„ ſenſiſſe, quod nullo negotio credo, quid tandem iſthuc rei eſſet? Cum „ loquerentur illi de re, in qua non erat propoſitum ipſis veritatem ſcrutari, pro certo id poſuerunt, quod nemini controverſum erat, quod„ que paſſim apud omnes obtinuerat. Non eſt autem cur illos redar„ guamus. Sed etiam id ſequitur, eum res hæc ſit minime ab illis exa„ minata, atque obiter tantum memorata, nihil inde colligi poſſe; niſi „ communem temporum illorum opinionem tuliſſe, quod Chriſtus Do„ minus, legitimo Paſchate celebrato, Euchariſtiam inſtituerit. „

Ibid. pag. 308.

Brevitatem mendis non carere.

Preces vero, ab Eccleſiaſtico Officio depromtas, vult Lamius, Hiſtoricis & Grammaticis erroribus non carere. Sed neque per ipſum dicere poſſumus, nihil illas complecti, quod veritati Hiſtoricæ, Chronologicæ, Geographicæ, & Phyſicæ adverſetur. Quare pietatis, ſubdit, parum perſpicacitatis

Digitized by Google

picacis eſſet, adverſus meam ſententiam urgere, quod canitur in Officio de Sanctiſſimo Sacramento. Hymnus nanque is oſtendit ſolum, S. Thomam, cui tribuitur, ab opinione mea non fuiſſe. Quæ cum ita ſint, non videmur poſſe docto Critico huic adimere libertatem, ab omnibus teſtimoniis iſtis appellandi. *Ibid pag. 310.*

§. IV.

Secunda ratio Lamii non videtur ſatis recta.

HÆC Patris Lamii ſenſa non referuntur modo ad explicationem, a Patribus adhibitam Verbis Sacrarum Scripturarum, quæ quæſtionem de Paſchate attingunt; ſed ad quæcumque alia Textus Sacri loca interpretati ſunt. Ac prudens Lector ſatis videt, quas poſſimus ex adductis pronunciatis conſecutiones elicere. Interea æqui bonique faciet, me hic dubitationes proponere ſuper hac re emergentes, quin velim quidpiam ſtatuere, vel ulli notam appingere.

Principium Lamii duo conſequuntur.

Mihi videor videre, ſi illarum rerum peritia, de quibus loquitur Lamius, *ad Scripturas penitus enucleandas neceſſitatem habet*, duo hinc ſequi. Primum eſt, Patres, ut ferunt ipſa ejus verba, quippe his omnibus rebus non ſatis imbutos, haud potuiſſe *Scripturas penitus enucleare*. Ac ſi *penitus enucleare* ſignificet, eos omnia Scripturarum ſenſa non aperuiſſe, ſed multa reliquiſſe enodanda Viris Eruditis, qui temporibus inſequentibus Textui ſacro elucidando incumberent, eaque ſubſidio Linguarum, Aſtronomiæ, Chronologiæ, aliarumque cognitionum explicarent, convenit per me quoque, hac interpretatione Patres *Scripturas Sanctas penitus non enucleaſſe*. Quod ſi verba hæc *penitus Scripturas enucleare* moneant, non potuiſſe Sanctos Doctores ſine cognitionibus, de quibus modo, myſteria in Sacris Litteris contenta penitus perſpicere, ſolide explicare, & germanam interpretationem ipſis apponere, (quem ſane ſenſum edere videntur verba Lamiana, cum dicit, *Patres hærere multis in locis, quæ expeditiſſima ſunt iis, qui rem a fonte altius haurire poſſunt*) tum ſecunda hæc explicatio magnis incommodis obnoxia eſt.

Patres non explicarunt omnes Verbi divini difficultates.

Deinde ſi cognitiones iſtæ *ad Scripturas penitus enucleandas neceſſitatem habent*, vix invenies interpretationem Textus Sacri, quam dederit unus, vel duo, vel Patres multi, & tamen a Critico, utente Lamianis enunciationibus, controverti nequeant. Id nanque unum ſatis erit cauſſari, Patrem, vel Patres illos caruiſſe cognitionibus *ad enucleandus penitus Scripturas neceſſariis, eoſque hærere multis in locis, quæ expeditiſſima ſunt iis, qui rem a fonte ipſo altius haurire poſſunt*. Criticus, inquam, iſte

Nulla interpretatio erit, quæ in controverſiam vocari non poſſit.

co-

eodem, ac Lamius, jure gaudebit, appellandi ab interpretationibus iſtorum Patrum eo obtentu, quod locus ille penitus enucleatus non ſit, ſed ulterius eſſe poſſit ſubſidio Linguarum, aliarumque, de quibus hactenus, cognitionum, quas non acceperunt Patres, vel illis animum non attenderunt.

Confecutio periculoſa.

Nolo autem dicere, qua non miſceret Eccleſiam perturbatione conſecutio hæc. Quonam pacto certum aliquid ſtatuere poſſemus de locis Scripturarum, quæ nequeunt intelligi ſine interprete? Quorſum evaderent pleraque argumenta, quæ e Sanctis Litteris, ad propugnandam Religionem, Hæreſeſque refellendas Patres depromunt? Liceret ne inclamare, præſumendum eſſe, Patres, ut pote non eruditos quibuſdam cognitionibus *ad Scripturas penitus enucleandas neceſſariis*, non ſatis introſpexiſſe in hæc illarum loca, præſertim ſi difficilia ſint; *quandoquidem hærent in locis aliis, quæ ſunt expeditiſſima iis, qui rem a fonte ipſo altius haurire poſſunt*? Quamobrem effici fortaſſe ex poſtremis hiſce verbis poſſet, perfectam explicationem Divinorum Librorum ſervatam eſſe Criticis recentioribus, callentibus Linguas eruditas, in Aſtronomia & Chronologia verſatis, nec non moribus Judæorum excellenter imbutis.

Principium hoc accommodari ad loca ipſa, Fidem attingentia.

Supervacaneum autem eſſet contendere, cognitiones, de quibus ſermo eſt, ſolum habere neceſſitatem *ad Scripturas penitus enucleandas*, eum illas interpretantur duo vel multi Sancti Patres, præſertim ubi res a Fidei negotio aliena eſt: videntur nanque pronunciata Lamiana vim eandem habere in loca Scripturarum, quæ unanimis Patrum conſenſus expoſuit, & ad Fidei capita ſpectant.

Horum exemplum.

Fac ſane, Patres idem ſentire de ſenſu cujuſdam loci, qui ad Religionem pertineat, v. gr. Prophetiæ Jacobeæ, qua Meſſiæ adventum prænunciavit. Criticus aliquis, ut ſeſe expediat ab interpretatione hujus loci, unanimi Patrum conſenſione firmati, poterit ſe recipere ad principia Lamiana, & reſpondere: Peritiam Linguæ Hebraicæ, morum Judaicorum, Aſtronomiæ & Chronologiæ, neceſſitatem habere *ad Scripturas penitus enucleandas*; proindeque, cum Patres iis omnibus parum eſſent inſtituti, non potuiſſe penitus enucleare Prophetiam iſtam, quæ Chronologicam notitiam, aliaſque nunc memoratas, neceſſario requirit.

Si vero ad coarguendum iſtum Chriſtianæ ſimplicitatis, anxiæque Religionis contemtorem, reponeret quis: Cum Sancti Patres in eandem ſententiam de loci hujus interpretatione deſcenderint, id argumento eſſe, hanc ab Apoſtolis profectam eſſe, qui de manu in manum aliis tradiderunt, & ad nos uſque Sancti Patres, a Majoribus acceptam, propagarunt.

Tum, ut reſponſum hoc Criticum illum coercerent, horrentem de Hebrai-

braicis Litteris, de Aſtronomia, & Chronologia; eum tamen maneret perfugium aliud, ſi diceret: Patres rem hanc ad trutinam non revocarunt. Ubi nam reperis, eos Tractationem aliquam de hoc argumento ſcripſiſſe, in qua digeſtum ſit in Libros & Capita, & complectatur enodationem omnium difficultatum, quæ Prophetiam iſtam attingunt? Aſſer Concilium aliquod, in quo agitata fuerit, & Hæretici negantem, Doctores vero Eccleſiæ ajentem partem ſuſtinuerint? Quiſnam illorum Sermones de illa habuit, vel Epiſtolas dedit? Nihil minus. Qui mentionem fecerunt, obiter tantum, & interjecto quodam verbo fecerunt, pro certo habentes ſine majori inquiſitione, Prophetiam hanc intelligi de Jeſu Chriſto, atque in ejus Nativitate fuiſſe completam.

Si conſequentiæ iſtæ legitimæ non ſunt, ſi e Lamianis principiis haud ſponte fluentes, vel ab ejus mente longe admodum abludentes, de quo nullo modo dubitare poſſum, eas jam nunc revoco. Nihilominus perſuaſum mihi eſt, eum ſatis ingenuum eſſe, ut diffiteatur, ad peſſimos uſus traduci poſſe pronunciata hæc, quæ referuntur æquo modo, ut mihi videor, ad Scripturarum loca de Fide agentia, atque ad Criticas tantum diſputationes; tum ad unanimem Patrum conſenſionem, tum etiam ad unius vel alterius autoritatem.

E reſponſionibus Lamii ad Patrum loca duo ſequuntur.

Ego vero neſcio, utrum nec ne alicujus ingenii homines deprehendent, reſponſiones Critici hujus eruditi teſtimoniis Patrum de veneratione nonnihil detrahere, Sanctis iſtis Doctoribus debita, quos naſci voluit Deus, ut Eccleſiam ſuam illuſtrarent. Quo in loco non expendo, num hoc pacto decernere poſſimus; neque id inveſtigare propoſitum mihi eſt. Sed non dubito, quin inter omnes conveniat de duobus. Primo, ſi liceat confugere ad hæc loca communia, ut Patrum autoritatem extenuemus, atque ab ea, ubi urgeat, nos liberemus, nullius momenti futurum, ipſorum teſtimonium afferre ad facta hiſtorica conſtituenda: Tum enim ſatis erit reſpondere: *Autores Eccleſiaſticos hæc ponere, non probare; de iis loqui obiter, & ſine probationibus; & quæſtionem illam ad judicium non revocaſſe.*

1. Extenuant autoritatem Patrum.

Secundo, id reſponſionum genus non eſſe conſentaneum magnæ illi Criticæ præceptioni, atque omnibus Viris Litteratis paſſim probatæ, immo non ſemel Lamio ipſi acceptæ, nimirum: Cum Factum aliquod hiſtoricum idonea autoritate munitum, præſertim autem univerſe teſtatum eſt, eujuſmodi apparet hoc de Veteri Paſchate, non eſſe fas, eventum iſtud rejicere, aut de illo digladiari; nifi ſi argumenta ſuppetant, quæ perſuaſionem inducant, & genus quoddam Demonſtrationis efficiant.

2. Accuratæ Critices regulis non reſpondent.

Reſponſum autem Critici noſtri ad locum Concilii Tridentini ſub ſtilum impoſterum veniet, & modeſtiam ejus moderationemque deinceps admi-

Abjiciendum non eſt quidquid in Breviario continetur, propter aliqua menda, quibus afficitur.

admirabimur. Interea nos hic iterum monemus, quod alias ſæpius conſtet, cenſimus ultro, nunquam intendiſſe Eccleſiam, ſe falli non poſſe in iis omnibus, quæ in Breviario recitata ſunt, aliiſque item Libris, quos Fidelibus præbet, ut eorum pietatem alat: non eſſe mentem ſuam, illos a quovis Hiſtorico, Chronologico, & Grammatico vitio immunes affirmate recipere; ſed tantum illos habere, tanquam affectos maxima probabilitate, quod ſatis eſt in rem ſuam, abſque eo quod nos cogat, ut illis Dogmatum inſtar eredamus. Integrum ne igitur erit, infirmare autoritatem, quam dedit Eccleſia factis hiſtoricis hujuſmodi vel aperta approbatione, vel tacita aſſenſione, propterea quod in illa irrepſerit, Eccleſia inſciente atque invita, error aliquis Chronologicus?

Tract. de Paſch. p. p. c. 1. pag. 14. item pag. 298.

Si conſecutionem iſtam Lamio concedamus, quid fiet de opinione ſua ſuper Veteri Paſchate, quæ innititur partim Rabbinorum & Thalmudicorum Scriptorum teſtimoniis, e quibus jactat ſe momenta non exigua comparare? Nonne tamen ingenue profitetur, eos fabulis, rebuſque falſis & inutilibus conſtare totos? E contra vero ex aliquo, falſo credito, Breviarii Romani vitio, licet Breviarium iſtud quicunque germanas Litteras profitentur, non modica veneratione ſuſpiciant, ex aliquo, inquam, hujus vitio, autoritatem illius in reliquis omnibus extenuabit?

§. V.

Fieri non poteſt, ut dies poſtremi Paſchatis ſtatuatur ex principiis cognitionum illarum, quas poſtulat Lamius; & quare.

SI rerum iſtarum ſcientia neceſſaria omnino eſt, ut abſque errore legitimi Paſchatis diem teneamus; unde factum erit, tot eruditos homines, iiſque rebus apprime inſtructos, multis etiam ætate noſtra editis voluminibus, quibus expenderent quæſtionem iſtam, parum adeo illam enodaſſe, ut potius ingenia magis hac de re nunc diſcrepent inter ſe, quam antea diſcreparent?

In Reſp. ad Epiſtolam Tilem. pag. 129.

„ Opinionem communem evidentem non eſſe, Inquit Lamius, de„ monſtrant innumeræ pene opiniones, invicem diſſidentes, ſeque mutuo „ deſtruentes, quæ invectæ ſunt in rem hanc ex eo tempore, quo con„ troverſia hæc diligentius agi cæpta eſt, ac primis ſæculis fieret.„ Porro non negabit eruditus Criticus iſte, communis opinionis propugnatores earum, quas requirit, ſcientiarum noritiam adhibuiſſe, ut quæſtionem hanc explicarent. Si autem illam minime enuclearunt, vel manifeſto conſtare non fecerunt, indicat id profecto, ſcientias iſtas ad penitus

nitus enucleandas Scripturas neceſſitatem non habere. Quod ſi jactet Lamius, ſe perquam utiliter cognitionibus iſtis uſum fuiſſe; adverſarii tamen ſui tuentur, opinionem ejus nondum eſſe hactenus enodatam vel evidentem, ut illam maxime dubiam haud exiſtiment.

Quid ut, quæſtionem aliquam enucleare.

Ceterum quid rei eſt, aliquem Scripturarum locum penitus enucleare. Nihil aliud, opinor, quam in illum introſpicere, tollere difficultates atque ambiguitates omnes, illas diſſolvere, vela omnia ſubducere, quibus genuinus ſenſus obtegi poſſet, illuſtrare tandem, & palam oſtendere. Sapientes vero utriuſque ſententiæ, poſtquam, ut ipſorum Scripta teſtantur, nullam præterierunt cognitionem, quam ipſis præberent Aſtronomicæ & Chronologicæ diſciplinæ, Linguæ eruditæ, Mores Hebræorum, aliaque adjumenta, quæ ex accuratiſſimæ Critices præceptis deduci poſſunt, poſt, inquam, hunc eruditionis veluti cumulum, penitus ne quæſtionem de Paſchate enuclearunt? Quod ſi id minime præſtiterunt, ſique implicatior eſt, ac antea fuerit; fateantur oportet, litem hanc dijudicari nos poſſe, niſi apud tribunal Traditionis Patrum, unanimiſque Eccleſiæ conſenſionis.

Non licet in partes diſtrahi de quæſtione enucleata.

Ac ſi volunt, eam modo enucleatam penitus eſſe, quare de illa non convenit inter ipſos? Mirum non eſt, diſcrepare Scriptores de hiſtoria aliqua nondum expenſa, nec ſublata ambiguitate; ſed poſtquam illam funditus enodarunt accurato principiorum omnium illorum uſu, quæ ad illam illuſtrandam facere poſſunt, nefas eſt adhuc hærere, & de facto illo multa variare. Quis auderet hodierna die verſari in ancipiti de hiſtoria falſi Cyriaci Papæ & Martyris, qui abdicavit ſe, ut ajunt, a Pontificatu, ut S. Urſulam & ſocias ſequeretur: utrum nec ne fabuloſa narratio eſſet? Eventum nanque iſtud, licet ab Autoribus bene multis recitatum, cum tamen ad Critices regulas exigeretur, cumulate evolutum fuit. Qui igitur fieri poterit, ut verus Eruditus, rationis ſuæ compos, audeat de facto penitus enucleato diſceptare? Atqui eum illud de Paſchate, ut placet ſapientibus Viris noſtris, hujuſmodi ſit; unde fit eos nihil minus, quam antea, de illo digladiari? Num id vitio vertendum eſt enunciationibus traditis, ut expendatur argumentum hoc, vel enunciationum earundem uſui? Utrum libebit magis, judicet Lector, modo illud conſtans ſit, ſectatores opinionis communis affirmare, poſtquam quæſtio de Paſchate enucleata ab ipſis penitus fuit, ſecundum Lamianas cognitiones, evidens eſſe, Chriſtum Dominum in pervigilio Mortis Agnum Paſchalem comediſſe: atque opinionis contrariæ propugnatores tueri, ſe adhibitis iiſdem regulis, ita rem hanc enodaſſe, ut nemini impoſterum liceat dubitare, Jeſum Chriſtum eadem ora mortem obiiſſe, qua Paſcha legale celebrandum erat.

Quo autem planum fiat, non poſſe quæſtionem de Paſchate penitus explanari cognitionum iſtarum ope, quæ tantopere jactantur, meminiſſe oportet, Aſtrologiam & Chronologiam ſumi poſſe vel in ſemetipſis, vel quoad res illas, propter quas adhibentur. Non inficior, diſciplinas iſtas utiliſſimas eſſe, earumque principia certa; atque a ratione alienus eſſet, qui ea contemneret, & minus ſolida fundamenta putaret, unde deduci poſſent Concluſiones, quas appellant demonſtrativas.

Cognitiones iſtæ bifariam ſumi poſſunt.

Quamvis igitur per ſeſe Aſtronomica & Chronologica principia inconcuſſa ſint, id tamen ſemper ratum habent, ut res, cui accommodantur, certa ſit & conſtans; licet etenim ſecundum diſciplinarum iſtarum præcepta colligatur ſemper, rem aliter ſe habere non poſſe; nihilo ſecius ſi poſitio falſa ſit, ruinoſa quoque erit ſuperſtructa argumentatio. Id autem cum argumento noſtro conferamus.

Ut ex principiis Aſtronomiæ & Chronologiæ effici certo poſſit, quartamdecimam Lunæ Niſan anno mortis Jeſu Chriſti incidiſſe in diem Veneris, huncque fuiſſe diem Paſchatis celebrandi, oportet tenere annum, quo Chriſtus in Crucem actus fuit: hic autem incertiſſimus eſt. Regulæ itaque Aſtronomicæ & Chronologicæ id ſtatuere nequeunt; niſi antea poſuerint, ſi Salvator mortem oppetiit eo anno, Paſcha occurrere non potuiſſe, niſi menſe tali, quartadecima Lunæ, & tali die.

Opinionem multæ de anno mortis Jeſu Chriſti.

Quoniam vero Eruditi longe admodum diſcrepant de anno mortis Chriſti, & alii alio hanc contigiſſe ferunt, ſinguli pariter ex Aſtronomiæ & Chronologiæ legibus liquido concludunt, Paſcha illud contigiſſe Menſe, diebus Menſis, atque Hebdomadæ longe diverſis. Ut autem evidentem horum omnium rationem afferamus, animadvertendum eſt, poſtremorum temporum Chronologiſtas, poſtquam diligenter rem hanc exeuſſerunt, convenire inter ſe, annos omnes, intra quos mors Chriſti collocari poteſt, ad octo redigi, qui, veluti finibus, clauduntur annis totis 29. & 36. Æræ vulgaris. Ex. gr. ii qui anno 31. Domini noſtri interitum aſſignant, deprehendunt Tabulis Aſtronomicis, Menſem Niſan incæpiſſe eo anno die undecima menſis Aprilis, & decimamquartam fuiſſe ejuſdem menſis 26. qui dies Martis erat. Secundum illorum ſupputationem, qui Jeſum Chriſtum dediſſe ſpiritum exiſtimant anno æræ noſtræ 32. Novilunium accidit die 29. menſis Martii, & quartadecima fuit decima tertia vel decimaquarta menſis Aprilis, die Dominico, vel Feria ſecunda. Alii, qui aliis annis ſtatuunt mortem Chriſti, nihilo magis invicem conſentiunt. Interea omnes liquido conficiunt ex Aſtronomicis & Chronologicis principiis, Paſcha celebratum fuiſſe menſibus & diebus diverſis. Quæ porro varietas non eſt petenda a legibus diſciplinarum

Omnes ex iiſdem regulis diſſimiliter concludunt.

iſta-

ſtarum, ſed ab Epochis diſſimilibus, quas ſectari cuique libitum fuit. Quamobrem quantumvis falli nequeant Aſtronomica & Chronologica principia, non poſſumus tamen per ea conſtituere, an Luna quartadecima menſis primi ſneurrerit anno mortis Chriſti in diem Jovis vel Veneris; niſi certo conſtet de hoc anno mortis ejus, de quo tamen vis humani ingenii nunquam conſtare faciet.

Quandoquidem Jeſu Chriſti mors, inquit Lamius, contigit in annorum illorum aliquo, qui a 29. ad 36. fluxerunt; ſique hic non fuit 29. 30. 31. 32. neque 34. 35. 36. ut ſe oſtendiſſe putat, oportet, ſalutarem hanc mortem accidiſſe anno 33. in quo profecto plerique celeberrimi Chronologi eam ponunt. Non repugno, multos apponere huic anno Chriſtum morientem; at quot nihil minus periti Chronologi id non concedunt? adeoque ex eorum rationibus advenit Paſcha die, menſe, atque hebdomada alia prorſus ab ea, in qua ſibi viſus eſt Lamius collocandum eſſe. *Tract. de Paſch. 1. p. c. 5. paſ. 106.*

Verum demus ultro, Jeſum Chriſtum diem extremum obiiſſe anno 33. qui arridet Lamio; non tamen infieias ire poterit, omnes fere, qui eodem anno 33. Salvatoris mortem ponunt, propugnare, Lunam quartadecimam Menſis Niſan adveniſſe die Jovis, & propterea Chriſtum Legis Paſcha comediſſe? Unde autem diſcrimen hoc? Non quidem a Tabulis Aſtronomicis, quæ certiſſimæ ſunt. Ab iis igitur, qui utuntur illis, quorum alii contendunt, dies Lunæ ſubducendos eſſe ab ejus conjunctione cum Sole, alii vero a Phaſi. Quare ſumma hæc Tabularum Aſtronomicarum accuratio ſatis non erit, ut noverimus reipſa, in quem diem inciderit quartadecima Luna Menſis Niſan; cum ſatis eſſe non poſſit, ut calleamus diem mortis hujus pretioſæ: niſi ſecundum varias Sapientum poſitiones. Qui mortem Jeſu Chriſti ſtatuunt anno 33 diſcrepant de die.

Quæ cum ita ſint, quid fiet de egregia hac demonſtratione, quam affert Lamius his verbis. „ Si Dominus noſter morti traditus eſt anno „ Æræ vulgaris 33. ut communior fert opinio; ſique numerandi ſunt „ dies Menſium Hebraicorum a Lunæ Phaſi, Demonſtratione tum Ma„ thematica effieitur, immolari eo anno ſecundum Legem Paſcha non „ potuiſſe, niſi die Veneris poſt meridiem: niſi velis Aſtronomicæ prin„ eipia penitus incerta eſſe, vel Fabrum, qui rationem hanc, qua utor, „ inivit, peritum Aſtronomum non fuiſſe. „ At vero hujuſcemodi Demonſtrationes confici nullo negotio poſſunt. Ceterum petimus a Lamio, nonne iſta non ſecus eſſet accurata, quam quæ tradita ab ipſo fuit, atque ab aliis tradi poteſt, qui eum eo de Mortis Jeſu Chriſti anno conveniunt. Demonſtratio Lamii.

Si Jeſus Chriſtus ſublatus in Crucem fuit 33. Æræ vulgaris anno, at-

que opus ſit, Menſis Hebraici dies ſupputare a Conjunctione Lunæ cum Sole, *demonſtratione tum Mathematica efficitur; immolari eo anno ſecundum Legem Paſcha non potuiſſe, niſi die Jovis poſt meridiem: niſi velis Aſtronomica principia penitus incerta eſſe, vel Fabrum, qui rationem hanc, qua utimur, inivit, peritum Aſtronomum non fuiſſe.* Quodnam item judicium ferret Lamius de hac alia demonſtratione? *Si Dominus noſter Morti traditus eſt anno æræ vulgaris* 34. ut præſtantiſſimorum Aſtronomorum fert opinio; *ſique numerandi ſunt dies Menſium Hebraicorum a Lunæ Phaſi, demonſtratione tum Mathematica efficitur, immolari eo anno ſecundum Legem Paſcha non potuiſſe, niſi die Martis poſt meridiem: niſi velis Aſtronomica principia penitus incerta eſſe, vel Paulum Mildeburgenſem, qui rationem hanc inivit, peritum Aſtronomum non fuiſſe.*

Alia demonſtratio.

Apud Petav. de doctrina Temp. l. 12. c. 9., & in Chron. Bibl. Sacri 1662.

Quæ Demonſtrationes, licet apprime diverſæ, non probant, calculos Aſtronomicos aut Chronologicos falſos eſſe, neque initas a Fabro & Paulo Mildeburgenſi rationes claudicare: ſed oſtendunt manifeſto, diſciplinarum iſtarum auxilio non poſſe quæſtionem de Paſchate enucleari; quod videlicet principia Aſtronomica & Chronologica pendent a Sapientum uſu, & veritas, quam afferunt, ab Epochis, quibus adhærent: eum autem Epochæ ipſæ innitantur opinionibus incertis, mirum non eſt, ab iiſdem principiis, licet per ſeſe certiſſimis, diſſimillimas conſecutiones deduci.

Non poteſt hæc quæſtio diſſolvi calculis Aſtronomicis.

Dicendum pariter erit, vel rationes Aſtronomicas certo rem non conficere, vel Criticos illis accurate non uti; quoniam, pro certo habito, Jeſum Chriſtum vitam pro nobis fudiſſe anno 33. diemque primum Lunæ Menſis Niſam a Phaſi petendum eſſe; nihilominus inde concludit Lamius, Jeſum Chriſtum mortuum fuiſſe die Paſchatis Legalis, antequam ejus celebrandæ tempus adveniſſet; e contra vero tum Alexander, tum alii, iiſdem principiis fulti, tuentur, Servatorem noſtrum die Jovis ante mortem ſuam Paſcha celebraſſe.

Alex. Hiſt. ſac. 2. Diſſ. 2. quæſt. 3.

Neceſſe eſt rem deducere ad Traditionem.

Hinc facile concludas, rem eſſe deducendam ad Traditionem & conſenſum Eccleſiæ, ut certo affirmare poſſimus, utrum nec ne Jeſus Chriſtus in pervigilio mortis Paſcha celebraverit. Cum etenim quæſtio hæc Factum hiſtoricum præſeferat, quod primi Patres de manu in manus traditum, ab Apoſtolis rei teſtibus oculatis acceperant; hi loca Evangeliſtarum ad Traditionis hujus normam interpretati ſunt; niſi interpretationem ipſam ab eodem Sacro Textu depromſiſſe dicamus.

§. VI.

§. VI.

TERTIA RATIO appellationis Lamianæ.

Quæstio de Paschate non potest vi autoritatis dijudicari.

HÆC tertia ratio, quare Patres non audiat, æquissima est secundum principia Lamii. Si nanque Ecclesiæ Patres quæstionem hanc ad judicium non revocarunt, vel id obiter tantum præstiterunt; si cognitionibus illis ornati non sunt, quæ ad Scripturas penitus enucleandas necessitatem habent; denique si Critica in arte non excelluerunt, ut revera, inquiunt, capitibus multis non excelluisse constat: æquum non est, ad ipsorum testimonium confugere; præsertim cum non sit hic sermo de rebus Fidei, quæ autoritate Traditionis dissolvi debeant. Tertia ratio appellationis Lamianæ, *Tract. de Pasch. a p. c. 4. p. 336. Ibid. a. 1. p. 298.*

RESPONSUM.

HAbes hic duo, quæ admirationem eandem pariunt. Primum est, asserere, quod Lamius facit, quæstionem de Paschate ad forum Criticum pertinere, ejusque principiis expendendam esse. Secundum, eodem tempore reclamare, ne autoritatis vi decidatur. Nunquid non autoritas, & testimonium Veterum primum est Critices fundamentum? Conjectura vero, quæ secundo ioco venit, quidnam momenti habet, si autoritatis præsidio destituatur? Fateatur itaque oportet eruditus hic Pater, figmentum esse Criticen: quid nanque aliud esse dixeris eam, cujus principia omnia subvertuntur? vel agnoscat, Veterum autoritatem necessariam esse, non solum ut quæstionem de Paschate, sed quamlibet aliam ad tribunal Criticum revocatam, definiamus. Non est itaque præclara ars ista, quæ difficultates solvat, & factum historicum magis vel minus simile vero astruat; sed unum Antiquorum testimonium, qui perhibent de illo. Critice perpendit facta, & de illis regularum suarum decretis pronunciat; iocorum Scriptorum delectum habet, eorumque merita ponderat; sed pondus Autoritatis eminet in decisione quarumcumque quæstionum, quæ sensuum testimonio definiri nequeunt: nisi testium suffragia aliqua ex parte vacillent. Critice ab autoritate pendet. Quid agat Critice.

Quare Lamius, contendens viribus omnibus se subducere ab Autoritate Patrum de Veteris Paschatis quæstione, ut hanc Critico judicio omnino subjiciat, principium ipse suum ab imo convellit: vel opus est, eum

um profiteri, velit nolit, ſe non poſſe ab Autoritatis tribunali, quæ legitimus ejus judex eſt, appellare.

Privatis Scriptoribus concedit, quæ Patribus omnibus negat.

Quod vero inſolens magis eſt, Autor hic negat, autoritatem præſtantiſſimorum Eccleſiæ Patrum, fultam ſuffragio tot illuſtrium cujuſque ævi Scriptorum, tanta colendam eſſe veneratione, ut dirimat quæſtionem iſtam: interim dum idem ipſe nihil pene affert, quod Veterum teſtimonio non muniat. Autoritas plerorumque Autorum Eccleſiaſticorum, Interpretum, & Theologorum, qui quaque ætate vixerunt, tanti per eum non eſt, ut facto huic hiſtorico veritatis afferat ſpeciem; & tamen ipſe poſtulabit, ut recipiamus, tanquam firmiter conſtituta, innumera rerum capita, in quibus fundat opinionem ſuam, modo pro illis unum vel alterum Scriptorem ſpondere faciat?

Tract. de Paſch. 1. p. c. 3 p. 32.
Ibid. pag. 38.
Ibid. pag. 59.
Ibid. p. 61.

Statuenda ne eſt hora, qua immolandum Paſcha eſſet? Talmud de ea pronunciabit. Negotium eſt de neceſſitate peragendi Paſchatis die proprio? Ad Miſchna ſe recipit, quo id cognoſcat. Incidit ne in quæſtionem, ut probet, celebrari non potuiſſe Hieroſolymis Paſcha duobus diebus? Nos revocat ad Calendarium, quod hodierna die in uſu eſt apud Judæos, & neſas ducit ipſi non adhibere fidem, quoniam ita pariter exiſtimat Abbas Bartoloccius. Hic ſtandum eſt teſtimonio Philonis aut Joſephi, illic dictis Maimonidis, aut Rabbini alicujus recentioris. Quoties idem Lamius, ut principia ſua tueatur, colligit verbuſculum aliquod, obiter exciſum alicui ex his Doctoribus ſanctis, quorum verba de poſtremo Paſchate non attendit? Vix ullam affert locorum S. Joannis, vel aliorum Evangeliſtarum explicationem, quin præſto illi ſit, ut illam roboret, locus alicujus ex illis Sanctis Patribus, qui eum ipſi objiciuntur, rem hanc ad judicium non revocarunt.

Lamius hic negligit Autores, quos alibi citavit.

Oculos tantum conjiciat in illius Tractatum de poſtremo Paſchate, qui quaque pagina hujus rei exempla reperire amat. Quod ſi ulterius conſulere velit Diſſertationes ab ipſo conſcriptas, ut iis reſponderet, qui opinionem ejus aggreſſi ſunt; videbit plane, nec ſine admiratione, Philonem hunc, Joſephum, Rabbinum, Autorem, Patrem, alioſque, quos fidenter prorſus & animoſe laudaverat, ut vim afferret principiis ſuis; tum non mereri fidem, falli, pugnantia dicere, quæſtionem non expendiſſe, vel perperam intellexiſſe.

Ad hæc igitur inducet ipſe in animum, ut nos admittere cogat tot facta, quæ in Operibus de poſtremo Paſchate, tanquam rata & certa producit, penitus enucleata, & de quibus ancipites eſſe non liceat; modo ipſis ſuffragetur unus vel alter Scriptor: interim dum conſtanter ipſe negat acquieſcere autoritati tot Patrum & Sapientum, atque ab illorum judicio appellat pro ſumma rei dirimenda; quamvis non contemnat verba

ba eorum, qui ſibi ſavere poſsunt, ut Facti præcipui adjuncta aliqua fulciat.

ARTICULUS VI.

Fundamenta Opinionis Lamianæ.

CUM Evangelii Textus, ut ſuperius vidimus, quæſtionem de Paſchate poſtremo nequeat diſſolvere; nolit autem Lamius Traditionis & Patrum judicio parere, illud reliquum eſt, ut expendamus, utrum via illa & ratio, quam ſecutus eſt, perfecte adeo ſententiam ſuam enucleet, ut integrum non ſit ambigere, an Jeſus Chriſtus extremum Paſcha comederit? In rem hanc jecit principia multa, ipſumque Veterum & Recentiorum teſtimonium non omiſit, quo nobis perſuaderet, opinionem ſuam Antiquitati fuiſſe perſpectam.

§. I.

Via & ratio Lamii, qua quæſtionem de poſtremo Paſchate dirimit.

EXiſtimat primo, ejus rei fidem eſse penes Evangelium, quandoquidem controverſia eſt de ſenſu verborum Evangelii. „ Porro, „ inquit, ut dignoſcamus germanum ejus ſenſum, abjicienda præjudicia „ ſunt; & ſaltem tantisper ita oportet afficere ſe, perinde ac nulla pe„ culiari ſententia moveremur, nullumque negotium nos traduceret ad „ propugnandum vel oppugnandum Factum illud, quod penſitamus. O„ pus eſt etiam rem, de qua agitur, funditus percipere; neque enim „ reperies, quod quæris, niſi prius noveris probe, quod quæris. „ Quæ monita æquiſſima ſane ſunt, ut illorum ductu Factum aliquod perpendamus. Ex his autem hanc elicit conſecutionem. „ Exquiſitum itaque judi„ cium monet, ut inveniamus apud Evangeliſtas, utrum nec ne Paſcha „ Legis celebraverit Chriſtus Dominus, intelligendum prius eſſe, quid „ ſit hoc Paſcha, & quo tempore, quove loco celebrandum eſſet? Opor„ tet, inquam, diligenter attendere, an Jeſus Chriſtus id fecerit, quod „ Lege præceptum erat in die Paſchatis, nimirum, an cum Paſcha pe„ regit, ut paſſim opinantur, Lex præciperet revera eam fieri; ſi nan„ que tempus nondum advenerat, evidens eſt, eum, licet Legi obtem„ perantem, non debuiſſe illam celebrare. „

Tract. de Paſch. c. 1 p. 5

Ratio dignoſcendi germanum Scripturarum ſenſum.

Via

Via plane & ratio egregia, ut nihil ſupra: ſique Lamius, ab ea non deflectens, oſtendit nobis, Jeſum Chriſtum non celebraſſe poſtremum Paſcha; fateri merito cogimur, Patres Eccleſiæ, ceteroſque Sapientes, qui ſibi viſi ſunt diverſo longe modo rem videre in Evangelio, deceptos fuiſſe, opinionem autem ſuam veram eſſe. Non tamen ipſe moleſte ferat, nos ab eo momenta poſtulare, inſtar lucis meridianæ perſpicua. Neque etenim æquum eſt deſerere Traditionem ejuſdem cum Eccleſia antiquitatis, ubi non afferat niſi leves conjecturas, vel ſententiam ſuam dubiis, atque a pleriſque Eruditis hominibus controverſis monumentis confirmet. Nonne jure & merito petimus, ut antequam deturbemus Fideles de poſſeſſione adeo vetuſta, ipſe ſtatuat novam ſuam monumentis idoneis ad perſuadendum, atque ſecundum accuratiſſimæ Critices præcepta, ab omni dubitatione remotis? Audiamus itaque quænam ſint opinionis ſuæ fundamenta.

Fundamenta opinionis Lamianæ.

Ibid pag. 50.

Ibid pag. 61.

pag. 19. & 49.

pag. 133.

pag. 178.

pag. 254.

pag. 261.

pag. 262.

Statuit initio: 1. Judæos incepiſſe menſes ſuos a Phaſi Lunæ. 2. Jeſu Chriſti ætate non direxiſſe Judeos Feſta ſua Tabulis & Cyclis. 3. Dies memoratos ab Evangeliſtis ſumendos ſemper eſſe pro diebus artificialibus ab occaſu ad occaſum Solis, nunquam pro diebus naturalibus ab ortu ad occaſum. 4. Quamvis Paſcha comedere poſſent extra Templum in circuitu Hieruſalem, non fuiſſe tamen licitum illis Agnum Paſchalem extra Templum immolare, atque opus fuiſſe, ut Sacerdotes ejus ſanguinem funderent circa altare. 5. Rem eſſe extra controverſiam, ætate Chriſti Judæos diligenter ſervaſſe omnia, quæ Maimonides narrat, de ſtudio conficiendi panes Azimos, ut revera eſſent ſine fermento. 6. Totam diem decimam quartam Lunæ fuiſſe primum Azimorum diem. 7. Jeſum Chriſtum non miſiſſe Diſcipulos ſuos, paratum ea, quæ Paſchati conficiendo neceſſaria erant, niſi poſt occaſum Solis; ipſumque diſceſſiſſe Bethania, vel ex alio Urbi proximiore loco intempeſta jam nocte. 8. In die, quo immolabant, debuiſſe quemquam intereſſe Templo, eodemque die reſerare ſolitos fuiſſe januas Templi media nocte, ut qui Agni immolationi non interfuerant, coram Domino adſtare poſſent. 9. Opus fuiſſe neceſſario intra Urbem tranſigere illam Paſchatis noctem, ſub quam mediam Paſcha comedebatur, idque protrahere duntaxat licebat diluculum uſque.

Hæc ſunt, ut opinor, Lamianæ ſententiæ fundamenta, e quibus quamplurimas elicit conſecutiones, ut demum conficiat, Jeſum Chriſtum non celebraſſe poſtremum Paſcha.

Cum autem conſilium meum non tendat horſum, ut expendam, quidquid attulit vir hic eruditus, quo ſuam tueretur de ultimo Paſchate ſententiam; multo vero minus ut ejus veſtigiis inſiſtam, ſi quidem Libri utrinque conſcripti in manibus omnium verſantur, & operoſum eſſet, novum

vum aliquid producere, quodque centies inculcatum non fuerit: Propterea quibusdam animadversionibus rem circumscribam.

Prima sit, Litteratos illos, qui in opinionem novam arma verterunt, omnia, quibus eam fulcit, fundamenta sustuliſſe firmiſſimis argumentis, eosdemque adhibuiſſe fere semper Scriptorum eorum, quibus eam Lamius statuerat, testimonia. Oppoſuerunt itaque Josephum Josepho, Philonem Philoni, Rabbinos Rabbinis; idemque dicito de Talmude, Misna, & moribus Judaicis. Lectoris porro judicium sit, num opinio, eorundem Scriptorum autoritate tum propugnata, tum oppugnata, possit esse firmissima: non secus atque num Lamius locorum Josephi, Philonis, aliorumque Autorum intellectum melius assecutus sit, quam tot alii Sapientes, qui iisdem locis usi sunt ad ejus conjecturas elevandas. Animadversiones in hæc principia.

Altera sit, Veteris sententiæ patronos non præteriisse doctrinam Astronomicam, Chronologicam, Linguas eruditas, & Critices perspicacissimæ præcepta, nec non alia adjumenta huic Facto historico enucleando necessaria. In rei hujus viscera introspexerunt, eam examinarunt, multamque operam posuerunt, ut quæstionis argumentum cognoscerent, altiusque penetrarent: an Christus nec ne postremum Pascha celebraverit; tempus, & locum, quibus celebrandum erat; nihil tandem omiserunt, ut germanam Evangelistarum intelligentiam caperent, & fide summa cuncta servarent, quæ in rem hanc postulat Lamius. De quibus omnibus nulla suboriri poterit dubitatio consulenti Opera, ab Eruditis istis super hac controversia in vulgus emissa.

Tertia animadversio sit. Quantumvis Pater Lamius adversariis suis itérato responderit, principia sua tueri curaverit, ut ab ipsis objecta tolleret, singulà pene illorum vestigia legerit, & fuerit persecutus; non tamen inficiabitur, eos rursus in se insurrexisse, novisque responsis suis respondisse. Majora dicam, ne unus extitit quidem, qui manus convictas dederit, adeoque commotus visus sit, ut a priore sententia deflexerit. Quod si jactant isti, se Lamianæ opinionis fundamenta deturbasse, funditusque evertisse, ipse contra gloriatur, inquisitiones suas, vimque intelligentiæ eruditione sua partam, roborasse sententiam suam adversus omnes illorum conatus, seque firmiter sarsisse ruinas omnes, quibus eam quassare potuerint. Illud certe compertissimum est, eum certaminis hujus litterarii arenam ultimum obtinuisse, an autem ut victus, vel victor, viderint ii, qui utrinque rem librarunt.

Quarto considero, novam opinionem haud ita constitutam esse, neque illius principia illustrata, ut coegerint intercessores ad deditionem. Si nanque Lamius quæstionem hanc perfecte enucleasset, difficultates omnes sustulisset, iisque omnibus, quæ contra feruntur, egregie respondisset, non posset

adverſarii, quin ſententiam commutarent, vel haberentur homines pertinaces, & malæ fidei, corruptæque rationis; quippe his omnibus vitiis infici neceſſe eſt eum, qui veritati penitus enucleatæ atque evidenti parere recuſet.

Poſtremo tandem loco animadvertendum eſt, eum omnia novæ ſententiæ fundamenta generatim ab ejus adverſariis controverſa ſint, itemque rationes iiſdem ſtatuendis adhibitæ, immo ne una conjectura ſit clara & evidens; certo certius fit, probabilitates tantum, & ſimilitudines veri, quamvis ab agmine Litteratorum haud improbatas, non tamen præverti debere alteri ſententiæ, pro qua pugnent unanimis pene Doctorum conſenſio, conſtans Eccleſiæ Traditio, & tot peritorum ætatis noſtræ Criticorum ſuffragium, qui ſummis ponderibus rem hanc examinarunt, quique licet diſſimili plane incedant via in Evangeliſtis concilian-dis, omnes tamen de ſummo difficultatis capite in idem conſpirant, ut cuncta Lamii principia & conjecturas explodant atque expugnent.

Veteres Scriptores, qui Lamianæ opinioni ſubſcripſerunt

Trall. de Paſch. a. p. c. 7. pag. 361

Conqueri de me Lamius merito poſſet, niſi omnia in medium afferrem, quæ novæ opinioni favere poſſunt: Si tamen nova dicenda eſt, quam jactant antiquitati innotuiſſe. Celebres aliqui primorum ſæculorum Patres, ſi Chronici Paſchalis Autori fides eſt, affirmarunt, Jeſum Chriſtum in mortis pervigilio Paſcha non celebraſſe; citat nanque fragmenta S. Apollinaris Hierapolitani, S. Clementis Alexandrini, S. Hippoliti, & S. Petri Alexandrini. Philopponus VII. ſæculi ineuntis Scriptor; duo Autores a Photio producti, quorum opera perierunt; Cedrenus a Caſaubono laudatus, & nonnulli fortaſſe alii non maximi nominis Scriptores ſenti-

Ibid. c. 5. pa. 340.

unt, Jeſum Chriſtum poſtremum Paſcha non comediſſe. Haud quidem dubito, inquit Lamius, quin multi extiterint ſententiæ meæ Viri intelligentes: Satis etenim rei naturæ conſentanea eſt; neminem tamen novi editum Autorem, qui eam in Europa propugnaverit ante Nicolaum Villegagnonum, Antonium de Dominis Archiepiſcopum Spalatenſem, & Hieronymum Vechietum Florentinum.

Quo vero plus ponderis accedat Exceptis illis in Chronico Paſchali relatis, non parcit rei ulli, quæ Operis hujus dignitatem exaggeret. „ Exstant, ait, Typis nitidiſſimis multa non contemnenda Operum iſtorum „ fragmenta, quæ primis Eccleſiæ ſæculis ſuper quæſtione de Paſchate „ confecta fuerunt: Quam *Chronici Paſchalis*, ita nanque revera inſcribi„ tur, Editionem Ducangii ſtudio atque operæ debemus, qui oſtendit, „ Chronici hujus autorem, ut fit ſimile vero, Litteratiſſimum hominem „ fuiſſe. Non deſunt, qui eum flocci faciant, at hujuſmodi ſunt, ut „ Scripta ejus penitus introſpicere neſciant. Ego ſane hic dicam in ante„ ceſſum, illum eo magis fidem mereri in his omnibus, quæ ad Domi„ ni noſtri Paſcha pertinent, quo in diſputationem hanc incubuit,

„ eam

„ eam diligenter expendit, & argumenti loco habuit, in quo versa-
„ retur. „

§. II.

In trutina ponitur teſtimonium, e Chronici Paſchalis Proœmio depromtum.

IN varias admodum, & diſſimilimas opinlones abjerunt Autores de Chronici hujus merito atque exiſtimatione. Scaliger hujus appellat *Scriptorem idiotam*; atque alibi, *multa*, inquit, *in ea farragine eſſe, quæ ridere, an mirari debeat, ſe neſcire.... multa eſſe inepta*. Tillemontio eſt Opus autoritate carens, ridendis rebus, erroribuſque pinguibus refertum. Nihil magis gerit ipſi morem Bailletus. Chronicon, inquit, Paſchale pura puta *Rapſodia* Chronologica multorum Scriptorum eſt, non unius ingenii & facultatis. Alii nihilominus tanto in contemtu non habent. *

Diſtracti ſunt Autores de Chronici hujus autoritate. *Scalig. de Emend. Temp. p. 210 225. Tillem. Epiſt. ad Lamium pag 52 Item Tom 2. pag 519 & 525. Baill. Tab. Crit. 15. Julii. Item 15 Julii in vita 72. Difcip.*

In fronte gerit longe prolixum Proœmium, quod dignum conſideratione eſt, eum Veterum Patrum aliquorum excripta contineat. Præſenſerat autem Lamius, Opuſculum hoc ſemetipſum deſtruere; ſcribit itaque e veſtigio: „ Patrum verba ab Autoris Chronici verbis diſtinguenda eſſe. Amanuenſes, addit, in fronte poſuerunt nomen Petri Alexandrini, perinde ac „ omnia ex ejus penu eſſent. Sed quoniam Proœmium hoc incipit a lo- „ eis multorum Autorum, non eſt huic titulo ſtandum, neque creden- „ dum, omnia, quæ in eo reperiuntur nomine Petri Alexandrini, ad „ illum pertinere. „

Tract. de Paſcha. 2. p. cap. 7. pag. 382.

Horum tamen oporteret probationes bonas afferre Criticum iſtum eruditum. A quo didicit, Amanuenſes in fronte poſuiſſe Præfationis hujus nomen Petri Alexandrini, atque omnia quæ in ea reperiuntur, ad illum non pertinere? Præſto ne ipſi eſt Codex aliquis, in quo titulus hic deſideretur? Dicam tamen melius, ne unus quidem eſt, in quo deſideretur. Antiquiſſimus, & magis authenticus omnium Romanus eſt, qui inſcribitur eadem omnino ratione. Alius Bibliothecæ Auguſtenſis eundem titulum præfert, & nullum reperire poteris, in quo deſit, non ſecus atque in Codicibus impreſſis. Quod ut liqueat, ſatis erit, oculos conjice-

* *Chronicon illud, quod ex variis Autoribus, centonis inſtar concinnatum, egregium nec ſatis laudatum.* Petav in not. ad Nicephorum Ep. *Fatendum*, inquit Ducangius, *longe eſſe plura, quæ ſua laude digna haberi debeant*. Præf. in Chron. Paſch. p. 4. *Autor certe non eſt contemnendus, qui non modo continuam Conſulum ſeriem exhibet, ſed & plures melioris purpuræ pannos Operi ſuo intexuit, veneranda antiquitatis monumenta, quæ fruſtra alibi reperiantur*. Cavius Hiſt. Litt. p. 381.

re in Editionem Raderianam, quæ prima eſt, atque in Ducangianam, quæ multo emendatior. In his conſpicere erit eundem titulum Græce & Latine, quod nimirum Editores iſti illum in Archetypis legerint. Quare ſecundum ſeverioris Critices regulas, nemini jus eſt, ut falſitatis arguantur Codices MSS. jejune & citra rationem dicere: *Amanuenſes in fronte hujus Chronici poſuerunt nomen Petri Alexandrini*. Alias nullius frugis eſſet conjectura a MSS. ducta, quæ tamen Sapientibus maxime idonea eſt ad perſuadendum; hæcque via & ratio diſputandi Codices cum MSS. tum etiam editos funditus everteret, ſi tamden ei locus eſset. Præſtolamur itaque novæ opinionis ſectatores, vel MSS. aliquod ſine hoc titulo in medium producere, vel firmo aliquo argumento evincere, illum a Scribis adiectum ſuiſse; vel demum haud ægre ferre, ſi Tituli hujus veritatem defendamus.

Anim. in reg. & uſum Crit. Tome 1. Diſſ. 2. art. 7.

Ad hæc: cum Lamius dicit, *Amanuenſes poſuiſſe nomen Petri Alexandrini, perinde ac omnia ex ejus penu eſſent*; id unum reſpondere par eſt: nimirum, me ad oculorum ipſorum teſtimonium appellare, quo quiſque perſuaſum habeat, Autorem Chronici narrare tantum, quæ reperit in Opere quodam, huic falſo Petro Alexandrino tributo. In eo apparet, eundem ſemper autorem eſſe, qui ab initio ad finem continenter loquitur; Scriptoremque Chronici Paſchalis nihil magis præſtare, quam exſcribere ſenſa hujus Petri Alexandrini, & loca trium aliorum, quos citat, Patrum, ut probet, Jeſum Chriſtum Cruci ſuffixum ſuiſſe eadem hora, qua comedendus erat Agnus Paſchalis.

Hujus quoque rei aliud argumentum ſit, Autores non paucos meminiſſe exigui cujuſdam Tractatus, Petro Alexandrino adjudicati, eodemque titulo inſigniti, atque ille, qui eſt in fronte Præfationis Chronici Paſchalis, cujus exemplar quoddam emit Caſaubonus a Mercatore, *Darmatio* nuncupato, ut ſcribit Ducangius. *

Ejuſdem Opuſculi multis in locis mentionem facit Petavius, atque aperte edicit, illius Cod. MS. apud ſe habere **; cujus titulus idem eſt cum titulo, Chronici Paſchalis Præfationi præfixo. Hujus pariter meminit ſub exitum ejuſdem Tomi, ubi ait, Caſtelarvium e Societate Jeſu deſcripſiſſe illud ex Cod. MS. Bibliothecæ Cæſarauguſtanæ in Hiſpania. Denique Petavius in Opere ſuo, *Uranologio* inſcripto, edendum

pag. 383.

* *Iſtius Andreæ Darmatii meminit Caſaubonus, a quo ſe emiſſe teſtatur Librum Julii Africani de bellice apparatu, & fragmentum Petri Alexandrini de Paſchate.* Ducang. Præf. in Chron. Paſch.

** *Habeo Petri cujuſdam Alexandrini Opuſculum, quod inſcribitur: Petri Alexandrini & Mart. de eo quod recte decimam quartam primi menſis Lunæ ſtatuerint.* Petav. de doctrina temp. l. 12. c. 15.

cura-

curavit Textum hujus fragmenti Græcum, quod vendicant Petro Alexandrino *. In Græco Petavii initium deeſt, atque orditur duntaxat ab his verbis: *ſive igitur errantes Judæi*, quæ ſunt initia tertiæ paginæ Editionis Ducangii. Reliqua ne verbo quidem diſcrepant uſque ad paginam decimam ſextam, in qua Chronici Paſchalis Autor, ſub alio titulo, Chronici ſui conſilium aperit.

Opus hoc falſo, ut vult Epiphanius, nomen ſimulat Petri Alexandrini, qui Diocletiano imperante Martyrium ſubiit; eum memoret S. Athanaſium, Conſtantinum, Concilium Nicænum, &c. Id quidem video non negari, & Sancto Martyri Opus ſuppoſitum fuiſſe; at illud probant quoque animadverſiones meæ, ut pateat, Titulum, Chronico Paſchali appoſitum, ad Amanuenſem referendum non eſſe, ſed ad Autorem ipſum, qui tum illum, tum reliqua ita collocavit, ut repererat in Libro, qui ætate ſua S. Petri Alexandrini nomine vulgatus fuerat, *Epiph. in Hær. Melet.*

Conjectura item aſſequor, ex quo Autor Chronici ponat in Operis hujus titulo, *ex Petro Alexandriæ Epiſcopo*, conſequi, illum, quæ recitat, e falſi hujus Petri Alexandrini Libro decerpſiſſe, & in id unum conniti, ut exſcribat ea, quæ ad propoſitum ſuum conducere poſſunt. Idem addit quibuſdam locis: *& poſt pauca*, Καὶ μετ' ὀλίγα, *& poſt alia*, Καὶ μετ' ἄλλα; quod monet, eum non digeſiſſe niſi ſcriptiones quaſdam hujus de Paſchate voluminis, quod Petri Alexandrini eſſe ferebatur.

At vero quanquam Proœmii hujus ſuppoſitio detrahat non parum de autoritate eorum, quæ e veteribus Patribus, pro nova ſententia allatis, exſcripta ſunt; nihilo tamen ſecius, ſi ea ſingillatim perpenderimus, liquido conſtabit incertiſſima eſſe, ne dicam ſuppoſititia.

§. III.

Loca quatuor Veterum Patrum, in Chronici Paſchalis Præfatione adducta, incertiſſima ſunt, ne dixerim ſuppoſititia.

„ CRedibile ſane ſit, inquit Lamius, S. Petrum Epiſcopum Alexandrinum „ conſcripſiſſe aliquod de Paſchate Opuſculum. „ Qui vero id probas? Habes ne ex Antiquis vel ex Recentioribus ullum, qui aliud Petri Alexandrini nomine Opus laudaverit, præter iſtud, de quo hactenus locuti ſumus? „ Paucos, ſubjungit, Urbis ejus Epiſcopos reperies, qui Epiſtolas aliquas Paſchales non ſcripſerit: cum per ea Examinatur locus S. Petro Alexandrino tributus. *Tract. de Paſch. 1. p. cap. 2 pag. 363.*

* Non eſſet abs re dicere, loca tria hæc non fuiſſe depromta e S. Petro Alexandrino, ſed ab alio ejuſdem nominis poſteriore; qui Martyr non fuit, & latet incerto, eum Opus aliquod confeciſſe.

„ tem-

„ tempora non præſtitueretur Feſtum Paſchale, niſi, ut teſtatur „ Ambroſius: „ *Poſt Ægyptiorum ſupputationes, & Alexandrinæ Eccleſiæ definitionem*. Poterat autem addere Lamius, non dixiſſe S. Ambroſium, id moris obtinuiſſe ante Concilium Nicænum; in hoc nanque ſtatutum eſt, ut ad Epiſcopos Alexandrinos munus deferretur ſignandi diem, in quo Paſchatis Feſtum celebrandum eſſet, ut ſcribit S. Leo *. Ante Synodum Nicænam Pontificis erat, hanc ſolemnitatem indicere, quemadmodum animadvertit primum Concilium Arelatenſe **. Quamobrem, niſi adſint probationes aliæ, ut efficiant, Petrum Alexandrinum de Paſchate ſcripſiſſe, hæc leviſſima profecto cuique erit.

Noſter porro Criticus deprehenderat, locum hunc S. Petro, Martyri atque Epiſcopo Alexandrino tributum, mendaeem eſſe, cum dixit. „ Quicumque ille ſit hic Petrus Martyr Alexandrinus; ſive ante, ſive „ poſt Athanaſium vixerit; ſive ſit nec ne illuſtris hic Epiſcopus Ale„ xandrinus, audi qui loquatur: *Dominus noſter*, inquit &c.„ Atqui autoritas Petri cujuſdam Alexandrini, ignoti & ſubditicii, cujus incerta eſt ætas, & Catholica Religio, longe alia eſt ab autoritate Martyris celeberrimi, qui firmiſſimum fuit Eccleſiæ columen III. & IV. ſæculis.

Sum etiam neſcius, an recte conjiceret quis dicens, locum nomine S. Petri Alexandrini citatum, in hanc Præfationem a Chronici Paſchalis Scriptore inſertum fuiſſe. Scribens nanque de die, quo in Pilati Prætorium Jeſus perductus fuit, ait, diem hunc *Paraſceve* fuiſſe, hora quaſi tertia, ſicuti proditur in Evangelio Joannis, cujus archetypum ad hanc diem in Eccleſia Epheſina aſſervatur ***. Hic porro locus legitur iiſdem verbis in Exſcripto illo, S. Petro Alexandrino tributo. Qua de re mirum profecto non eſt, Autorem poſteriorem afferre verba Scriptoris antiquioris; non tamen facile eſt, Autorem Chronici Paſchalis, qui multis poſt S. Petrum Alexandrinum ſæculis vixit, memorantem Joannis Evangelium, his uti ſenſis: *ad hæc uſque tempora in Epheſiorum Eccleſia ſervatur, & a fidelibus ibi colitur*. Non equidem negarim fieri potuiſſe, ut ſub VII. Ævi initium extaret in Eccleſia Epheſina archetypum iſtud, ſed de re hac altum apud Scriptores ſilentium eſt.

Chron. Paſch. Præf. pag. 5.

* *Studuerunt itaque S. Patres occaſionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Epiſcopo delegantes.* S. Leo, Epiſt. 64. ad Mart. Aug.

** *Primo loco de obſervatione Paſchæ Dominici; ut uno die & uno tempore per omnem orbem a nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem. Litteras ad omnes dirigas.* Hæc ſunt verba hujus Concilii Patrum, quæ reperiuntur Canone primo, ab illis ad S. Sylveſtrum miſſo.

*** *Erat autem Paraſceve hora quaſi tertia, quemadmodum accurati Libri continent, ipſumque Joannis Evangeliſtæ autographum, quod ad hæc uſque tempora, divina gratia in Sancta Epheſiorum Eccleſia ſervatur, & a fidelibus ibi colitur.* Apud Ducangium pag. 219.

Au-

Autor Proœmii ante Chronicon Paſchale alium affert locum nomine S. Hipolyti Martyris, quem vocat Epiſcopum Portuenſem in Italia, decerptum e libro, quem adverſus omnes Hæreſes conſcripſit. Lectoris judicium erit, nonne Exſcriptum hoc ſuppoſititium ſit, ubi meditatus fuerit, quæ habet Photius de Opere iſto. „ Legi libellum Hipolyti, „ diſcipuli S. Irenæi, contra triginta duas Hæreſes, incipientem a Doſi- „ theanis: Affirmat, ſingulas Hæreſes iſtas prius ab Irenæo refutatas, „ cujus tantum argumenta eſſe in eo libello recenſet. „ Cum igitur Hipolytus Irenæi tantummodo argumenta collegerit; Irenæus vero nullibi dicat, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis celebraſſe, ſpeciem non levem habet veri, vel falſum Petrum Alexandrinum, vel autorem proœmi Chronici Paſchalis, locum illum Hipolyti nomine commentum fuiſſe. Impoſterum aliam afferam multo magis firmiorem confícti hujus loci conjecturam, quemadmodum alterius, qui vocabulum præfert S. Apollinaris Hierapolitani. Denique in Chronici hujus Paſchalis Præfatione legitur quartus S. Clementis Alexandrini locus. Quæ omnia eum retuliſſet Calmetus: Conveniat neceſſe eſt, inquit, hæc loca eorum non eſſe Scriptorum, quibus accenſentur. „ Quo ad vero locum S. Clementis Ale- „ xandrini, „ certe, ait, ab eo alienus eſt. „

Loca S. Hipolyti Martyris & S. Apollinaris.

Diſſ. de Paſch. pag. 156. Gall.

Tametſi S. Hieronymus nos doceat, S. Clementem Alexandrinum edidiſſe Tractatum de Paſchate, hic tamen intercidit. Quod ſi non periiſſet, atque in eo exſcriptum hoc reperiretur, adhuc Lamianæ ſententiæ non faveret. Demus etenim boni & faciles, priſcum hunc Patrem diſerte tradere, Jeſum Chriſtum in Mortis pervigilio Paſcha non comediſſe, eoque die in Crucem illud ſuſtuliſſe Judæos, quo Paſchalis Agnus edendus erat. Hoc poſito, opus neceſſario erit, Criticum noſtrum de ſua ſententia decedere ſuper poſtremo Paſchate, vel S. Clementis locum rejicere. Fieri nanque nullo modo poteſt, quartamdecimam Menſis Niſan anno mortis Chriſti incidiſſe in diem tertium, & duodeviceſimum menſis Aprilis. Porro ex Aſtronomicis Lamii rationibus Plenilunium menſis Niſan contigit tertio die menſis Aprilis, ſecundum vero Clementis opinionem ejuſdem menſis duodeviceſimo.

Citatio S. Clementis Alexandrini non favet Lamio.

Acepimus a Lamio, Menſem Paſchalem hujus anni, nimirum Chriſti morientis, qui per ipſum reſpondit 33. Æræ vulgaris anno, incæpiſſe veſpere viceſimi Martii diei, & quartamdecimam ejuſdem menſis initium habuiſſe veſpere ſecundi diei Aprilis. Littera Dominicalis erat D; & propterea eum Littera ſecundi diei Aprilis eſſet A, tertii B, quartuſdecimus Niſan incæpit veſpere diei Jovis, ut tandem Paſchatis immolatio fieri debuiſſet die Veneris poſt meridiem, qui erat Aprilis tertius.

Tract. Paſch. p. 1. c. 6. p. 113.

Contra S. Clemens Alexandrinus dicit: *Erat autem Jeſus, cum ad Baptiſ-*

priſmum venit, quaſi annorum triginta, quod autem uno duntaxat anno prædicaturus eſſet ..... Quintodecimo itaque anno Tiberii, & quintodecimo Auguſti, hoc modo triginta complentur anni, donec paſſus eſt.

Clem. Alex. l. 1. Strom.

Porro quintodecimus annus Imperii Tiberii reſpondet anno 29. Æræ communis, *Cajo Rubelio Gemino, & C. Fuſio* Conſulibus. Hoc anno Menſis Niſan incæpit 4. Aprilis, & Veſpere decimæ ſeptimæ fuit Luna decimaquarta. Littera Dominicalis erat B, adeoque Paſcha immolatum fuit die Lunæ, decimo octavo Aprilis, tempore Plenilunii. Quo in loco non duco rationem Lunæ, niſi a Phaſi, ut ad Lamii principia me componam. Si igitur ſecundum hanc ratiocinationem Jeſus Chriſtus mortem oppetiit die Veneris, tertio menſis Aprilis, ſecundum autem Clementis opinionem paſſus eſt die Lunæ, decimo octavo ejuſdem menſis; citra controverſiam eſt, aut Patris hujus ſuffragium non prodeſſe novæ ſententiæ, vel eam eſſe repudiandam.

§. IV.

Autor Chronici Paſchalis non eſt ab ſententia Lamii.

Epocha Mortis Chriſti ex Chronico Paſchali.

NOS manet adhuc revocare ad judicium ſenſa Autoris Chronici Paſchalis, qui tanta eſt in exiſtimatione; ſed vereri non deſino, quin funditus Lamianam opinionem convellat. Propugnat Autor hic, Jeſum Chriſtum animam tradidiſſe quarto ſupra triceſimum ætatis ſuæ anno, qui contigit undeviceſimo Imperii Tiberii, incæpto a viceſimo primo menſis Martii; ſtatuitque, Jeſum Chriſtum aquis Baptiſmi ablutum anno triceſimo primo, ante dies tredecim incepto, prædicando autem Evangelio dediſſe operam tres annos & ſeptuaginta ſex dies, quibus exactis Cruci ſuffixum fuiſſe anno quarto Olympiadis 202. Hic annus ad amuſſim reſpondet undeviceſimo Imperii Tiberii, & triceſimo ſecundo Æræ vulgaris, *C. Domitio Ahenobardo, & A. Vitellio* Conſulibus. Quas Epochas poſtquam ſupputationibus Aſtronomicis firmavit Autor Chronici Paſchalis, concludit, Jeſum Chriſtum e vivis migraſſe decimaquarta Luna Menſis Niſan, quæ fuit eo anno dies Veneris, & viceſimus tertius Menſis Martii. *

* *Ita igitur demonſtratum eſt, quemadmodum decimaquarta Luna, hoc præſenti a mundi conditu anno V. MDCXL. & XIX. Imperii Tiberii Cæſaris, anni initio ſumto a XXI. menſis Martii, Indictione IV. quando Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſalutarem Crucem ultro ſubiit, inciderit in XXIII. menſis Martii, & in diem Paraſceves.* Ubi ſupra, pag. 221.

Liceat

Liceat hic mihi tantiſper ſiſtere, & pauca quædam de hac Epocha conſiderare. Primum ſit, teſtimonium Chronici Paſchalis Lamianam ſententiam ab imo ſubvertere. Quo nanque pacto tueri poteris, Jeſum Chriſtum non peregiſſe extremum Legis Paſcha ex placitis duarum opinionum, quarum prima ponit Lunam quartamdecimam Niſan die viceſimo tertio Martii, alia vero tertio Aprilis? Fieri ne poteſt, diem Paſchatis Legalis eodem anno incurriſſe in duos dies longe diverſos? Animadverſio prima in hanc Epocham.

Alterum: Vel Jeſus Chriſtus minime mortuus eſt die Veneris, vel alterutra opinio hæc falſa eſt; neque enim accidere unquam poteſt, quartamdecimam Menſis Niſan duobus continenter annis occurrere eodem die. Sentit porro Autor Chronici, quartamdecimam Menſis Paſchalis diem fuiſſe Veneris anno Æræ vulgaris 32. Lamius autem quartamdecimam Menſis Niſan anni ejuſdem Æræ 33. collocat eodem die Veneris: adeoque Paſcha Legis celebrari non potuit Feria ſexta tum anno 32. tum 33. Æræ vulgatæ. Secunda animadverſio.

Tertiæ animadverſionis loco erit, neſcire nos, qua ratione convenire poſſit inter ratiocinationes aſtronomicas Lamii, atque Autoris Chronici ſenſa. Perhibet hic Scriptor, Jeſum Chriſtum expiraſſe anno Imperii Tiberii undeviceſimo, videlicet 32. Æræ vulgaræ. Atqui ſecundum Lamianas ſupputationes anno 32. quartadecima Niſan cæpit decimo tertio Aprilis ſub veſperam, & Paſcha immolatum eſt veſpere decimiquarti Aprilis poſt meridiem dici Lunæ: Littera nanque Dominicalis erat tum E, & initio ejuſdem anni, quippe Biſſextilis, fuerat F. Hac itaque Lamii ſubductione fit, Paſcha anno 32. Æræ vulgatæ celebratam fuiſſe die Lunæ ſecundum Chronici Paſchalis teſtimonium. Et tamen monuimus, initam ab erudito Critico noſtro rationem ab hac plane diſerre; cum dicat, Plenilunium anni 33. Æræ vulgatæ accidiſſe die Aprilis tertio, qui Veneris erat: unde fieret Chriſtum ſubiiſſe mortem tum die Veneris, tum die Lunæ. Animadverſio tertia.

Rurſus animadvertam, Autorem Chronici Paſchalis, qui egregius Aſtronomus & Chronologus exiſtimatur, diſcrepare admodum a calculis peritorum ætatis hujus Aſtronomorum, quod facile ex iis, quæ diximus, evincere quiſque poteſt; adeoque nullius momenti eſſe ad confirmandum, Jeſum Chriſtum eodem, quo obiit, anno Agnum Paſchalem non comediſſe. Conſequens item eſt, teſtimonium Veterum Patrum, quos in medium adducit, non favere multum novæ ſententiæ; cum in ſpeciem ſit, Autorem hunc non uſurpaſſe eorum dicta, ut oſtenderet, Jeſum Chriſtum obſervare non potuiſſe ipſum Paſchalis Agni in mortis ſuæ anno, quippe cum inciderit in eundem diem, quo Paſcha immolandum erat: niſi quia pro certo habuerit, eos eadem plane, qua ipſe, ratione calculos Animadverſio alia.

culos Aſtronomicos adhibuiſſe, & Neomenias & Plenilunia ſubduxiſſe. Alias fieri non poſſet, Jeſum Chriſtum eodem anno neci traditum fuiſſe variis duobus Menſis atque Hebdomadæ diebus. Nullius pariter frugis eſſet conclamare, Autoris hujus rationes accurate confectas non fuiſſe; ſi nanque lapſus eſt, quare in ejus autoritate deliteſcere volunt, quæ tamen, niſi ſubverſa nova opinione, conſtare non poteſt.

Animadverſio in loca quinque Scriptorum.

Denique quamvis contenderetur, cum loca quatuor Veterum Scriptorum, tum alium Chronici Paſchalis, legitima eſſe, atque ex illis colligi, Jeſum Chriſtum ſpiritum efflaſſe decimaquarta Luna Menſis Niſan, qua celebrandum erat Paſcha legale, non tamen quidquam magis progreſſi eſſent. Cum etenim perſuaſum fuit omnibus Autoribus iſtis, Jeſum Chriſtum non celebraſſe Paſcha Legis, quod ſcilicet deceſſerit tempore ad illud peragendum præſtituto, ideo fuit, quia recenſentes Lunæ dies ab illius cum Sole conjunctionis, offendebant diem decimumquartum Veſpere Feriæ feſtæ, qui verus per eos dies Paſchatis erat. Porro ſi Lamius ſupputaſſet dies Lunæ ab ejus cum Sole conjunctione, non vero a Phaſi, ut vult ſupputari eo tempore debuiſſe; quartadecima Luna Menſis Niſan occurriſſet ei Veſpere diei Jovis, adeoque Chriſtus manducare Paſcha potuiſſet, & poſtremo vitæ ſuæ anno Legis obſervantiam euſtodire: Judæi quoque illud eodem die Jovis celebraſſent, quod nihil habet eum ſententia Lamiana commune. Neceſſe itaque eſt, vel captos fuiſſe priſcos Autores iſtos, aut capi Criticum noſtrum: hic nanque cum illis non conſentit ſuper Paſchate poſtremo a Chriſto non celebrato, & morte obita quo tempore celebrandum erat, niſi quia Autores illi Eccleſiaſtici ſubducunt decimamquartam Lunam ab ejus cum Sole conjunctione; cum ex adverſo Lamius eam numeret ab ejus Phaſi, atque exortu ſuper Horizontem, qui die poſt ejus conjunctionem, & non ſemel ſerius, contingit.

Lamius Animad. in Epiſt. Dell. conjuſdam pag. 18 Gall.

Teoph ad Theod Imper. de S. Pa'cha. Cyrill. in Praf. Epiſtola ad Epiſcopos Conc. Carthag.

Conſtat, prioribus Eccleſiæ Sæculis Cyclorum uſum obtinuiſſe, quod Lamius ipſe non diffitetur: conſtat quoque tum temporis dies Lunæ recenſere Patres conſueviſſe ab ejus concurſu, non vero a Phaſi, ut Theophilus Epiſcopus Alexandrinus, & S. Cyrillus animadverterunt. Quamobrem ſi Veteres Patres iniverunt numerum dierum ad Lunam uſque decimamquartam ab ejus conjunctione, atque hæc quartadecima incidit in diem Veneris, fit inde ſecundum Lamii ſupputationes, qui a Lunæ Phaſi calculum ponit, hujus decimamquartam futuram fuiſſe Sabbati diem.

§. V.

§. V.

Quibus argumentis utatur Lamius, ut plus ponderis atque autoritatis tribuat locis quatuor Patrum, in Chronico Paſchali laudatis.

„ MEntio fit in Chronico Paſchali, inquit Lamius, de controver- *Animad. in Epiſtolam Doſt. cujuſdam pag. 12.*
„ ſiis Quartodecimanorum, quorum aliqui innitebantur Ser-
„ vatoris noſtri exemplo, qui per ipſos pridie mortis ſuæ Judaicum Pa-
„ ſcha peregerat. Nonne itaque res ipſa poſcebat, ut Doctores Orthodoxi,
„ qui in eos vim faciebant, Scriptores Eccleſiaſticos veteres multos pro-
„ ducerent docentes, Jeſum Chriſtum poſtremo vitæ ſuæ anno Paſcha
„ iſtud non celebraſſe? Hac ſane ratione ab imo adverſariorum funda-
„ menta diruiſſent. Inquies ne, ſcribentes in Quartodecimanos peſſimæ
„ fidei homines fuiſſe, qui ad falſam doctrinam confirmandam Acta ex-
„ cogitabant. „

Ajo ego quoque, VII. circiter Sæculo Quartodecimanorum diſputationes rurſus efferbuiſſe. At libenter admodum diſcerem a Lamio, quinam ſint hi Doctores Catholici, qui Hæreticos iſtos expugnaturi, Veteres Patres in medium adduxerint? Non erediderim in hunc cenſum venire poſſe Philopponum, hominem e ſecta Tritheitarum, qui ſcripta in vulgus dederat, ut Concilium Chalcedonenſe hæreſis nota afficeret, qua ipſe inuſtus damnatuſque eſt Actione XI. VI. Concilii. *Photius Cod. LV. Dupinus Bibl. Tomo 5. pag. 38.*

Quanquam ſit veriſimile, omnes Orthodoxos iſtos, Patres antiquos citantes, in unum deſinere Autorem Chronici Paſchalis. At quis auderet affirmare hunc Catholicum eſſe? Puto equidem, ait Tillemontius, id argumentis carere. Quot enim rebus redundat, quæ ab hæretico homine proculdubio proficiſcuntur. Poſt hæc levis ne eſſet, qui corruptæ fidei ſuſpicione attingeret Autorem Chronici Paſchalis, perinde ac loca conſuerit nomine quatuor priſcorum Patrum, ut tueretur, obtentu oppugnandi Quartodecimanos, Jeſum Chriſtum non celebraſſe poſtremum Paſcha? Quod ſi liceret hac conjectura augurari, quid prohibet ne diceremus, Philopponum, atque Autorem Chronici Paſchalis, duos vel tres alios ignotos ſectatores nactos, dediſſe operam, ut ætate ſua Marcionitarum hac de re opinionem inſtaurarent, vel ante omnes adorirentur vetuſtam Eccleſiæ cum Græcæ tum Latinæ Traditionem de Agno Paſchali, a Chriſto Domino in mortis pervigilio comeſto? Cui igitur mirum videretur, Autorem Chronici Paſchalis confinxiſſe loca illa Patribus tributa, atque e Libris, qui perierant, depromta? Hæc ſane jactata Patrum Eſcripta, *Tillem. Epiſtola ad P. Lamium pag. 52. col. 2.*

alias maxime ſuſpicioſa, commenta eſſe videntur poſt factum, & contra hiſtoriæ veritatem, ut inferius videbimus.

Ibidem pag. 13. „ Teſtimonium S. Clementis Alexandrini, ſequitur Lamius, S. Hippo-
„ lyti, S. Apollinaris, & S. Petri Alexandrini, quæſtionem noſtram reve-
„ ra dirimit: conſtans nanque eſt, in negotio doctrinæ, eos, qui in Ec-
„ cleſiæ hoſtes ſcripſerunt, ſingulari autoritate florere ad diſſolvendas
„ quæſtiones illas, quæ ad eandem rem pertinent; cum in iis plus ope-
„ ræ ſtudiique poſuerint, quam ceteri Doctores alio intenti. Quare frag-
„ menta hæc æquis omnibus hominibus demonſtrant, dicendum non eſ-
„ ſe, Patribus omnibus hanc inſediſſe ſententiam, ut crederent, Jeſum
„ Chriſtum Paſcha Legis celebraſſe; atque hoc capite, Patres iſtos, con-
„ trarium docentes, aliis anteferendos eſſe. „

Tract de Paſch. a p.c.7 pag.365. Autor Chronici Paſchalis, inquit alibi, affert locum S. Hyppoliti Portuenſis, decerptum e Volumine, quod in Hæreſes omnes conſcripſerat. Videtur hic inſurrexiſſe adverſus Orientales, quorum plures hauſerant errorem Quartodecimanorum, a Victore Pontifice damnatum. Alio item loco ait: „ Apud multos profecto non audiam, niſi oſtendero, ſenten-
„ tiam hanc multis Eccleſiæ Patribus placuiſſe, qui ea adverſus hæreti-
pag. 120. „ cos uſi ſunt. „ Atque in additione quadam, poſita in fine Reſponſionum ipſius Lamii: Teſtimonia Patrum, dicit, quibus viſum eſt, Jeſum Chriſtum non comediſſe Paſchalem Agnum, eo ſunt graviora, quo diſciplinam Eccleſiaſticam in Quartodecimanos tutati ſunt, qui hæreſim ſuam eo muniebant fundamento, ut dicerent, Chriſtianos imitari debere Dominum noſtrum, qui Luna decimaquarta Paſcha Legis celebraverat.

Ibidem c.1. pag. 287.

Ceterum antequam quatuor fragmentorum iſtorum autoritatem adeo amplificaret, nonne opus fuiſſet compertum facere, anne legitima ſint? Lamius ipſe claudicat, dum S. Petrum Alexandrinum laudat; de reliquis judicium ferre poſſumus cum ex iis, quæ diximus, tum ex iis, quæ dicturi ſumus. Et tamen contendit, teſtimonium, conſtitutum in quatuor fragmentis, ſummæ ſaltem dubitationis, ne dicam ſuppoſitionis, & fidei creditum hominis ignoti & fortaſſe heterodoxi, præferendum eſſe de veteri Paſchate teſtimoniis nobilioris Patrum Eccleſiaſticorum partis, Concilii Tridentini, Breviarii, omniumque, quotquot fuerunt, eruditorum Theologorum atque Interpretum, qui tam clare, & tam diſerte mentem ſuam aperuerunt in Operibus, pervulgata notitia authenticis? Non deeſſent ſane Autores, qui Criticæ huic regulæ obtemperarent, ſi quam eſt nova in Republica Litteraria, tam eſſet juſta & recta.

Quinam ſint Hæretici Quartodecimani.

At qui nam ſunt hi Eccleſiæ hoſtes atque hæretici, adverſus quos decretorium eſt quatuor Patrum, a Chronici Paſchalis Autore laudatorum,

rum, teſtimonium? Ii proculdubio, qui Quartodecimanorum errorem propugnarunt. Quinam rurſus ſunt hi Quartodecimani, errore capti; vel hi hæretici Quartodecimani, quemadmodum eos appellare Calmeto placuit?

Calmetus Diſſ. de Veteri Paſchate pag. 156.

Ponamus aliquandiu, quatuor, de quibus agimus, antiquos Patres ſcripſiſſe in falſo habitos iſtos Eccleſiæ hoſtes: Interea doceant nos, quæſo, novæ opinionis defenſores, utrum inviſum hoc nomen ſibi comparaverint, vel quia perſuaſum habuerint, Jeſum Chriſtum pridie quam pateretur, nimirum quartadecima Luna primi menſis, Paſcha Legale peregiſſe; vel quia contenderint, colendum nobis eſſe Feſtum Paſchatis quartadecima Menſis Niſan, quocunque demum occurreret die. Non fit ſimile vero, in Quartodecimanos bellum intentari, quia ſenſerint, Jeſum Chriſtum ante mortem Paſcha Legis feciſſe, eum nemo id ipſis vitio verterit. Expende Concilia omnia, & Patres, qui ante Synodum Nicænam de Quartodecimanis locuti ſunt; neminem reperies, qui ſententiam hanc ipſis exprobraverit. Quod ſi hæreſis hæc fuiſſet, vel error, unde fit, Concilium Paleſtinæ, anno 198. coactum, Victorem Papam, alioſque Epiſcopos, qui in Quartodecimanos arma verterunt, adeoque ipſum Concilium celeberrimum Nicænum, a quo damnati ſunt, ne verbum quidem habere, utrum nec ne Jeſus Chriſtus Paſcha celebraverit? Qui etenim ab ejus damnatione abſtinere potuiſſent, ſi opinio hæc hæreſis, vel error fuiſſet?

Nemo redarguit Quartodecimanos, quod credidiſſent, Jeſum Chriſtum Paſcha celebraſſe.

Ubi etiam legunt, Quartodecimanos affirmaſſe, conſuetudinis ſuæ fundamentum poſitum eſſe in exemplo Jeſu Chriſti, qui Agnum Paſchalem Luna decimaquarta manducaverat? Polycrates Quartodecimanorum anteſignanus, & Præſes Concilii, ab Epiſcopis Aſiæ ſuper hac re celebrati, ullam ne Paſchatis Jeſu Chriſti mentionem fecit in egregia Epiſtola illa, quam dedit adverſus ſententiam Victoris Pontificis, & in quam contulit omnia firmiſſima momenta, quibus adſtringi tum ipſe, tum ceteri Aſiæ Epiſcopi poterant, ut Traditionem ſervarent, quam ab Joanne Apoſtolo ſe recepiſſe jactabant?

Apud Euſebium l. 5 Hiſt. c. 23.

Quid quod non modo priorum ſæculorum illorum Quartodecimani rem ſuam Jeſu Chriſti exemplo minime fulſerunt, ſed fulcire non poterant, quin Traditionem ab ipſis ereditam omnino tollerent. Quonam pacto hæc duo cohæreant? Hinc afferere, Apoſtoli Joannis Traditionem ad eos manaſſe, celebrandum Paſcha eſſe Luna decimaquarta, neque ad diem Dominicum transferendum: atque illinc morem hunc petere ab inſtitutione Jeſu Chriſti, qui eo die Paſcha fecerit. Iſti Aſiæ Epiſcopi nunquid non S. Evangelium Joannis ſus deque vertiſſent, ut conſuetudinem ab hoc Apoſtolo relictam ſervarent. Si fides eſt falſo Petro Alexandri-

Quartodecimani innixi non ſunt exemplo Jeſu Chriſti.

drino, in fronte Chronici Paſchalis collocato, Apoſtoli hujus Evangelium ineunte ſæculo IV. Epheſi ſervabatur. Porro ille ait, authographum ejus perſpicue tradere, Jeſum Chriſtum in pervigilio mortis Paſcha Legale non comediſſe : *Quemadmodum docet Theologus & Evangeliſta Joannes in Evangelio a ſe ſcripto* ..... atque Judæos non introiſſe Prætorium, ut manducarent Paſcha * : Atque adeo Polycrates hujus Eccleſiæ Epiſcopus, ceterique earundem partium Epiſcopi, cum S. Joannis Apoſtoli de poſtremo Paſchate ſententiam ignorare non poſſent, haud commiſiſſent, ut Traditionem ab eo defendere affirmarent, quæ adverſus Evangelium ſuum pugnaſſet.

Fragmenta quatuor Patrum illorum nihil evincunt in Quartodecimanos.

Tametſi vero Quartodecimani ad Jeſu Chriſti exemplum attendiſſent, qui Luna decimaquarta Paſcha celebraverat; non video, quare novæ opinionis Patroni exaggerent adeo quatuor, de quibus agimus, fragmenta, eaque urgeant ut confirment, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis non feciſſe, tanquam ſi eſſent Opuſcula in Eccleſiæ hoſtes conſcripta, quibus commiſcent eos, qui Jeſum Chriſtum Paſchatis celebritatem poſtremam coluiſſe crediderunt. Oportebat nanque probe ſecernere fundamentum, atque illam, quam ex eo ducebant, Quartadecimani concluſionem. Principium bonum erat, & communi Eccleſiæ Traditioni reſpondebat, at in conſecutione laborabant. Nunquam redarguerunt Patres hoc jactatum Quartodecimanorum principium; ſed primorum Sæculorum Concilia atque Epiſcopi reclamarunt in doctrinam, quæ ex illo principio deducebatur. Tandem Nicæna Synodus anathemate perculit morem Quartodecimanorum; & tamen cuncti Patres, eademque Eccleſia, tanquam Depoſitum Sacrum, cuſtodierunt Traditionem ratam & firmam de Paſchate, a Jeſu Chriſto in pervigilio Mortis ſuæ celebrato.

Quartodecimani tum temporis hæretici non erant.

Redeamus ad Quartodecimanos, quos hæreticos atque Eccleſiæ hoſtes appellant. Ac ſi revera hujuſmodi fuiſſent, id nihilominus haud noceret ſententiæ, pro extremo Jeſu Chriſti Paſchate ſuffragium ferenti. Verumtamen quæſtionis hujus deciſio oppurtunitatem habebit ad oſtendendum, quanti facienda ſint quatuor fragmenta, ab Autore Chronici Paſchalis relata. Ut autem de his Lector ferre judicium poſſit, hiſtoriam hanc a fonte ſuo repetamus. Cum S. Polycarpus Romam veniſſet ad annum 160. collocutus eſt cum Pontifice Aniceto de quæſtione diei, quo Paſchatis Feſtum celebrandum eſſet: at vero cum ſatius duxerint duo iſti Viri ſancti, utrumque a conſuetudine ſua non diſcedere, invicem tamen communicarunt; immo Pontifex honoris gratia, Polycarpum rem divinam

S. Polycarpus Romam ſe contulit anno circiter 160. *Euſeb. l. 4. Hiſt. c. 14. Hieron. in Cat. Scrip.* 128.

* *Ut accurati Libri præferunt, ipſumque Evangeliſta manu deſcriptum exemplar, quod divina gratia ad hæc uſque tempora in Sanctiſſima Epheſiorum Eccleſia aſſervatur, atque a fidelibus ibi colitur.* Chron. Paſch. Præf. pag. 5.

loco

loco sui in Ecclesia itidem sua facere voluit. Qua de re, uti adnotavit S. Irenæus, *Charitatis vincula neutiquam ruperunt.* *Irenæus apud Euseb l. 5. Hist. c. 24.*

Neque vero inter Romanam atque Asiæ Ecclesias pax ullo modo turbata est ad tempus usque Victoris I. quamvis Ecclesiæ istæ variis diebus Pascha celebrarent: quandoquidem Irenæo narrante didicimus, Pontifices S. Sixtum, S. Telesphorum, S. Hyginum, S. Pium, Anicetum, aliosque eorum successores ad annum usque 193. cum Asiaticis communicasse, atque ad illos Eucharistiam misisse. *Irenæus Epistola ad Victorem, apud Euseb. l. 4. Hist. c. 24.*

Quæ cum deo, viderint alii, an propterea incidat in suspicionem locus, Apollinari Episcopo Hieropolitano tributus. Etsi lateat quo plane tempore interierit, constat tamen eum interfisse ante Victoris I. Pontificatum; atque ipse Lamius fatetur, ad Superos concessisse anno 193. Cum autem ad ea usque tempora pax servata fuerit inter Romanam atque Asiaticas Ecclesias: hæ tamen Pascha celebrarent quartadecima Luna primi Mensis secundum Traditionem, quam ab Joanne Apostolo recepisse existimabant; neque a Summis Pontificibus de hoc disciplinæ capite exagitarentur: qui fieri potuit Apollinarem, ut Quartodecimanos refelleret, scripsisse? *Nonnullos esse, qui aiunt, quartadecima agnum cum discipulis manducasse Dominum, magna vero azimorum die passum esse, atque ita dicere Matthæum; unde Legi contraria est eorum interpretatio, iisque adversari videntur Evangelia.* Locus Apollinaris dubius. *Chron. Pasch. pag. 6. Edit. Ducangii.*

Quid porro valet locus hic, tantopere jactatus, in Quartodecimanos? Fando ne unquam auditum fuerat primis duobus sæculis, controversiam ullam esse de postremo Paschate Jesu Christi? Quæ lieet exorta tum esset, quid cum Quartodecimanis, Ecclesiæ Romanæ perfecte conjunctis? Non igitur ejus hostes erant. Si pax inter eos & Summos Pontifices intercedebat, quare illos aggredi tanquam hæreticos? Verum quidem est, Montanistas celebrare solitos fuisse Festum Paschatis Luna decimaquarta; sed non propterea hæretici habebantur; quoniam hæc controversia dijudicata nondum fuerat. Conjecturæ hujusmodi non multum favent huic Apollinaris, ut ferunt, loco; & efficere possunt, Episcopum istum nunquam volvisse animo, ut Quartodecimanos refutaret, multo vero minus illos tanquam Ecclesiæ hostes haberet. Locus hic ad Quartodecimanos non pertinet.

Victoris autem primi temporibus; qui renunciatus est Pontifex anno 193. controversiæ de Paschatis celebratione incaluerunt, dissidium aliquod in Ecclesia excitarunt, & sapientissimorum Episcoporum stylum exercuerunt. Bachyllus Corinthiorum Episcopus nomine Antistitum Achajæ Epistolam scripsit, quod idem fecerunt Episcopi Ponti, & Provinciæ Anthemusianæ, aliique bene multi; verum istorum Opera ætatem non evaserunt. Quamquam etiam per ea tempora Synodi multæ, de Paschatis Quæstio de Paschate effervebuit sub Pontifice Victore. *l. 5. hist. c. 22.*

tis celebratione coactæ ſint, trium tantummodo meminit Euſebius, quorum prima convocata eſt in Palæſtina anno 198. ut videre eſt ex Epiſtola, quam hujus Provinciæ Epiſcopi, Narciſſus Hieroſolymitanus, Theophilus Cæſareenſis, Caſſius Tyrienſis, Clarus Ptolemaidæ, Concilii nomine dederunt; altera Romæ habita eſt; & tertia in Aſia. Polycrates Epiſcopus Epheſinus, poſtremi hujus Concilii Præſes, in quod omnes Aſiæ Minoris Antiſtites coiverunt, Litteras miſit ad Victorem Papam, in quibus tuetur, Paſchatis Feſtum celebrandum eſſe eo die, in quem occurrebat Luna Quartadecima; atque teſtatur, S. Polycarpum, alioſque multos Apoſtolorum diſcipulos eandem conſuetudinem retinuiſſe, quam demum S. Joannes Traditionis inſtar ad eos derivaverat.

Concilia hac de re indicta.

Tum Victor Romæ Synodum concivit, in qua Decretum edidit, conſtituens tempus Paſchatis ex Traditione Apoſtolica celebrandi: Epiſcopis Aſiæ minatus eſt execrationem a cætu Fidelium, niſi ſe ad inſtitutam conſuetudinem componerent, celebrandi nimirum Feſta Paſchalia primo die Dominico poſt quartadecimam Lunam primi Menſis.

Animadverſiones in hæc Concilia.

Quod attinet igitur ad Conciliorum iſtorum Acta, vel Epiſcoporum Scripta de Paſchatis celebritate; animadvertere par eſt: 1. Nullam in his mentionem fieri, utrum Jeſus Chriſtus peregerit Paſcha, nec ne in pervigilio mortis ſuæ. 2. Epiſcopos omnes, eundemque Pontificem rationes alias non protuliſſe, quare teneremur ad Paſcha celebrandum primo die Dominico poſt menſis Martii plenilunium, præter Apoſtolorum exemplum, perpetuamque Eccleſiæ conſuetudinem. Denique Victorem Pontificem acerrimas ad Aſiæ Antiſtites dediſſe Litteras, eiſque etiam Excommunicationem minitatum fuiſſe, ſed revera non contorſiſſe. Hæc eſt vulgata inter Theologos opinio, conſtituta teſtimoniis plurium Scriptorum Eccleſiaſticorum *, præſertim S. Irenæi, qui, Euſebio narrante, ad Victorem Papam ſcripſit, exorans, ne a Fidelium ſocietate arceret Sanctos Epiſcopos multos propter rem hujuſmodi, quæ ad diſciplinam tantummodo ſpectabat.

Aſiatici non fuerunt hæretici.

Ex quibus omnibus facile eſt colligere, Quartodecimanos habitos non fuiſſe Eccleſiæ hoſtes, niſi poſt Concilium Nicænum. Si nanque ante illud tempus fuiſſet error, Paſcha non celebrare primo die Dominico poſt

* Firmilianus in Epiſtola ad Cyprianum conſiderat, quamvis diſſidium aliquod fuerit Romanam inter atque Aſiaticam Eccleſiam de celebrando Paſchatis feſto: *non tamen propter hoc ab Eccleſia Catholica pace, atque unitate aliquando diſceſſum eſſe*. *Euſeb. l. 5. Hiſt. c. 24. Hier. in Catal. c. 46. Photius in Bibl. Cod. 120.* Sunt quidem, qui exiſtiment, Victorem Aſiaticos devoviſſe; ſed certum eſt, eum S. Irenæi Epiſtolis prohibitum, ne dirum hoc anathema exitum haberet; ſibique temperaſſe adeo, ut quælibet Eccleſia priſtine conſuetudini ſuæ ſuper Paſchatis celebratione adhæſerit.

decimamquartam Martii Lunam, ſuſpicari merito poſſumus, S. Irenæum, totque alios ſanctos Antiſtites officia ſua non fuiſſe perſoluturos apud Victorem, ne Quartodecimanos arceret ab Eccleſia: Pontificem hunc, Romanam Eccleſiam, ceteroſque omnes nulla uſuros cum Eccleſiæ hoſtibus ſocietate, ut uſi ſunt ad uſque Synodum Nicænam. Si tandem error fuiſſet, S. Melito Eiſeopus Sardicenſis in Lydia, non lucubraſſet de Paſchate Libros duos, quemadmodum tradit Euſebius, ut controverſias hac de re exortas amoveret. Porro ſanctus iſte Vir ex iis erat, qui Luna decimaquarta Paſcha colebant. *l.5.c.24.*

Quæ cum ita ſint, non video, quonam pacto nonnullis Patribus adjudicare poſſint loca in Chronici Præfatione relata, vel ſibi perſuadere, Patres iſtos id genus Operum conſeciſſe, quæ eo ſunt ſuper quæſtione de Veteri Paſchate graviora, quo adverſus Eccleſiæ hoſtes conſcripta fuerunt: cum Quartodecimani poſt celebratum tantummodo Nicænum Concilium hac nota affecti ſint. Illud certe perſuaſu difficile eſt, non cenſendum adulterinum S. Hippolyti Epiſcopi Portuenſis locum; qui cum Irenæi auditor fuiſſet, non videtur ſcribere potuiſſe in Quartodecimanos, eoſque pronunciare Eccleſiæ hoſtes; quandoquidem præclarus præceptor ſuus, tantum abfuerat, ut eos hereticos exiſtimaret, ut potius ardore flagranti apud Victorem interceſſerit, dehortatus, ne illos anathemate percelleret: quod plane non feciſſet, ubi eos hæreticos eſſe cenſuiſſet. Locus S. Hippolyti maximam commovet ſuſpicionem.

Non poterat autem Lamius ſignificare magis, quanti faceret quatuor illa, de quibus agimus, fragmenta, quam cum in Epiſtola ad Tillemontium: „ Abſit, V. Cl. repertam olim apud antiquos fuiſſe repugnantiam tantam fidei capitibus, quæ putaverit Eccleſia ad ſe Traditione apertiſſima manaſſe, quanta eſt ea, quæ reperitur in ſapientum iſtorum Eccleſiæ Luminum fragmentis. „ E quibus videtur, niſi me fallit animus, evincere velle, talem repugnantiam continere Eccleſiam poſſe, ne Traditionem aliquam ad Fidem pertinere declararet, vel non poſſe Traditionem inter Fidei capita admitti, quæ a tantæ autoritatis Patribus oppugnetur. Quantopere pendat Lamius quatuor fragmenta. *Epiſtolam ad Till pag.224.*

Verum enim vero in Quartodecimanorum negotio inſiſtentes, nonne reſtiterunt Traditioni Eccleſiaſticæ de celebrando Paſchatis Feſto ſimul cum ipſis quamplurimi antiquitatis Scriptores, Martyres glorioſi, S. Epiſcopi, nihilo verendæ minus antiquitatis, quam Patres, quibus quatuor fragmenta tribuuntur? Innitebantur conſtanti S. Joannis Evangeliſtæ Traditioni, cui vim addebant & firmamentum Philippus, e Septem Diaconis unus, S. Polycarpus Epiſcopus Smyrnenſis & Martyr, Sancti Thraſeas & Sagarus, utrique Epiſcopi & Martyres, alter Smyrnenſis, alter Diſcrepantia Aſianorum non obfuit, quominus opinio illorum damnaretur. *Epiſt. Polycr. apud Euſeb. l.5. c.24.*

Laodicenus, S. Paplas, S. Melito, Polycrates, univerſi Aſiæ Antiſtites, & vis pene innumera hominum præſtantiſſimorum; qui conſuetudinem ſuam non propugnant locis quibuſdam excerptis, non bene contextis, & ſuſpicioſis, ſed coram Pontifice, Concilio medio, atque in Epiſtolis, nullo modo ſuſpicione notandis. Nihilo ſecius, ſervente licet diſſidentia tam firma & diuturna, duorum videlicet ſæculorum, vetuſta Eccleſiæ Traditio defenditur, & anathemate feriuntur quicumque impoſterum contradicerent.

Euſeb. l. 3 Hiſt. c. 33. Hieron. in Catal.

Quem præterit, Papiam Epiſcopum Hierapolitanum diſſeminaſſe latius opinionem, vel potius celebre commentum antiquitatis de temporaneo Jeſu Chriſti Regno, quem in terras deſcenſurum ponebant mille ante Judicium annis, ut Electos omnes poſt Reſurrectionem in Urbem Hieroſolymam cogeret, eoſque totidem annos omnibus, quotquot fingi animo poſſunt, deliciis eo loci affluere faceret?

Patres multi in ſententiam venerunt *Millenariorum. Iren. l. 5. adv. Hær. c. 32 & ſeq.*

Quot illuſtres priſcique Eccleſiæ Patres pro errore iſto pugnarunt? S. Juſtinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem. Irenæus non modo ſuſcepit, ſed illum probare ſtudult loco quodam Iſaiæ, indoctorumque atque hæreticorum nota inurit eos, qui opinioni huic refragari auderent.

Tertull. l. 3 c. 24.

Tertullianus adverſus Marcionem, S. Victorinus Pictavienſis Epiſcopus in

Laſt. l. 7. divin. Inſtit. c. 21. 26.

Africa, ut autor eſt S. Hieronymus; Lactantius, Sulpicius Severus, aliique multi inter Antiquos ſummi Viri hunc errorem propugnarunt. Quæ tot Scriptorum Eccleſiaſticorum a germana Eccleſiæ Traditione diſcrepantia minori ne robore firmata eſt, quam fuerit alia tributa quatuor fragmentis, abhorrentibus a Traditione de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate? Quemadmodum ſibi videbantur iſti videre in Evangelio S. Joannis, Jeſum Chriſtum obiiſſe eodem die, quo Paſcha celebrandum erat; non ſecus illi vim faciebant pro opinione ſua in capite Apocalypſeos 20.

Error Millenariorum damnatur.

Sed tot tantiſque conatibus non obſuerunt, quominus Eccleſia, nulla Scriptorum Eccleſiaſticorum iſtorum, vel argumentorum ſuorum habita ratione, vetuſtam Eccleſiæ Traditionem ad Fidem pertinere pronunciaverit.

Diſputatio de Baptiſmate Hæreticorum.

Nemo unus ignorat Diſputationem, ſub initium III. Sæculi exortam de Baptiſmate Hæreticorum, quantaque animi contentione fuerit agitata. Agrippinus Epiſcopus Carthaginenſis, Firmilianus Epiſcopus Cæſareenſis in Cappadocia, S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, S. Cyprianus,

Cyprian. Epiſt. 71. 73. 75. &c.

aliique S. Antiſtites non pauci contenti non ſunt, ſe ſcriptis editis contendiſſe, Hæreticos iterum baptizandos; ſed confirmandæ cauſſa opinionis ſuæ Concilia multa celebrarunt, eamque aperto marte adverſus Pontifices defenderunt? Atqui Afrorum oppoſitio Eccleſiaſticæ Traditioni, quæ quidem longe majoris ponderis eſt, atque illa quatuor fragmento-

rum,

rum, efficere ne potuit, quominus Stephanus Papa tueretur priſcum Eccleſiæ morem, eumque ſtatueret in Concilio, quod diremit quæſtionem hanc, & veterem Traditionem ad Fidem ſpectare declaravit? Nullam igitur veri ſpeciem habet, quatuor memorata fragmenta, licet eorum revera Patrum eſſent, quorum vocabulis inſigniuntur, poſſe fulmina Eccleſiaſtica morari, aut ſuſtinere; ſi controverſia utrum nec ne Jeſus Chriſtus poſtremum Paſcha celebraverit, res eſſet ad Fidei Traditiones ſpectans: quod in hac Diſſertatione haud expendo, Criticis quippe finibus circumſcriptus, ut ad Lamii conſilium me referam, qui vult, quæſtionem hanc neque ad Fidem, neque ad bonos mores, ſed ad hiſtoriam tantummodo ſpectare: quod tamen non prohibet, quin illam diſcutiamus ſecundum Theologica principia, & tanquam rem a Religione minime alienam. Porro ſi probare utique poſſemus, quod multi operis non eſſet, quæſtionem de Veteri Paſchate Dogma Catholicum efficere, adeoque de illa poſſe Eccleſiam judicium ferre, quandoquidem ſatis eſſet in hac Traditione fundamenti: tum, inquam, autoritas quatuor fragmentorum, ab autore Chronici Paſchalis laudatorum, tanti non eſſet, ut Eccleſiæ judicium ſuſtineret; cum modo cognoverimus, graviores longe alias oppoſitiones Eccleſiæ fulmina non repreſſiſſe.

S. Aug. contra Donat l. 2. c. 9. l. 3 c. 2. Vincent. Lirin. in Commonit. cap. 9.

Quatuor fragmenta tanti non ſunt, ut ſiſtant Eccleſiaſticas cenſuras.

ARTICULUS VII.

Expoſtulationes aliquæ Lamii omni ſtudio tolluntur.

» NON eſt nobis negotium, inquit Lamius, de re, quæ vi Traditionis diſſolvenda ſit; & quamvis hujuſmodi eſſet, ex opinionis multitudine non efficitur, rem ullam Traditionem eſſe. Quemadmodum etenim ſcribit S. Athanaſius Magnus: Quid poteſt multitudo, bonis argumentis haud ſubnixa, quam terrere? Perſuadere certe non poteſt. Ecce notio Traditionis, quam animis noſtris conſignare debemus. » Idque centies inculcat, videlicet in quæſtione Paſchatis diſſolvenda, non eſſe cur ad Traditionem confugiamus.

Quæſtio hæc Traditionis vi decidenda non eſt.

Tract de Paſch. 2. p. c. 1. pag. 299.

Adnotavimus ſuperius, multifariam dividi Traditiones, neque omnes Religionem attingere, ſed non paucas a fide ſolum humana pendere. Æquidem novi, eruditum Criticum noſtrum, ubi conqueritur quod quæſtionem de Paſchate Traditionis autoritate dijudicare velimus, intelligendum eſſe de Traditione Fidei & morum: quo plane intellectu jure & merito conqueritur. Verum nihil ne eſt, præter res ad Fidem

Facta multa una dirimi Traditione poſſunt.

aut mores ſpectantes, quod definiri Traditione poſſit ? Quot ſunt hiſtoriea Facta, licet Religioni haud affinia, tamen una Traditionis via enucleata ? Cujuſmodi certo certius dixerim eſſe quæſtionem de Paſchate, quam deeernere nonniſi Traditione poſſumus; non tamen ea Traditione, cujus modo nobis Lamius notionem exhibuit, & ſita eſt *in opinione multitudinis, quæ terrere poteſt, perſuadere non poteſt.*

Num inquiet, Traditionem Patrum de poſtremo Paſchate, quorum loca retulimus, quæque tot Eruditorum ſuffragio fulta eſt, non eſſe niſi opinionem multitudinis? At ſi Traditio conſtanter adeo firmata, non eſt dicenda niſi opinio multitudinis, inter vulgi rumores recenſenda; in quem porro ordinem rediges opinionem Lamii?

Tract de Paſch. cap. XI. pag. 191. Audiamus illum. „ Arctiſſimo vinculo nectuntur Paſcha & Pente-
„ coſtes. Quare ſi poſſemus ſcire, quo die hæc occurrerit anno, quo mor-
Lamius ad Traditionem confugit. „ tuus eſt Chriſtus Dominus; teneremus pariter diem, in quem eodem
„ anno Paſcha ineidit. Opinio autem Eccleſiæ communis eſt, Spiritum
„ Sanctum Pentecoſtes die ſuper Apoſtolos deſcendiſſe. „ Hinc vides Paſchatis diem a die Pentecoſtes pendere, illine Lamium a Traditione Eccleſiæ communi præſidium petere, ut ſtatuat, Pentecoſten eo anno in
Ibidem pag. 196. diem Dominicum iocurriſſe. „ Credidit antiquitas uoiverſa, ſubdit, de-
„ ſcenſum hunc quinquageſimo a Reſurrectione die, proindeque Domi-
„ nico, contigiſſe: quæ conſtans eſt Eccleſiæ ſententia, Conciliorum
„ doctrina, & Eccleſiæ Traditio, ut probat Cardinalis Baronius * . „

Traditio de Paſchate & de Pentecoſte. Ceterum Traditio hæc non eſt profecto communis adeo, & firmiter conſtituta, quam illa, qua nos aſſerimus, Jeſum Chriſtum, pridie quam morti traderetur, Paſcha feciſſe. Hic nanque doctiſſimus Cardinalis roborat Traditionem hanc teſtimoniis Autoris Conſtitutionum, S. Auguſtini, S. Leonis, S. Iſidori, & ſextæ Synodi. Atqui, quod eſt Autoris Conſtitutionum, liquet eum modicæ autoritatis eſſe. Locus S. Auguſtini depromtus eſt e Sermone 154. *de tempore*, qui in dubiis ponitur a Lovanienſibus, atque a recentioribus Cenſoribus in certo adulterinis. Propterea Traditio hæc non eſt tam firmiter recepta, ut ſibi perſuadent; neque conferenda cum illa tot Autorum Eccleſiaſticorum, teſtantium, Jeſum Chriſtum eomediſſe poſtremum Paſcha. Ae ſi daremus libenter, utraſque propugnatores habere ejuſdem dignitatis: quid eſt, Lamium nos cogere velle, ut recipiamus Traditionem, opinioni ſuæ momentum afferentem; aliamque de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate perhibentem mordicus rejicere? Intereſt itaque eum fateri, Traditionem Eccleſiæ, de rebus quoque Re-

* *Facta hæc eſſe die Dominica, Sanctorum Patrum aſſertio, Sanctorum Concilior m Canones, Eccleſiaſtica Traditio firmant*, Baron. ad ann. 34. num. 234.

ligio-

ligionem non attingentibus, diſſolvere poſſe quæſtiones aliquas; vel ab hac Traditione recedere, qua ſtatuit, Pentecoſten cum die Dominico concurriſſe.

Traditiones Judæorum incertiſſimæ.

Denique mirari ſubit, cur Lamius vehementer adeo inclamet adverſus Patrum atque Eccleſiæ de poſtremo Paſchate Traditionem: interim dum idem ipſe aliis non munit fundamentis articulos opinionis ſuæ multos, præterquam moribus Judæorum, Miſena, Talmude, Rabbinorum teſtimoniis; nimirum Traditionibus, in hiſce Libris collectis, vel ab id genus Scriptoribus narratis. Quis melius, inquiet, nationis alicujus mores calleat, quam ejuſdem nationis ſapientiſſimi? idque eo magis quo res hujuſmodi Traditione ipſa ſervatæ ſunt? At vero quis neſciat, Templum jampridem everſum fuiſſe ſæculis non paucis, antequam Traditiones iſtas Rabbini litteris commendarent; & pleraſque ceremonias ad Paſcha ſpectantes, jandiu ſublatas obſoleviſſe? Denique quaeunque autoritate Judaicas Traditiones præſtare velis, nunquam tamen ea erit, quæ eum Patrum, Eccleſiæque, pro extremo Jeſu Chriſti Paſchate pugnantium, autoritate certare poſſit.

Alia Lamii querela delato Concilio Tridentino. *Tract. de Paſch. P. c. 2 pag. 396 & 397.*

Expoſtulat nobiſcum ſecundo Lamius, produci a nobis adverſus opinionem ſuam Concilii Tridentini locum, in quo legimus diſertis verbis, Jeſum Chriſtum *celebrato veteri Paſchate* Euchariſtiam inſtituiſſe. „ Animadvertendum, inquit, erat, verba hæc duntaxat eſſe in Capitibus „ Concilii, quæ complectuntur privatam Doctorum illorum doctrinam, „ qui Synodo interfuerunt. Quoties autem ad veritatem ſcribimus eo„ dandam, non deberemus in argumentis proferendis, illorum pretium exce„ dere; & quoties levia ſunt, monere. Exploratum cuique eſt, induci „ nobis neceſſitatem credendi Canonibus duntaxat, in quibus hæreſes di„ ris deprecationibus defiguntur. Porro locus hic extra Canones eſt. „ Alia quoque deinceps addit, quæ minore ab eo veneratione coli Concilium iſtud indicarent; niſi alias ſummi erga ſanctum hunc Tridentinum Cætum obſequii ſpecimen daret, & per ſeſe verba illa correxiſſet, quæ tum ipſi exciderunt.

Lamii confeſſio ingenua & laude digna.

Neque etenim eruditi hujus Oratorii Præsbyteri modeſtiam & ſinceritatem meritis unquam laudibus honeſtare potero ſuper reſponſo, quod verbis dederat Concilii Tridentini. In parergo Tractationis de Paſchate addit *Errata* expoſt facto, in quibus hæc habentur. „ Equidem mihi viſa „ fuerat optime conſtituta opinio, qua ſcripſi ſolos Tridentini Concilii Ca„ nones ejuſdem deciſiones continere; At iis, quæ mihi ante oculos objice„ re placuit Epiſcopo Meldenſi*, perſuaſus ſum, ut ſentiam, quemadmo„ dum Canones damnant, quæ credenda non ſunt, ita Capita præeeden„ tia docere, quæ credenda ſunt. „ Cum vero poſuerit *Erratum* hoc, diſtra-

* *Boſſuetio.*

diſtractis jam pleriſque exemplaribus, atque in parvo duntaxat eorum numero reperiretur, Lamius illud rurſus in fine Reſponſionis ad Autorem Apologiæ Arnaldi, & Bouhours collocavit.

pag. 77.

Lamius opinionem ſuam funditus evertit.

Ceterum quam explicatio hæc vim habet mitigandi propoſitionem ſuam, tam videtur ſuam item ſententiam evertere. Si nanque inducitur nobis neceſſitas credendi ea ratione, qua ſibi perſuadet credendum eſſe illis, quæ in Tridentini Concilii Capitibus continentur, quis poterit tueri, Jeſum Chriſtum pridie mortis ſuæ Paſcha Legis non obſervaſſe, cum apertis planiſque verbis id teſtetur Synodus, & de hoc loquatur eo Capite, tanquam de opinione in Eccleſia Latina recepta, ut fateri profecto neceſſe eſt? Porro ſi reclamet, id nullo modo ſtatuere, Chriſtum per ſe ſe Paſcha celebraſſe, neque id feciſſe eodem, quo Euchariſtiam inſtituit, anno: hoc dixerim citius difficultatem effugere, quam ſolvere. Tandem ſi credere debemus iis, quæ Concilii Tridentini Capita docent, nemini fas erit impoſterum dubitare, an Chriſtus Dominus in pervigilio Paſſionis ſuæ Paſcha celebraverit: adeoque poſt ſolemnem adeo Lamii confeſſionem, quo poteſt adhuc modo opinionem ſua propugnare? Nonne eſſet neceſſe, ut eam revocaret, tanquam iis contrariam, quæ nobis Concilium indicit credenda.

Alia Lamii expoſtulatio de opinione ſua ab antiquitate abludente.

Querimonias tertio Lamius habet cum iis, qui aſſerunt, ſententiam ſuam toti retro antiquitati adverſari. „Evidens eſt, inquit, pro me ſuffragium ferre totam ſine ullo diſcrimine antiquitatem. Non quidem de „ hoc adjuncto, quod Chriſtus Agnum Paſchalem non manducaverit, „ cum non repugnem multos Patres tradere, illum manducaviſſe. Sed „ conſtat, Univerſam Eccleſiam primitivam, quid, inquam, primitivam? Scriptores omnes Eccleſiaſticos ad Alcuinum uſque, Caroli „ Magni præceptorem, ſex Joannis loca non ſecus intellexiſſe, atque ego „ intellexi. Cunctis viſum eſt, Judæos ſecundum Evangeliſtam hunc „ Paſcha peregiſſe die Veneris, quo Chriſtus Dominus in cruce pependit.“

Animadverſ. in Hiſt. Evang. Pezronii pag. 58.

At vero antiquitati perſpectum fuiſſe, vel non, Judæos Paſcha celebraſſe Feria ſexta, non eſt diſputationi noſtræ propoſitum: ſed utrum Jeſus illud impleverit Feria quinta ante mortem ſuam; & propterea antiquitatis univerſæ teſtimonium in Traditionem communem nihil facit. Præterquamquod licet quæſtio hæc antiquitatis totius autoritate dirimenda eſſet, non parum fortaſſe negotii Lamio faceſſeret, oſtendere qua ratione probatum fuerit Scriptoribus omnibus Eccleſiaſticis ad Alcuinum uſque, Judæos Paſchalem celebritatem die Veneris obſervaſſe. Quamvis enim nos certiores faciat „ de ſingulari ſuo in Patrum ſententias ſtudio, „ quod attinet ad res omnes, quibus ulla eſſe poterat cum quæſtione de „ Pa-

In Reſp. ad Epiſt. Tullam. pag. 318.

„ Paſchate cognatio; „ nihilominus eo loco, in quem congerit omnium e primis ſæculis Patrum ſenſa, quæ ſuæ de Paſchate opinioni vel refragantur, vel ſuffragantur, meminit ſolum S. Juſtini, Triphoni exprobantis, quod Judæi in die Paſchatis Chriſtum in Crucem egerint; S. Irenæi ſignificantis, Dominum noſtrum in die Paſchatis vitam dediſſe; S. Cyrilli Hieroſolymitani docentis, Hebræos in Paſchatis diei Feſto Salvatorem neci tradidiſſe; Tertulliani tandem, cujus, magis quam aliorum, perſpicua ſunt verba, cum plane dicat, Judæos occidiſſe Chriſtum, quo die Paſchalem Agnum immolare debebant. Habes eos, qui Eccleſiam primitivam componunt, & in quos tandem deſinant omnes Scriptores Eccleſiaſtici ad Alcuinum uſque, a Lamio laudati. Calmetus eandem ſententiam tribuit Victori Antiocheno, atque Apollinari, qui aperte dicunt, Jeſum Chriſtum crucifixum eo tempore fuiſſe, quo Paſcha immolabatur: cum opus eſſet, Typicum Paſcha in Templo, & verum Agnum in Cruce mactari.

Autores, qui exiſtimarunt, Judæos die Veneris Paſcha celebraſſe. *Tract. de Paſch. a p. c. 6. Ibid. pag. 348. Ibid. pag. 349. Ibid. pag. 351. Ibid. pag. 349.*

Calmetus Diſſ. de Ver. Paſch. in Evang. Matt. Vict. Antioch. Cat. in Marc. Apollin. Catena in Joann.

Hic tamen attendas velim, verbum Paſchatis multa in Scripturis ſignificare. Aliquando Feſti ſolemnitatem, quæ ſeptem dies durabat, atque e primi diei nomine ceteri quoque vocabantur. Eadem vox interdum ſignificat ſacrificia omnia, quæ in Hebdomadæ Paſchalis ſpatio conficiebantur. Quæ cum ita ſint, nonne poſſemus ſecundum aliquam ex his interpretationem explicare loca S. Irenæi, S. Cyrilli, & S. Juſtini, cum dicunt, Jeſum Chriſtum interemptum fuiſſe vel in Feſti Paſchalis, vel in Paſchatis die? Ut ut tamen tres hoſce Patres adderemus Tertulliano, Victori, atque Apollinari, eſt fortaſſe, cur affirmet Lamius, totam retro antiquitatem ſine diſcrimine exiſtimaſſe, Judæos peregiſſe Paſcha die Veneris, quo Chriſtus Dominus in Cruce pependit.

Quidquod ſi Judæi Paſcha celebraſſent die Veneris, decimaquinta Menſis Niſan, eſſet ne maximopere admirandum, eos Legem violaſſe, qui ſibi ducebant Religioni, niſi ejuſdem Legis autorem in Crucem ſuſpendiſſent? Fidem ne ſuperat, eos furore ſummo actos in Mundi Servatorem, non potuiſſe hoc munus implere tempore præſtituto, atque in craſtinum diſtuliſſe, ut placuit Chryſoſtomo *. Sive potius multos, ex Epiphanio, Paſcha duos dies antecæpiſſe anno mortis Chriſti; & religioſiores in ſextam Feriam diſtuliſſe? Peritiſſimi certe Critici non pauci horum poſtremorum ſæculorum opinati ſunt, Jeſum Chriſtum Paſcha celebraſſe die Jovis, Judæos autem veſpere diei Veneris.

Epiph Panarii hær. 52.

* *Non enim Chriſtus tranſgreditur Paſcha tempus, ſed Judæi, qui omnia præſumunt, Chriſtum conculcant & leges; quia diligenter ſervabant furore, & ſæpe cenantes interficere, non valuerunt; tunc accipientes ipſum exinſperato, voluerunt etiam Paſcha dimittere, pro homicida ſua voluntate implenda*, Chryſ. hom. 84. & 85. in Matt.

Po-

Poſtremo loco, ſi Judæi Paſcha comederunt die Veneris, qui revera dies eſſet hujus æſui præfixus, num oportebit fateri, celeberrimorum Patrum totius antiquitatis Græcorum & Latinorum agmen turpiter adeo captum fuiſſe, non ſecus atque Patres Concilii Tridentini, aſſerentes, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis celebraſſe? Illud ſaltem profiteri oportebit, ſi Judæi fideliter Legem impleverunt, illam Salvatorem fuiſſe tranſgreſſum & tempus Legi huic deſignatum maturaſſe. Quod revera diſcrepat a Chryſoſtomi ſententia, ut nihil magis. *

Alia conqueſtio Lamii. *Animadverſ. in Hiſt. Paſchal. pag. 60.*

Sequitur alia conqueſtio Lamii. „ Qui contra me, ait, ſcribunt, & „ conſentiunt, non potuiſſe Chriſtum prævertere celebrationem Paſcha„ tis, iidem fateantur, neceſſe eſt, & putaſſe Patres, Judæos illud non „ immolaſſe ante horam, qua Chriſtus Cruci ſuffixus orat: adeoque do„ ctrinam ſuam undequaque propugnari non poſſe. Quæ confeſſio, „ ſubdit, ab ingenua fide imperata, oculos iis detergeret, qui præju„ dicata opinione ducti, doctrinam meam a Sanctorum Patrum doctrina „ abhorrere dictitant. „

Enimvero qui vult Lamius, adverſarios ſuos hæc profiteri, dum idem ipſe fatetur, pleroſque Patres ea mente fuiſſe, ut crederent, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis non omiſiſſe decimaquarta Luna Menſis Niſan: adeoque, ſi Judæi eodem die illud non peregerunt, dicendi ſunt in poſterum prorogaſſe, qui decimus quintus Lunæ primi Menſis erat. Immo quamvis pro ſententia hac quinque aut ſex Patres haberet, qui ſcriberent, Jeſum Chriſtum in Crucem ſublatum fuiſſe eadem hora, qua Judæi Paſcha comederunt; non omnes tamen indicant, illum fuiſſe verum diem, quo perficiendum erat. Non renuo itaque, quinque aut ſex Scriptoribus Eccleſiaſticis placuiſſe, Judæos Paſcha celebraſſe, hoc eſt Agnum, vel victimas comediſſe die, quo Chriſtus vivere deſiit: at illud vertimus in quæſtionem, nonne Patres illi omnes ſenſerint, diem Veneris fuiſſe eo anno diem, Paſchati peragendo a Lege præſtitutum.

Patres non dixerunt, Jeſum Chriſtum tranſgreſſum Legem fuiſſe.

Compertum profecto eſt, hanc non fuiſſe plerorumque Patrum Græcorum & Latinorum ſententiam, a quibus didicimus, Jeſum Chriſtum obſervaſſe Paſcha legitimum; & tantum abeſt, ut aſſerant, eum contra Legem commiſiſſe, vel diem anticipaſſe, ut ex adverſo affirment potius, Paſcha perfeciſſe Luna decimaquarta. Hi omnes igitur Patres ſtatuere non potuerunt, Judæos die Veneris Paſcha manducaſſe, eumque verum a Lege præfinitum diem fuiſſe, quin ſupine pugnantia dicerent. Si nanque per eos Jeſus Chriſtus Paſcha recoluit Luna decimaquarta Menſis Niſan, vel Judæi legem violarunt, vel Patres voce Paſchæ Vi-

* *Non ergo Paſcha anticipavit; ſed tempore & modo cuncta conſummavit.* S. Joann. Chryſ. Hom. in Joann.

ctimas Paſchales, non vero Paſchalem Agnum ſignificare voluerunt.

Quare, qui Lamianæ ſententiæ opponuntur, jure ſecum agunt, eum doctrinæ Patrum eum refragari contendunt. Quid etenim proficere poteſt querimonia illa ſua, niſi ut colligat, quod non negamus, Patres ſcilicet aliquos, teſtimoniis incertiſſimis, favere opinioni ſuæ ſuper eapite; hoc loci minime controverſo; cum in eum impetum faciant plures & clariores Eccleſiaſtici Autores de Facto præcipuo, atque hujus Diſputationis argumento?

Quæ cum ita ſint, quo fieri modo poterit, totam ſine ullo diſcrimine Antiquitatem, omneſque Eccleſiæ ad Aleuinum uſque Scriptores, ut ait Lamius, ſex Sancti Joannis loca ita intellexiſſe, ut illa ſe intelligere jactat; ſi plures Patres, ipſo non diſſentiente, clare docent, Jeſum Chriſtum manducaſſe Agnum Paſchalem, atque ipſe ex interpretatione locorum iſtorum efficit, Jeſum Chriſtum poſtremo Paſchæ operam ſuam non dediſſe? Quamobrem ſi Jeſus Chriſtus Agnum Paſchalem comedit Luna decimaquarta Menſis Niſan, ut Græcorum Latinorumque Patrum turba teſtatur; unde erit, totam retro ſine ullo diſcrimine Antiquitatem exiſtimaviſſe, Judæos Paſchatis ceremoniæ incubuiſſe die Veneris: niſi ratum habuerit, eos Luna decimaquarta hunc ritum minime ſervaſſe, vel Paſchæ nomine intelligendas eſſe victimas, eo tempore immolari ſolitas, atque ab Evangelio Paſchæ vocabulo ſignatas? *Antiquitas tota non favet Lamio.*

„ Qui me aggrediuntur, rurſus urget Lamius, quique volunt, Je-
„ ſum Chriſtum enmediſſe Agnum Paſchalem veſpere diei Jovis, immo
„ eodem tempore, quo Judæi, iidem non poſſunt a Patrum doctrina non
„ recedere. Quid itaque intereſt inter illos & me? Nihil, niſi eos ablu-
„ dere a Patrum mente de re præcipua & Religioni neceſſaria; me au-
„ tem propugnare duntaxat, Patres non ſatis quoddam minimi momen-
„ ti factum examinaſſe. „ *Poſtrema Lamii querimonia. Lamius ubi ſupra.*

Non negarim, adverſarios Lamii, ut Latinæ Græcæque Eccleſiæ Traditionem tueantur, adduci vel invitos ad deferendam doctrinam nonnullorum Patrum, quorum loca maxima laborant ambiguitate, atque affirmant, Judæos Paſcha Legis die Veneris comediſſe. Magnum igitur inter eos diſcrimen eſt, qui ſentiunt, Jeſum Chriſtum Luna decimaquarta Menſis Niſan, quæ in diem Jovis inciderat, Paſcha Legale celebraſſe; & Lamium, qui autor eſt, Judæos idem Paſcha inſequenti die Veneris comediſſe. Priores nanque per eum *abludunt a Patrum mente de re præcipua & Religioni neceſſaria*; cum ex adverſo ipſe contendens, Jeſum Chriſtum Cruce affectum fuiſſe eodem tempore, quo eſui Paſchæ Judæi incubuerunt, proindeque in pervigilio Mortis illud non impleviſſe; ipſe, in-

quam, *propugnat duntaxat, Patres non ſatis quoddam minimi momenti factum examinaſſe.*

Lamius novum Religionis caput inducit.

Qua in re ſit ſane ſimile vero, Theologos gratias acturos Lamio, quod ab ipſo perceperint, quæſtionem, utrum Judæi Paſcha comederint tempore, quo Jeſus in Cruce pendebat, caput eſſe rei præcipuæ, Religionique neceſſariæ; atque ab errore liberati ſint, quo detinebantur, ut crederent, factum de poſtremo Jeſu Chriſti Paſcha alicujus momenti eſſe. Perſuaſum ſit ergo Criticis & Theologis omnibus, futurum, ut quotiçs tuebuntur, Jeſum Chriſtum Paſchæ Legis vacaſſe die Jovis ante mortem ſuam, qui erat quartusdecimus Menſis Niſan, idque rei ſtatuent ſuffragiis tot Græcorum Patrum & Latinorum, Concilii Tridentini, Eccleſiæ, & omnium, quotquot ad hanc diem fuerunt, Eruditorum; tum ſe, ex Lamii dictis, tempus terere in negotio nullius momenti: adcoque in ipſius poteſtate eſſe, cunctorum teſtimoniorum iſtorum ponderi ſe ſubducere uno verbo; nimirum quod ipſe propugnet, omnes Patres iſtos ac Concilium Tridentinum *non ſatis quoddam minimi momenti factum examinaſſe.*

Cum vero ſapientes hujus Oratorii presbyteri adverſarii ſuſcipient oſtendere, Judæos manducaſſe vel manducare debuiſſe Agnum Paſchalem die Jovis, qui erat Luna Menſis Niſan decimaquarta; aut ſi in Veneris diem Paſcha diſtulerunt, eos ſive Legi non paruiſſe, vel nomine Paſchæ intelligendas eſſe victimas, quæ in Azimorum Feſto mactabantur; tum noverint, ſe a Patribus deficere *de re præcipua & Religioni neceſſaria.*

Diſſertationis Concluſio.

Si audiendi eſſent P. Lamii adverſarii, cogeretur hic fateri, opinionem ſuam falſam eſſe, & propugnari nullo modo poſſe. Si vero conſulendus Criticus iſte eruditus, planum fiet, eum admiranda fiducia ſententiam ſuam proferre; immo ſibi videri adeo veritatem pro ſe pugnantem videre, ut iis, qui contra ſcripſerunt, faciens ſatis, jactare ſoleat, ſe in tam perſpicuo lumine poſuiſſe quæſtionem iſtam, ut alios ſe dedere tandem oporteat, atque a communi diſtractos in ſuam ſententiam concedere. Quanquam autem nolim ullo pacto de hoc pronunciare, mihi videor tamen dicere poſſe citra utriuſque Partis offenſionem, ſi priſcæ Traditionis Defenſores non ſatis, quam par eſſet, Lamianæ vendicent opinioni, hunc tamen illi magis, quam par ſit, vendicare.

Eruditorum itaque judicium erit, utra ex his opinionibus probabilior ſit, poſtquam ea, quæ in hac Diſſertatione utrinque retuli, diligenti tru-

trutina penſitaverint. Ego aperte quidem teſtor, me ſtuduiſſe, ut nihil me fugeret eorum, quæ vetuſtæ Traditioni prodeſſe poterant, quam propugnare aggreſſus ſum ex Operis mei inſtituto, nullique obnoxius viæ & rationi, quam iniverint Litterati Viri, ut Evangeliſtas de poſtremo Paſcha conciliarent, vel oſtenderent hoc in pervigilio mortis Jeſum Chriſtum celebraſſe: neque enim putavi, tutius poſſe me quatuor Evangeliſtas in eundem cogere ſenſum, quam Traditionis omnium ſæculorum conſulto; non tamen contemto tot clariſſimorum Criticorum labore, qui diverſæ plane viæ inſtiterunt.

Quod eſt opinionis P. Lamii, omni ſtudio conatus ſum, ut fideliter narrarem, quidquid illi ſtatuendæ firmius eſſe exiſtimavi. Obviam pariter ivi pro mea facultate iis omnibus, quæ objecit ſolidiora in communem Traditionem; & fortaſſe principiis ipſum ſuis oppugnavi hactenus, ut ea ſaltem concuſſerim. In id præſertim curam omnem impendi, ut multa conſiderarem, que attinent ad Chronicon Paſchale, atque ad antiquorum Patrum loca, quæ in ejuſdem Chronici procœmio poſita ſunt. Ac ſi rectæ ſunt animadverſiones meæ, non parum detrahent de vi præſidii illius, quod putant a quatuor Fragmentorum illorum teſtimoniis comparare. Illud certe, aut ego fallor, inficiari nemo poterit, veterum Scriptorum iſtorum ſuffragia ſuſpicioſa eſſe atque ambigua. Porro ubi aliquando ſuſtulerimus a novæ opinionis propugnatoribus autoritatis illorum ſubſidium, poterimus tum ſane validiori conatu in eos ferri. Neque etenim illud ſaltem purgare poſſent, id fuiſſe ad ſextum ſæculum uſque inauditum. Intereſt itaque Sapientum iſtorum caput hoc probe enucleare; atque extra aleam ponere, Præfationem Chronici Paſchalis criminari nullo modo poſſe, & animadverſionum quoque mearum habita ratione, loca Patrum illorum omnem ſuſpicionem evadere.

Neſcio tandem, utrum ea, quæ pro veteri Traditione hic congeſſi, videbuntur Lectori ſatis, ut admodum probabilis cenſeatur. Si ita erit, voti compos effectus ſum; neque etenim ulterius ſpecto. Multo vero minus animus fuit, tanquam falſam vel non probabilem rejicere opinionem contrariam; ſed potius eam ipſi ſimilitudinem veri ſervare, quam habere poteſt, tum quoad Veterum teſtimonium, quodcumque illud ſit, ſive conſtans, ſive dubium; tum etiam quoad argumenta autoritatemque Sapientum illorum, qui Facti hujus hiſtorici patrocinium ſuſceperunt.

DISSERTATIO IV.

De Uſu Panis Azymi in Eccleſia Latina.

TRaditione conſtanti inſtituti ſumus, ut ſuperiore Diſſertatione probatum fuit, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis celebraſſe pridie quam moreretur, ſcilicet die quartodecimo Menſis Niſan, & primo Azymorum, in quibus interdictus erat omnis fermentati panis uſus. Cum igitur tum in Menſa Chriſti azymus duntaxat panis eſſet, perſpicue fit, eum ſecundum vulgatam Patrum Eccleſiaſticorum opinionem panem azymum adhibuiſſe, in quo ſacram Euchariſtiam inſtitueret.

Fateri tamen neceſſe eſt, hoc Domini noſtri exemplum nequaquam impoſuiſſe Eccleſiæ legem ejus imitandi. Neque item ſpeciem habet, Jeſum Chriſtum habuiſſe conſilium adſtringendi Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, ut in Sanctis Myſteriis celebrandis azymum panem fermentato anteferrent: ſed potius ſummum hac de re Eccleſiæ Catholicæ arbitrium reliquiſſe. Propterea factum eſt, ut per Concilium Florentinum integrum eſſet unicuique Sacerdoti id ſervare, quod in Eccleſia ſua, tum Occidentali, tum Orientali, conſuetudine receptum erat. Id autem ita perſuaſum fuit Viris poſtremorum temporum Litteratis, ut exiſtimaverint, ſalva Religione, poſſe ſe in judicium vocare, utrum panis azymus adhibitus perpetuo fuerit ab Eccleſia Latina; vel octo priorum Sæculorum intervallo fermentatum panem in Chriſti corpus converterit. Atque iſtud proponitur nobis hac Diſſertatione enucleandum.

Concil. Florent. Seſſ. ult.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De illis, qui Azymorum in Eccleſia Latina Uſum vel propugnarunt, vel oppugnarunt.

POST Græcorum Schiſma nemo unus dubitaverat de communi Azymorum opinione, quibus uſa eſt Eccleſia Latina in Sacramenti Euchariſtiei conſecratione: donec anno 1651. celeberrimus Sirmondus in lucem edidit Opuſculum, in quo contendit, non modo Eccleſiam Græcam, ſed Latinam quoque ſæculo non uno in Sacrorum Myſteriorum uſu panem fermentatum uſurpaſſe, & panis azymi uſum poſt octingentos ferme annos obtinuiſſe. In eandem ſententiam venerat Launojus, & pro ipſa Tractationem jamdudum ſcripſerat. Cardinalis vero Bona, qui in eandem quæſtionem tum inſudabat, ſentit, ante IX. Sæculum Eccleſiam Latinam pane azymo & fermentato promiſcue uſam; ſed poſt Photii ab ejus obedientia defectionem, cæpiſſe fermentum penitus abjicere, atque Azymos duntaxat amplecti. Cum quo facit Bocquillotius Presbyter, Juris utriuſque Doctor, Canonicus Aballonicenſis, & ſtudioſiſſimus Evangelii Præco, edito anno 1701. Tractatu hiſtorico de Sacra Liturgia, ſive de Miſſa. Claudius tandem Vertius exiſtimavit, fermentatum panem aliquando apud Eccleſiam Latinam in more poſitum.

Prima ſententia de Azymis.

Secunda ſententia Bona l. 1. Rer. Liturg. c. 23.

Bocquillotius in Liturgia Sacra. Gall.

Explicat. Ceremon. Eccleſiaſt. Tomo 1. 2. Edit. c. 2 pag. 2 Gall.

In fronte Tertii Sæculi Actorum Sanctorum ex Ordine Sancti Benedicti extat erudita Præfatio, rebus confecta ſumma animadverſione dignis tum de Eccleſiaſtica Hiſtoria, tum de Profana, inter quas Mabillonius quæſtionem de Pane Azymo inſtituit; atque affert argumenta multa, ut probet, illum ante Photii Schiſma uſitatum in Eccleſia Latina fuiſſe, adverſus præjudicatam Sirmondi & Bonæ opinionem. Hic porro cum legiſſet Mabillonii animadverſiones, Epiſtolam ad eum dedit; qua ſummatim, ſed firmiter, objectis reſpondet in hac Præfatione contentis, illumque hortatur, ut controverſiam hanc rurſus exagitet.

Quod profecto eruditum hunc Benedictinum induxit, ut in rem hanc Diſſertationem conſcriberet, Typis commiſſam anno 1675. in qua contendit, panem azymum tantum adhibuiſſe ſemper Eccleſiam Latinam, hujuſque panis uſum ante Græcorum Schiſma paſſim invaluiſſe. Interea tamen dicit, haud abhorrere a veri ſpecie, Apoſtolos in Re divina faciendа promiſcue azymo & fermentato pani dediſſe locum: & S. S. Patres, qui Eccleſiaſticam Diſciplinam primi inſtituerunt, ratos, Dominum noſtrum

Tertia ſententia.

Mabill Diſſ. de Azymo.

ſtrum in Euchariſtiæ Inſtitutione panem azymum præ manibus habuiſſe, hoc pariter nos uti æquabilitatis ratione, ſanxiſſe: Contra vero Græcos putantes ſe non teneri obſervantia rei ab Judaicæ Legis conſuetudine manantis, maluiſſe uti pane communi & fermentato. Quam Mabilonii opinionem Lupus quoque Doctor Lovanienſis amplexatus eſt.

Lupus Tomo 3. Scholiis Decr. & Can. Conc. Diſſ. de Actis Leon. IX. cap. 5 uſque ad XII.

Ciampinus, Pontificiorum Diplomatum Scriptor capitalis, in Opuſculo de Diſciplina Eccleſiaſtica tuetur, Eccleſiam Romanam perpetuo more azymum panem conſecraſſe; in quo differt a Mabillonio, qui Apoſtolis indiſcriminatim utriuſque panis uſum attribuit.

Ciampini conjecturæ de perpetuo Azymorum Uſu.

Quod ſi momenti quidpiam habere poſſent Acta Martyrii Alexandri I. Pontificis, & quoddam Decretum ipſi adſcriptum, opiniones hactenus memoratæ nullo modo defendi poterunt. Cum etenim, ut ferunt, Pontifex hic primus fuerit, qui panis azymi uſum in Eccleſiam Romanam inveheret: *Alexander Papa præcepit, ut oblatio ex Azymo fieret* ..... Propugnatores Azymorum nequeunt probare, Eccleſiam Latinam temporibus Apoſtolicis, neque ad annum uſque 109. quo Pontifex hic S. Evariſtum excepit, Azymis uſam fuiſſe; quandoquidem ante Pontificem hunc uſitatus erat panis fermentatus: *Non autem ex fermentato ut antea, fieri mandavit*. Idem Decretum ab imo pariter ſubvertit opinionem eorum, quibus placet, panem fermentatum in Eccleſia Latina adhiberi conſuevisſe ad exitum ferme ſæculi noni. Ceterum cum Decretum hoc deſideretur in veteribus & genuinis ejus Martyrii Actis, primuſque omnium Martinus Polonus, poſt decem vel undecim Sæculorum ſilentium, de illo meminerit, nihil eſt, quod labenti adeo fundamento innitamur.

Opinio Theologorum atque Hiſtoricorum Martinus Polonus in Chron. ad ann. 132. Platina de Vitis Pont. in Vita Alex. I.

Hujus tamen Decreti ſuppoſititii Alexandri I. S. Pontificis, atque alterius Leonis Papæ teſtimonio certum eſt, Scholaſticos & quoſdam Hiſtoricos exiſtimaſſe, utramque Eccleſiam Græcam & Latinam, exemplum Jeſu Chriſti imitatas, in Azymis Sacra Myſteria confeciſſe, donec Ebionitæ, Veterem Legem cum Evangelio permiſcentes in ſacrificiis ſuis panem ſine fermento adhibuerunt. Poſt cujus Hæreſis ortum, inquiunt, utræque Eccleſiæ Orientalis atque Occidentalis, ut ab Ebionitarum placitis ſe abhorrere indicarent, a ſancto Miſſæ Sacrificio Azymos removerunt, atque in fermentato ſolum ſacra fecerunt. Hæreſi vero diſſipata Eccleſia Latina ad Azymos rediit, Græca vero morem alium jandiu inveteratum retinuit, utendi ſcilicet fermentato. Quæ quidem opinio difficillimos habet explicatus, nec tamen aliquo veriſimili argumento fulcitur. Eapropter nihil ſolliciti fuerunt ætatis noſtræ ſtudioſi, ut illam proſternerent, cum ipſa tantum facti narratione refutetur.

Alenſis in 4. quæſt. 12. S. Bonav. S. Thomas in 4. Diſt. XI. quæſt. 2. Durandus in 4. Diſt. XI. quæſt. 4. Scotus in 4. Diſt. XI. quæſt. 2.

Hæ ſunt præcipuæ ſuper controverſia de Azymis ſententiæ, quæ ſa-

ne

ne non parum monent, quanti operis ſit, hac de re conſilium capere, vel quidpiam producere, quod omnino probetur. Quod ſi poſt tot Litteratos Viros diſputationem hanc rurſus attingo, propterea non eſt quod exiſtimem, eam me poſſe diſſolvere: eum potius me perbeatum prædicabo, ubi potuero conjecturas aliquas afferre, quæ ipſorum eruditionem præterierint; & palam facere, piam hanc Eccleſiæ Latinæ opinionem de pane Azymo, in ſacris faciendis ſemper adhibito, veri ſaltem eſſe ſimillimam.

ARTICULUS II.

Nullus eſt apud Autores Eccleſiaſticos octo priorum Sæculorum exploratus locus, qui Azymorum in Eccleſia Latina uſum probet, aut improbet.

QUI Azymi panis in Eccleſia Latina uſum tueri ſuſceperunt, eos nihil fugit, quod in Scriptorum Eccleſiaſticorum Libris priſcum hunc ritum confirmare poſſet. V. Cl. Mabillonius profert verba S. Cypriani, monentis in Epiſtola ad Cæcilium, Corpus Domini noſtri conſecrari non poſſe in farina & aqua tantum, ſed copulandas eſſe. Nihil de fermento habet, inquit Mabillonius, ſed farinæ duntaxat & aquæ meminit; hic itaque panis azymus erat. At vero ſi nullam de eo Cyprianus mentionem facit, ideo fuit, quia ad naturam panis, vel Sacramenti materiam minime ſpectat. Quinimmo videtur S. Doctor, de illo loqui voluiſſe verbis iſtis, *adunatum, copulatum, ſolidatum*; fermentum nanque eſt, quod adunat, copulat, & ſolidat.

Loca Patrum, quæ laudat Mabillonius pro Azymis.

Cypr. Epiſtola 63. ad Cæcil.

Mabil. Diſſ. de Azymo. c. 7.

Ciamp. ubi ſupra c. 5.

Conſuetudo pariter panis azymi nititur duobus locis, altero S. Gaudentii Brixienſis, altero S. Auguſtini, quorum ſenſus eſt, Panem Euchariſticum Fidelium unitatem ſignificare; & quemadmodum panis fit ex granis contritis, commixtis aqua, atque igne coctis; non ſecus Fideles *jejunii humiliatione, exorciſmi Sacramento quaſi moluntur*, aqua conſperguntur, & Spiritu Divino ſanctificeantur. Quis porro dixerit locum hunc rem apprime conficere? Si Divus Auguſtinus Fermentatum non memorat, neque illud excludit. Inſuper, ſive fermento conſtet panis, ſive non conſtet; analogia quadrat eodem modo.

Mabil. & Ciamp. ibidem, Gaud Brix. Tract. 2. de Paſch. Aug. ſerm. 83. de diverſ.

Mabil. & Ciamp. ibidem.

Egbertus Archiepiſcopus Eboracenſis in Anglia, medii circiter VIII. Sæculi Scriptor, affert & approbat Canonem quendam, jubentem Sacerdotibus ita ſe

Egbert. Eborac. excerpt. cap. 85.

ſe gerere, ut panis, vinum, & aqua, quibus utuntur in Sancto Miſſæ Sacrificio, pura & munda ſint. Quod intelligi nequit, inquiunt, niſi de pane azymo, qui panis mundus & purus eſt. Ceterum panis cum fermentatus, tum non fermentatus purus & mundus eenſendus eſt; quoties ex farinæ ſimila conficitur, & furfure, aliiſque idgenus purgamentis haud conſpergitur. Quapropter Græci *panem purum* appellant fermentatum panem, quem in Re divina peragenda adhibere ſolent.

Chronicon Dacii. Mabill. & Ciamp. ibidem.

Locus depromtus e Chronico Dacii, Epiſcopi Mediolanenſis ſub medium ſextum Ævum, ſatis levem poteſt ſufficere probationem; cujus Autor, in Codice extante in Bibliotheca Ambroſiana, narrat, S. Ambroſium quosdam Eccleſiæ Græcæ mores ſervare conſueviſſe, atque in Feſtis ſolemnibus panem fermentatum cum Azymis benedicere. Habes certum profecto pro uſu panis azymi teſtimonium: verum præterquamquod non ſit credibile, S. Ambroſium duplici hoc panis genere uſum in conſecratione Euchariſtiæ; Viri quoque doctiſſimi in ſuppoſititiis habent Tractatum hunc, atque ipſe Mabillonius, a quo producitur in medium, fatetur aperte, ſe non audere de illius autoritate pronunciare *.

Card Bona Epiſtola ad Mab. Alex. Hiſt ſæc. undecimo Diſſ. 2. Cavius Hiſt. Luter.

Quamvis afferat Mabillonius Viſionem cujuſdam Eldephonſi, Epiſcopi in Hiſpania, deductam e Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ; nihilo tamen minus Tractatus hic ſummam ipſi dubitationem parit. Autor etenim perquam obſcure loquitur de multis, quæ ad Euchariſticum panem attinent: videlicet de Inſcriptione *Hoſtiarum*, de magnitudine, de pondere, figura, & numero earum, quæ in variis anni celebritatibus conſecrandæ ſunt. Idem Epiſcopus declarat, hæc ſibi divinitus patefactæ anno 845. Sed ignoramus quinam ſit Autor hic, & cujus Urbis Antiſtes. Quod ſi Hiſpanus erat, Æra Hiſpanica uſus fuiſſet, non vulgata, quæ incipit poſt octo annos ſupra triginta. Convenit tandem, Opus hoc ſuppoſititium eſſe, vel certe maxime ambiguum; & propterea nullum inde commodum poſſumus comparare, ut azymi panis in Eccleſia Latina uſum ſtatuamus.

Mabill. Præmon. in Opuſc. Eldephonſi. Bona ibidem. Alex. ibidem. Diſſ. 2.

Iſidorus Epiſt. ad Redemt. Archid.

Nihil hic memorem de Epiſtola S. Iſidoro tributa, in qua differens de modo præparandi panem, in Chriſti Corpus convertendum, nullum de fermento verbum habet. Verum ſuperquamquod nihil inde colligere licet, quod panis azymi conſuetudini faveat; Epiſtola inſuper iſta ſine ulla dubitatione adulterina eſt; non ſecus atque Tractatus

* *De hujus Cronici autoritate mihi certo pronunciare non licet*, Mabil. Differt. de Azymo c. 6.

in

in Cœna Domini, a Josepho Vicecomite, & Lupo S. Cypriani nomine citatus. *Vicecomit. Observat. antiq. Tome 3. l. 2. c. 9. Lupus c. 7. sua Diss.*

Cardinalis Humbertus scribit, post Synodum VI. Œcumenicam, celebratam Constantinopoli Agathonis Papæ tempore, Imperatorem orasse Legatos Pontificis, ut ab eo suo nomine peterent, quænam esset Ecclesiæ Romanæ institutio de Sancto Missæ Sacrificio; atque ipsos respondisse, reperiri in Actis S. Sylvestri Sanctionem Pontificis hujus, ut panis Sacris faciendis designatus, azymus esset. Quam Sanctæ Sedis Apostolicæ Traditionem, addit Cardinalis, se percepisse gavisus est Imperator. *Humb. in Respons. sive contrad. ad Nicetam.*

In hoc autem testimonio momentum maximum esset ad statuendum Azymorum in Occidente usum post sæculum saltem VII. si de Canonis hujus veritate liquere posset. Atqui non modo suspicione quam gravi, immo falsitate laborat, ut sentit Bona, atque in VI. Concilii Actis non extat; sed Acta quoque S. Sylvestri non referunt Decretum istud. Neque Cardinalis Baronius narrator Disputationis Humberti cum Niceta, cognomento *Pectorato*, & testis de Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ, a quo illam exscripserat, quidquam obfuit, quin Sapientes Canonem istum admodum suspicionum esse censerent. Prætereo tandem loca Veterum alia pro Azymis, quandoquidem vel certo ipsis supposita, vel propositum non efficientia, ut ii ipsi, qui afferunt, fateri coguntur. *Bona Rerum Liturg. l. 1. c. 23.* *Baron. in Append. ad Tom. XI.*

Ostentat Sirmondus, se non leve præsidium sibi quæsivisse in verbis istis Ambrosii: *Tu forte dicis: meus panis est usitatus*. Panis profecto communis, qui plerumque in mensa apponitur, ait eruditus hic Jesuita, panem Azymum non significat; sed contra hæc vox *usitatus* Panem fermento commixtum indicat. Ceterum compertum est, S. Ambrosium vocare panem istum communem, non tanquam oppositum pani azymo, sed pani consecrato, scilicet Corpori Jesu Christi; sive habita ratione ejus, quod verborum sacrorum vi efficitur panis iste, quemadmodum sponte sua reddunt dicta Sancti hujus Doctoris, scribentis: *Panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi*. Quare etiam panis azymus dici non posset panis communis; quandoquidem ex eadem re constat ac fermentatus, & Græci, Romani, aliæque Nationes illum, nihilo quam alterum minus, in mensa adhibebant? Testimonia a Sirmondo prolata. *Disquis. de Azymo c. 2.* *Ambros. lib. 4. Sacram. c. 4.*

ARTICULUS III.

Diſquiritur, quid veniat nomine Fermenti, cujus mentio ſit in Decretis Summorum Pontificum Melchiadis, Syricii, atque Innocentii I.

Aliud Sirmondi argumentum. *Ibid. c. 5.*

INter graviſſima, quæ adverſus Azymorum in Eccleſia Latina uſum intentantur, objecta, illud profecto eſt, quod colligitur ex Decretis Pontificum Melchiadis, Syricii, atque Innocentii I. qui ſecundum Sirmondi cogitatum appellant *Fermentum*, panem in Chriſti Corpus converſum, quem ad Eccleſias mittebant: unde conficit eruditus hic Jeſuita, Euchariſtiam ideo in hoc Decreto *Fermentum* nuncupari, quod fuerit ex pane fermentato compacta.

Vox hæc *Fermentum* ambigua eſt. *Baronius ad annum 313. num. 49.*

Vox hæc *Fermentum* quam maxime ambigua eſt, adeoque multiplicem habet apud Scriptores ſubjectam notionem. Baronius aliique opinantur, Pontifices verbo iſto non Euchariſtiam, ſed Eulogias ſignificaſſe. Anſelmus Epiſcopus Havelbergenſis eadem prorſus explicat ratione, qui cum Lotharii Imperatoris apud Joannem Comnenum, Byzanthinum Imperatorem, Legatione fungeretur, celebre colloquium habuit in Eccleſia S. Sophiæ cum Niceta Archiepiſcopo Nicomedienſi; atque huic Latinis exprobranti, quod Miſſam in pane azymo celebrarent, repugnantibus Melchiadis & Syricii Decretis, reſpondit Anſelmus, Decreta Pontificum iſtorum non eſſe intelligenda de pane Conſecrationis, ſed de Eulogiis, quæ ſingulis diebus Dominicis in Eccleſia diſtribuebantur.

Card Cuſan. Theoph Raynaudus. Franciſcus Macedo. Anton. Dadin. Altaſerra Joann Cabaſſut. Anſelmus Havelberg. l. 3. Dialog. cap. 13.

Alii vero Scriptores conſentiunt cum Sirmondo, *Fermenti* nomine, de quo Pontifices loquuntur, Euchariſtiam ſignificari; non quod ipſa ex pane fermentato confecta eſſet; ſed *ut*, inquiunt iſti, *nomine obſcuro profanis celaretur tantum myſterium*. Quod autem Euchariſtia fermentum dicatur metaphorica locutione, comperiet quiſque, ſi modo attendat, in Vita Melchiadis Papæ dici, *quod declaratur fermentum*; atque in Vita Syricii, *declaratum, quod vocatur fermentum*. Euchariſtia igitur non eſt appellata *fermentum*, quod ex hujuſmodi pane fiat, ut Sirmondus interpretatur, ſed quod nexus ſacer eſſet, qui Fideles Eccleſiarum, ad quas mittebatur, inter ſe devinceret.

Mabillon de pane azymo c. 10. Anton. Auguſt. Claudius Eſpenæus. Latin Latinus. Chriſt. Lupus. Bona.

Thomaſius, Clericus Regularis, *Fermenti* voce explicat partem Hoſtiæ ſacræ, quam Epiſcopus immittit in Calicem, cum profert hæc verba: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*; atque iccirco, particulam hanc ſacram

eram *Fermentum* nuncupari, quia inſtar fermenti copulantis maſſam, Fideles inter ſe conjungit. Quam ſententiam, addit Thomaſius, munio antiqui cujuſdam Ordinis Eccleſiaſtici teſtimonio, quem reperi in Bibliotheca S. Galli, quique conſuetudinis hujus mentionem facit *. Huic opinioni ſuffragatur Vertius in explicatione Rubricarum Miſſæ. *Tom. 3. A. 8. pag. 330.*

Ego vero ſum neſcius, an hucuſque dictis attexere quis poſſet, *Fermentum* a Pontificibus memoratum, materiam eitius Euchariſtiæ, quam Euchariſtiam ipſam indicare. Ita conjicio ex quodam Decreto Joannis III. Papæ, qui in Petri Sedem conſcendit anno 559. In hujus Vita legimus: *Hic conſtituit, ut oblationes & ampullæ, vel amulæ, vel luminaria in eiſdem Cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis miniſtrarentur.* Gregorius III. Pontifex renunciatus anno 731. ſtatuta a Deceſſoribus ſuis confirmavit: nimirum, ut Sacerdotibus S. Joannis in Laterano præberentur, quæ opus eſſent ad Sacra Myſteria celebranda, videlicet panis, vinum, & lumina. ** Alia interpretatio *Fermenti*. *In Vita Joannis Papæ III.*

Ut autem conjecturam hanc illuſtremus, adnotationibus iſtis animum pauliſper converte. Prima ſit, Melchiadem ad Pontificatum evectum fuiſſe anno 311. Syricium anno 385. atque Innocentium I. anno 402. Sub exitum Pontificatus Innocentii I. Alaricus Gothorum Rex Urbem Romam obſedit, expugnavit anno 410. & funditus ſubvertit. Quæ deinceps peſte quoque & fame vexata eſt. Anno 419. ortum eſt Romæ Schiſma inter Bonifacium atque Eulalium; quorum prior morabatur in Cœmeterio S. Felicitatis, alter in Baſilica Conſtantiniana. Genſericus Vandalorum Rex Urbem rurſus delevit anno 455. Temporibus vero Anthemii Imperatoris Romam invaſit Ricimerus Dux Exercitus anno 471. Odoacres Rex Herulorum anno 476. & Theodoricus Rex Gothorum anno 490. Conſideratio prima in rem hanc.

Roma igitur Imperio Gothorum ſubjecta, Gelaſius I. Pontifex electus fuit, qui morem mittendi *Fermentum* inſtaurare curavit; ſed illius Decreta irrita fuerunt. Eodem nanque die, quo Symmachus Pontificatum inivit, Laurentius Romanam Sedem occupavit. Anno pariter 530. aliud Schiſma excitatum eſt, cum Bonifacius II. ad S. Petri Cathedram aſ-

* Hæc ſunt ipſa Codicis MS. verba §. 6. n. 6. *Quando dici debet: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, deportatur a Subdiacono oblationario particula fermenti, quod ab Apoſtolico conſecratum eſt, & datur Archidiacono, ille vero porrigit Epiſcopo: At ille conſignando tribus vicibus, & dicendo: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, mittit in Calicem.* Verum hæc interpretatio Fermenti non congruit Decretis Pontificum Melchiadis, Syricii, atque Innocentii I.

** *Iiſdemque inſtitutis diſpoſuit, ut in Cœmeteriis circumquaque poſitis Romæ, in die Natalitiorum eorum luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Miſſas, per quem providerit Pontifex, qui pro tempore fuerit, Sacerdotem.* In Vita Gregorii Papæ III.

ſumptus fuit; quod excepit natum aliud anno 536. obtinente ſummum Eccleſiæ regimen Silverlo. Hoc plane tempore Romæ Beliſarius obſidium poſuit; atque inſequentibus annis 537. 538. eandem Vitigius depopulatus eſt; tandemque cepit Totila anno 545. & anno 549. demolitus eſt.

Quæ quidem animadvertenda erant, ut Lectori duo conſtarent. Primò, Decreta Melchiadis, Syricii, atque Innocentii I. vel irrita fuiſſe, vel brevi obſoleta. Secundo, eorumdem Pontificum Decreta, quæ admodum obſcura atque implexa ſunt, explicanda eſſe ex Decretis Joannis III. & Gregorii III. qui a Deceſſoribus ſuis inſtituta renovarunt.

Conſideratio ſecunda.

Altera conſideratio ſit, Loca Melchiadis, Syricii, atque Innocentii, diſſorte tantumodo deduci poſſe ad mentem Eruditorum noſtrorum. Locutio hæc Melchiadis non videtur rei conſentanea: *Oblationes conſecratæ ex conſecratu Epiſcopi*. Eſt ne propria hæc & accommodata locutio? Hæ porro aliæ in Decreto Syricii: nempe Sacerdotem Miſſam haud celebrare ..... *niſi conſecratum Epiſcopi loci ſuſciperet declaratum*. Quænam ſubjecta ſententia eſt verbis hiſce, *conſecratum, declaratum*? Verum licet daremus illis, *oblationes conſecratas*, & *conſecratum* Euchariſtiam indicare; qua ratione cum his component verba Innocentii I. ubi ait, *Idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt*? Fit ne credibile, traditam fuiſſe Acolythis Euchariſtiam, ut eam ad diſſita loca deferrent? Denique licet Euchariſtia mitteretur, & deſignaretur vocibus iſtis: *oblationes conſecratæ*; *conſecratum*; *fermentum a nobis confectum*; ſequitur aperte, Sacerdotes, ad quos miſſa erat Euchariſtia, non feciſſe Rem Sacram; quandoquidem non conſecrabant? cum tamen nequeant Miſſam, quin conſecrent, celebrare. Atqui ſancitum eſt Decretis iſtis, *ut nullus Presbyter Miſſas celebraret*; niſi Euchariſtiam ab Epiſcopo recepiſſet. Presbyteri igitur iſti Miſſam celebrabant; ſi celebrabant, conſecrabant; ſi conſecrabant, quare Divinam hanc rem facere non poterant, niſi ab Epiſcopo Euchariſtiam accepiſſent?

Locorum iſtorum ſenſus non videtur accuratus.

At enim, inquies, mittebant Euchariſtiam in communionis argumentum, ut monet Innocentius I. *Ut ſe a noſtra Communione maxime illa die non judicent ſeparatos*. Ajo equidem & confirmo, Presbyteros & Epiſcopos alias conſueviſſe in ſocietatis indicium ſibi muto Euchariſtiam mittere *: ſed ubinam reperias, miſſum unquam fuiſſe panem conſecratum ad Miſſam celebrandam, qui Presbyterorum atque Epiſcoporum concordiæ ſpecimen daret? niſi ſi forte in trium Pontificum iſtorum Decretis ſecun-

Mos Euchariſtiam mittendi.

* Euſebius *l.* 5. *Hiſt. cap.* 24. Evagrius *l.* 1, 6, 13. Nicephorus *l.* 4. *c.* 39. Joann. Moſchus *in Prato Spiritu, c.* 2.

dum

dum interpretationem Sapientum noſtrorum : unde ſane emergit difficultas inextricabilis, donec contendent, verba hæc, *oblationes conſecratæ*, *aut conſecratum*, valere idem, atque Euchariſtia.

Obſervandum pariter eſt, Ducangium in ſuo Gloſſario Latino adnotaſſe, verbo huic *conſecrare* vim ineſſe ſignandi *terminum conſtituere*, *figere*. Cum quo faciunt Calepinus & Trebellius, explicantes, vocem *conſecratum* ſynonymum eſſe iſtarum *conterraneum*, *commilitaneum*, *limitaneum*, *ſuffarraneum*. Idem Ducangius, verbo *declarari*, ita aperit mentem ſuam: *Declarari apud Dromaticos dicuntur fines confuſi, cum ad veram limitum ſignorumque finalium autoritatem per Agrimenſores redintegrantur*. Quæ cum animadverterimus, nonne congruentius interpretaremur trium Pontificum iſtorum Decreta ſine contorſione verborum, immo cum ſumma conſenſione; ſi pro certo haberemus, ut antea diximus, Decreta Melchiadis, Syricii, & Innocentii I. referenda eſſe ad alia Joannis III. & Gregorii III. atque oblationes, de quibus meminerunt iſti, ad Baſilicam miſſas S. Joannis in Laterano, accipi, quod monent verba, pro pane, vino, & luminibus, ſacris Myſteriis celebrandis adhibitis. Audi itaque quo enodanda eſſent pacto Melchiadis, Syricii, atque innocentii I. Decreta.

Ducangius in Gloſſ. Latino.

Cum dicitur de Melchiade: *Hic fecit, ut oblationes conſecratæ per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*: ita vertas licet hæc verba: Statuit *oblationes conſecratas*, nimirum diſpoſitas, conſtitutas, definitas, mitti vel diſtribui per Eccleſias Diœceſis Epiſcopi, *ex conſecratu Epiſcopi*, ſive quæ poſitæ ſunt intra fines Epiſcopi: *quod declaratur fermentum*, ſcilicet oblationes, panem, vinum, & lumina, quæ Miſſæ celebrandæ opus erant, atque intelliguntur nomine *fermenti*, quod membrorum cum capite conjunctionem ſignificat.

Explicantur trium Pontificum loca.

Eodem pene recidit locus Syricii: *Hic conſtituit, ut nullus Presbyter Miſſam celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci ſuſciperet declaratum*: niſi, inquam, reciperet, quod propterea conſtitutum erat, *conſecratum*, ſecundum menſuram & quantitatem præfinitam & mandatam ab Epiſcopo loci, *Epiſcopi loci declaratum*, *quod nominatur fermentum*; quandoquidem hæc omnia Epiſcopi conſociationem cum Presbyteris ſignificant.

Locus vero Innocentii nullo modo diſcrepat ab his duobus; immo ea illuſtrat: *De fermento, quod die Dominico per titulos mittimus*: Hanc vocem *fermentum* addicit ad indicandas oblationes, Rei divinæ peragendæ neceſſarias, ut liquet ex ſequentibus: *Quorum Presbyteri, quia ipſa die propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt: idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt*: panem videlicet & vinum conſecrandum, a nobis paratum & conquiſitum: *Ut ſe a noſtra*

Com-

Communione maxime illa die non judicent ſeparatos : quod argumento eſt, panem & vinum ad eos miſſa ideo appellari fermentum, quia Communionis Epiſcopi cum Presbyteris indicium erant.

Sapientum ſit judicium ferre, ſi recte conjecerim. Illud certe apparet, trium Pontificum iſtorum loca hac ratione optime enucleari ; illorum interpretationem nihil diſtorti aut obliqui præſeferre ; omnia egregie concinere inter ſe, & tandem Decretis laudatis Joannis III. & Gregorii III. optime reſpondere.

ARTICULUS IV.

Utriuſque ſententiæ Patroni eadem adhibent Patrum & Conciliorum teſtimonia, cum ut oppugnent, tum ut propugnent uſum Azymorum in Eccleſia Latina.

POſtquam retulimus loca Patrum, quibus confirmatur uſus Azymorum, aliaque, quibus elevatur, & fermentati inducitur conſuetudo : ſequuntur teſtimonia, e quibus utriuſque partis Patroni commodum aliquod haurire putant, & ſibi viciſſim objiciunt, tum ad ſuam opinionem ſtatuendam, tum ad adverſarios refellendos.

Locus Tertulliani. *Tertull. l. 2. ad Uxor. cap. 5.*

Initio recitant locum Tertulliani, in quo hortatur uxorem ſuam, ubi denuo nubere voluiſſet, ne hominis Ethnici connubio jungeretur. *Non ſciet*, inquit, *maritus, quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit, panem non illum eſſe credet, qui dicitur*. Revera locus hic maxima videtur ambiguitate laborare ; adeoque nihil prodeſt vel panis Azymi vel Fermentati propugnatoribus. Si fuiſſet hic panis communis, ajunt primi, nihil maritus de uxore cogitare ſuſpicioſe potuiſſet, neque anceps eſſe, quin panis fuerit. Panis itaque azymus erat. Verum colligitur ne jure conſecutio hæc ? aut certe difficile ne eſt id deprehendere. At alia quoque, quam ex eodem loco eliciunt adverſarii, nihilo magis exacta eſt. Maritus, reponunt, noviſſet, vel ſaltem ſuſpicatus fuiſſet ; ſi panis a communi differret exteriore ſui forma, ſique panem ſine fermento uxor ſubigeret, illum oblatum iri in ſacrificium. Ceterum abluit a Verbis Tertulliani interpretatio hæc.

Locus S. Cypriani. *Sirmondus de eo loco c. 1.*

Sirmondus laudat S. Cypriani locum, in quo locupletem fœminam reprehendit, quod crederet, ſe Divina Officia celebrare, cum accederet ſine oblationibus, & partem ejus ſibi ſumeret, quam pauper obtulerat *.

* *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, qua in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis ?* Cyprianus Libro de Opere & Eleemoſina.

Ex

Ex quo teſtimonio efficit, futurum fuiſſe, ſi Presbyteri conſecrabant panem a Fidelibus oblatum, ut hic eſſet panis, paſſim a divitibus & pauperibus adhibitus, videlicet fermentatus. Quid vero prohibet, ne reſponderemus, divitem hanc mulierem, haud detuliſſe oblationes ad cœnam parandam, quæ plerumque poſt Divinum cibum apponebatur, nomine *Agapum*?

Mabillonius ex adverſo auctor eſt, ex eodem S. Cypriani loco uſum Azymorum probari poſſe. Si namque panem communem adhibuiſſent ad Sacrificium, ſupra fidem eſt, inquit, acceſſiſſe quem ad Altare, quin ſuam oblationem deferret. Quid facilius, quam integrum panem reperire, vel fruſtum ejus ſaltem ſumere, ut Presbytero offerretur? Aliter tamen ſe res habet de pane azymo, qui cura diligenti & non ſine quibuſdam ceremoniis conficiendus erat. Quamobrem nil mirum, mulierem hanc locupletem ſocordem fuiſſe in eo parando, quem offerre debebat, & de pauperum oblatione ſumpſiſſe. At vero quamvis nonnihil utilitatis ex contextu Patris hujus capere poſſet ad panis azymi conſuetudinem ſtatuendam, quod caret tamen omni ſpecie veri; argumentum hoc certe Mabillonii non concluderet pro temporibus Chriſtianorum Inſectationis, in quibus parabilior erat panis fermentatus & communis pane azymo, qui per ipſum diligenti cura conficiendus erat.

Mabill. Diſſ. de Azymo c. 1.

S. Epiphanius redarguit Ebionitas, quod ſingulis annis Sancta Myſteria celebrarent in pane azymo, atque aqua tantum, ut Sanctos, quod ajebant, Eccleſiæ imitarentur *. Sirmondus ergo in hoc S. Epiphanii loco momentum ponit, ut panis azymi morem prioribus Ævis tueatur. *Quo pacto*, interrogat, *notati ab Orientalibus fuiſſent Ebionæi, quod de Azymis Myſteria celebrarent, ſi mos idem jam tum in Occidentalibus Eccleſiis inſediſſet*? Atqui certum eſt, Hæreticos iſtos a Sancto Epiphanio minime damnari, quod pane azymo uterentur; ſed quia exiſtimarent, Veterem Legem eſſe Evangelio ſociandam.

Locus S. Epiphanii de Ebionitis.

Sirmondus de azymo c. 2.

Contra Mabillonius, etſi fateatur, hoc Divi Epiphanii teſtimonium Azymorum uſui non favere, haud tamen præterit, quin aliquod ab eo emolumentum percipiat. Videtur etenim, inquit, S. Doctor iſte Ebionitas approbare, quod uterentur pane azymo in Myſteriis celebrandis eo conſilio, ut ab Eccleſiæ Latinæ exemplo non recederent; atque in eo tantum conſuetudinem illorum vituperat, quod alteram Sacrificii partem aqua ſola perficerent. Dicendum igitur erit, per id temporis Eccleſiam in pane azymo rem ſacram feciſſe, atque interpretationem hanc Epi-

* *Myſteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui ſunt in Eccleſia quotannis in Azymis: alteram autem Myſterii partem in aqua ſola.* Epiphanius hær. 30.

phanii

phanii dictis omnino respondere. Interim tamen, * multis argumentationibus conglobatis, ut locum hunc ad suam opinionem detorqueret, fateri cogitur tandem, testimonium hoc nisi suffragetur Azymis, neque pariter fermentato suffragari.

Canon XVI. Concilii Toletani.

Utriusque partis Autoribus visus est Canon sextus Concilii Toletani XVI. tanquam decretorius in re hactenus excussa; quapropter nihil intentatum reliquerunt, ut singuli ex eo fructum aliquem percipierent. Bona & Sirmondus ejus vi ostendunt fermentati panis in Ecclesia Latina usum: e regione vero Mabillonius tuetur, esse a sententia sua Canonem istum, & panem, de quo loquitur, azymum citius esse, quam fermentatum. Concilium itaque insimulat quosdam Hispaniæ Presbyteros, qui super altare non offerebant panes mundos, & diligenter paratos; sed satis habebant, ubi crustam panis sui in orbem redactam consecrarent. Cui pravæ consuetudini ut obviam iret, jussit Concilium, ut panis, in Christi corpus convertendus, esset integer, proprius, in rem hanc de industria confectus, & mediocris magnitudinis. **

Mabill. Diss. de Azymo. 8.

En Canon, qui Sirmondo firmissimum suppeditat, atque a Mabillonio *Achilleum Sirmondi argumentum* nuncupatum. Quid nanque, inquit doctus hic Jesuita, Concilii hujus Episcopi perstringunt in Sacerdotum istorum instituto? An quia in pane azymo rem sacram non peragerent? *Minime gentium*. Et tamen id erat primo reprehendendum, si modo Azymi tum fuissent materies consecrationis; iique arguendi, quod pane communi & fermentato, non vero azymo uterentur. De quo igitur arguuntur? Quia nimirum panes in sacris Mysteriis adhibiti mundi non erant, neque de more studiose parati. *Quis hinc confici non videt*, hæc est Sirmondi collectio, *Latinam Ecclesiam ad id saltem usque tempus Azymis abstinuisse*?

Sirmondus de Azymo. 2.

At quis pariter non videat, argumentum hoc plus æquo probare, cum ex Facto singulari ad generalem consecutionem ascendat. Quidam Sacerdotes insciticæ vel impudentiæ vitio consecrant crustam panis; igitur Ecclesia Latina pane azymo nunquam usa erat? Unde porro novit Sir-

* *Si nihil facit pro Azymorum usu, certe non magis favet fermentato.* Mabill. Diss. de Azymo, cap. 10.

** *Ad Conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, non panes mundos, & studio praparatos supra Mensam Domini in Sacrificio offerant; sed de panibus, suis usibus praparatis, crustulam in rotunditatem auferant, eamque super altare cum aqua & vino pro sacro libamine offerant. Unde id unanimitatis nostra elegit Conventus, ut non aliter panis in altari Domini proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit praparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata.* Concil. Toletan. XVI. Can. VI. anno 693.

mon-

mondus, eruſtam ex pane fermentato confectam fuiſſe; nunquid ex Azymis ſubigi eruſta non poterat? Propterea fortaſſe non offenderunt apud Epiſcopos Concilii Sacerdotes illi, quod panem Azymum haud adhibuerint. At enim, inquiunt, *id erat in eis primo reprehendendum, ſi modo Azymi tum fuiſſent materies Conſecrationis*. Ratio hæc in Sirmondum retorquetur: ſi namque Epiſcopi Sacerdotes non coarguunt de Sacrificii re, ſed duntaxat de modo parandi; id argumento eſt, Presbyteros iſtos uſos pane, cujus mos tum in Eccleſia Latina invaluerat. Non diſiteor, Patres Concilii hunc non appellare azymum panem; ſed neque fermentatum vocant. Immo videntur, panem azymum indicare voluiſſe; quandoquidem ſanxerunt, ut panis Altaris uſui futurus ſit, *integer, nitidus, ex ſtudio præparatus, ſecundum quod conſuetudo Eccleſiaſtica retentat*. Quæ omnia ægre admodum communi pani congruerent. *Concil. ibidem.*

Denique Canon hic, ad vivum reſecatus, nonne Sirmondi ſententiam ſus deque vertit? Secundum Patres Concilii hujus in more Eccleſiæ poſitum erat, uti in Sanctis Myſteriis Pane *integro, nitido, ex ſtudio præparato, & non grandi, ſed modica tantum oblata*. Id omne concinit ne cum Patris hujus de Azymis ſententia? Hanc quidem in eo ſtatuit, ut alio pane non uterentur Sacerdotes in Altari, niſi oblato a Fidelibus, atque ab his paſſim adhibito. Porro hic panis omnibus ne a Concilii Patribus petitis conditionibus affectus erat?

Inſurgit autem continuo Mabillonius, & faventibus præjudiciis omnibus, putat Canonem hunc de Azymo pane intelligendum. 1. Epiſcopi redarguunt Sacerdotes non conſecrantes *panes mundos*. 2. Jubent, eos eſſe *nitidos*. 3. *Studio præparatos*. 4. *Integros & rotundos* *. At vero ſi diligenter perpendas verborum hujus Canonis ſenſa, perſuaſum tibi erit, Epiſcopos Presbyteris iſtis crimini non dediſſe, quod celebrarent ſancta Myſteria in pane fermentato, quodve non uterentur Azymo: neutrius enim verbum ullum facit. Sed criminantur duntaxat Eccleſiaſticos iſtos, quod contenti eſſent effari divina verba in eruſtam panis ſui, ad orbem redactam: *quod factum*, ſubjungunt, *nequaquam in ſacræ auctoritatis hiſtoria uſpiam geſtum perpenditur*. Quem abuſum ut tollant, cautum eſſe volunt, ne panis ad conſecrationem adhibendus, ulla ex his conditionibus careat, ſuperius recenſitis. Cui porro controverſum erit, eas æquo modo pani azymo & fermentato quadrare? Id ſane doctiſſimus hic Benedictinus ſenſerat hactenus, ut paginis pene *Concil. ibidem.*

* *Synodi Toletana Patres*, conciudit Benedictinus hic eruditus, *non potuerunt apertius ob oculos ponere azymum panem, quam deſcribendo eo modo, quem ſupra expoſui*. Mabill. Diſſ. de Azymo, c. 8.

vigintl in hujus Canonis ſibi commoda interpretatione exaratis, fateri cõmpulſus ſit, ſi Canon hic aperte ſententiam pro Eccleſiæ Latinæ Azymis non dicat, neque certe in illos ſententiam ferre.

ARTICULUS V.

Conjectationes Mabillonii, quibus Azymorum uſum ad Sæculum uſque IX. producit.

Conjectatio prima.

EA inſedit erudito huic Scriptori opinio, ut credat ſatis ſimile vero, temporibus cum Apoſtolorum, tum Inſectationum Eccleſiæ, promiſcuum fuiſſe azymi & fermentati panis uſum; donec conſtituta Eccleſiaſtica diſciplina, imperatum fuit, Eccleſiam Latinam ab Azymorum conſuetudine non recedere *: interim dum maluit Græca antiquum morem retinere, atque in ſacris Myſteriis celebrandis fermentatum panem adhibere. Quemadmodum nullum poſſet Mabillonius ſponſorem producere eorum, quæ tradit de promiſcuo azymi & fermentati panis uſo prioribus Ævis; ita non crediderim ullum eum teſtem appellaturum alterius narrationis ſuæ: quod nimirum conſtituta hac diſciplina, Eccleſia Occidentalis, atque Orientalis in varias de materia Sacramenti Euchariſtici ſententias abjerint. Factum igitur iſtud ſtatuit, nullo prælucente Veterum ſuffragio, & nulla alia favente conjectura, niſi ſimilitudinis cum vero: *Sane id vero non abſimile prorſus eſt*. Quod ſi deeſt ipſi quodcumque aliud Facti hujus hiſtorici momentum, qui poterit docere nos tempus, & modum, quo utraque Eccleſia in ſuam opinionem conceſſit; atque illos indicare, qui hæc conſtituerunt, vel huic partitioni anſam dederunt?

Altera conjectatio.

Cum itaque per Mabillonium Eccleſia Latina delegerit panem azymum, mos hic ad noſtra uſque tempora conſtantiſſime perſeveravit.

Ibidem.

Quod hoc argumento aſſequitur. Quandoquidem Eccleſiæ Latinæ Patres, qui ante Photium florucre, tradiderunt, Jeſum Chriſtum Euchariſtiam in pane azymo inſtituiſſe, & dixerunt, *facto Chriſti Domini inhærendum eſſe in iſtius Sacramenti confectione*; mirum eſt, eos non expendiſſe, quamobrem Eccleſia Latina a fermentato ad Azymos migraverit: quippe qui diligenter ſcrutati ſunt rationem, cur Ritus alios longe minus graves immutaverit. Ex quo efficit, Eccleſiam Latinam panis azymi con-

Mabill. de Azymo c 7.

* *Primarii Auctores apud Latinos Azymorum uſum præcepiſſe non immerito videntur*. Mabill. Diſſ. de Azymo. cap. 11.

ſue-

ſuetudinem ſemper retinuiſſe: ſi namque varietas ulla interceſſiſſet, de ea Patres mentionem facere non præteriiſſent.

Refellitur ſecunda hæc conjectatio.

Hæc porro Mabillonii conjectura dubitationem non unam injicere poteſt. Prima ſit: Si Patres omnes Latini exiſtimarunt, Jeſum Chriſtum Euchariſtiam in pane azymo inſtituiſſe, & *facto ejus inhærendum eſſe in iſtius Sacramenti confectione*; unde fiat, neminem eorum ſollicitum fuiſſe, ut noſſet, quare temporibus Apoſtolicis promiſcuus fuerit fermentati & azymi panis uſus; quoniam Latinis Patribus perſuaſum erat, *facto Chriſti Domini inhærendum eſſe in Euchariſtiæ confectione*? Secunda dubitatio, e priore ſponte fluens, eſt, Eccur Doctores iſti non reclamaverint adverſus morem Græcorum, neque momenta conquiſiverint, quibus commoti ſunt, ut in fermentato facerent Rem Divinam; quamvis Jeſus Chriſtus Azymum conſecraverit?

Tandem antequam Mabilloniano dubio de Patrum ſilentio reſpondeamus, oporteret, nos ab eo diſcere, quonam ſæculo deſierit uſurpari promiſcua hæc azymi & fermentati conſuetudo? Atqui nemo poſſet Patris alicujus teſtimonium recitare ante ſæculum VIII. qui diſertis verbis affirmaverit, Eccleſiam Latinam antehac panem azymum perpetuo adhibuiſſe: neque ullus reperitur apertus Patrum Græcorum aut Latinorum locus pro uſu panis fermentati in Eccleſia Orientali. Integrum igitur eſſet e Patrum ſilentio colligere, utraſque Eccleſias ſine diſcrimine Sacra feciſſe tum azymo pane, tum fermentato: Eccleſiam videlicet Græcam ſub exitum uſque ſexti ſæculi; Latinam autem ad octavum uſque?

Quod ſi porro pergere Autoris hujus negante argumento opporteret, quid eſt, cur Patres Græci, qui non minus quam Latini perſuaſum habebant, Jeſum Chriſtum in pane azymo Euchariſtiam inſtituiſſe, non revocarunt ad judicium, qua de re Eccleſia ſua Divinum Chriſti Corpus efficeret in fermentato, atque Jeſu Chriſti exemplo non inhæreret? Num hinc colligendum eſſet, Eccleſiam Græcam abſtinuiſſe fermento ad ſextum uſque ſæculum? Qui fieri inſuper poteſt, ex vi Mabillonianæ conjecturæ, neque Patres Græcos, neque Latinos, qui diligenter adeo ſcrutati ſunt rationes immutandi tot capita diſciplinæ Eccleſiarum ſuarum, cordi habuiſſe, ut penſitarent, quamobrem Orientales atque Occidentales conſtituerint, illos in pane fermentato, hos in azymo Sacrum Chriſti Corpus conficere? Quoniam itaque Græci & Latini Patres nihil ad nos traduxerunt ſuper hac mutatione, vero ſimillimum eſt, utriuſque Eccleſiæ morem tuliſſe, ut promiſcue in pane fermentato atque azymo Sacra facerent; alterius quidem ad ſexti ſæculi occaſum, alterius ad octavum uſque. Si Mabillonii conſecutio recta eſt, non crediderim hanc meam minus æque colligi poſſe.

Tertia conjectatio.

Tametsi tertia celeberrimi hujus Azymorum propugnatoris conjectatio, ex argumento negante proficiscatur; nihilominus ceteris aliis videtur esse probabilior. Res profecto esset, inquit, admiratione digna, Ecclesiam immutasse quidquam de re Eucharistica, quin reperiretur apud Veteres ullum Decreti aut Legis vestigium, in quo sanciretur vel panis azymi susceptio, vel fermentati abdicatio, vel promiscuus utriusque usus, vel azymi tantum in Ecclesia Latina. Cum Patres, sequitur, flagranti adeo studio ducti sint ad ea omnia curanda, quæ Sacramentum hoc attingere poterant, & tam præclara ediderint Constituta de Altaribus, de Vasis Sacris, de rationi efficiendi, sumendi, & servandi hunc Angelorum Panem; quonam pacto fieri potuit: *si Latini aliquando abjecto fermento admiserint azymum, id communi consensu factum sine Lege fuisse; nemine reclamante, aut referente.*

Mabill. de azymo c. 7.

Qua in re illud sane accidit perincommode, argumentum hoc revera solidissimum, & quo non parum proficiam, dum partem quandam Mabillonianæ sententiæ propugnabo, aliam tamen funditus evertere. Si namque maximi roboris est ad persuadendum, nihil in Ecclesia Latina immutatum esse super Azymi usu, ex quo ad id Panis genus se addicere voluit; æque tamen persuadet, mirandum esse, si temporibus Apostolicis promiscuus fuit fermentati atque azymi panis usus, Ecclesiam Latinam azymo tantum adhæsisse; quin aliquis de hoc verba fecerit, aut contra nixus fuerit, vel Decretum aliquod intercesserit. Quo eodem argumento probatur, indiscriminatim Ecclesias utrasque Azymum & Fermentum adhibuisse; atque in Orientali ad sextum usque labens, in Occidentali ad octavum usque sæculum perseveravisse morem istum; quoniam nullum extat Legis aut Decreti vestigium, quod Ecclesiam Latinam ad Azymos, Græcam ad Fermentatum coegerit. Quis concipiat animo, disciplinam hanc in utraque Ecclesia invaluisse, & viguisse constanter, *communi consensu, nemine reclamante, aut referente?*

Alia Mabillonii conjectatio, ex Nummis VI. sæculi petita.

Nummi, in quibus sibi visi sunt Hostiam reperisse.

Non est hoc loci prætereunda alia Mabillonii conjectatio, quæ vim in eo facit, quod VI. sæculo Hostiæ quædam conficerentur eadem ferme ratione ac IX. & nostris quoque temporibus: videlicet admodum tenues, ex ferventi ferro subactæ. Hanc statuit consuetudinem tribus Numismatibus, relatis a Buteruvio, in quorum aversa parte conspicitur quoddam Calicis genus, duas ansas habentis, atque in lunæ resupinæ speciem desinentis, in cujus medio parvus extat circulus, hostiam designans.

Buteruvius. Disquisitiones scitu dignæ de Nummis Galliæ. *pag. 244. Gall.*

Ex

Ex quo conjicit, hanc esse debuisse Hostiam, eadem, qua diximus, ratione confectam; adeoque sine fermento.

Peritus hic Antiquarius initio affirmat, Numismata hæc, vel Numos potius esse Cariberti Galliarum Regis anno 561. Primum hujus rei argumentum omnem veri speciem habet, neque de illo controversiam ullam ereamus. Secunda tamen conjectura non eadem probabilitate præstat, quippe e multis incertissimis narrationibus depromta. Ait itaque, Caribertum sexto Regni sui anno Concilium Cæsaroduni convocasse, ut quasdam Regni sui perturbationes reprimeret, quæ ad politicam Ecclesiæ disciplinam spectabant: præsertim de loco, in quo Eucharistia asservabatur, nimirum in Columbis aureis, vel Calicibus ansatis, qui in Altari collocabantur cum Reliquiis, atque Imaginibus Sanctorum, *in imaginario ordine*. Claudebatur quoque Eucharistia in Sacrario, vel in Thesauris Ecclesiæ, *in armario* quod intra Altare erat, vel aliis in locis. Conjecturæ Buteruvii de hisce Numismatibus.

Synodus Turonensis, instat Buteruvius, eum cogitasset, indecorum plane esse, Eucharistiam eum Sanctorum Reliquiis atque Imaginibus locari atque includi; atque existimans, illam, majoris venerationis gratia, a ceteris semovendam esse, atque in sublimiori digniorique sede statuendam: sanxit tertio Statutorum suorum, ut Eucharistia super Altare sub Cruce poneretur *: nimirum in Vase vel Calice suspendendam esse sub Cruce, quæ plerumque superponebatur compagi extructæ prope Tabulam pictam Altaris. Decretum hoc, coneludit eruditus hic Antiquarius, quod primum, nisi fallor, Institutum edidit, occasionem præbens, ut Ciboria super Altaria erigerentur, tanti habitum a Rege fuit, qui Concilium conciverat, ut in ejus rei monumentum insculpserit in Nummis omnibus deinceps cusis Calicem, duas habentem ansas, & super ipsum Crucem, sive Hostias, & pro Inscriptione locum, In quo cusi sunt. Statuta Concilii Turonensis ex Buteruvio.

Ex quibus consecutionem elicit Mabillonius, *si certa sint hæc omnia* a Buteruvio narrata, posse se inde argumentum nanciscí, quo probet, VI. sæculo Hostias fuisse sine fermento; quandoquidem etiam tum fiebant minutissimæ & tenuissimæ, ut ætate nostra. Deinde asserit tria sibi videri certo constare. Primo, antiquitus Calices duas ansas habuisse. Secundo, Numos hosce Regis esse Cariberti. Tertio, Calices esse instrumenta illa, quæ in Numismatibus istis sculpta sunt. Ceterum haud ita certo liquet, Orbiculos illos, qui in summa Calicis parte eminent, veras Ho-

* *Ut Corpus Domini in Altari non imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur*. Conc. Tur. II. Can. 3. Sunt qui legunt *in armario*, non vero *imaginario ordine*.

stias

Mabill de Azymo c. 8.

ſtias eſſe : *non quod id mihi omnino veriſimile non videatur*. Ut autem noris, quam firma ſit conjectura hæc ad probandum panis azymi ſexto ſæculo morem, hæc prius diligenter attendito.

Animadverſio prima in Concilium Turonenſe.

Conc. Tur. II. in Proœmio.

Primo nihil videri minus, quam Caribertum hoc Concilium coegiſſe. In proœmio nanque hujus Synodi legimus tantum, Patres illos convenisse *Chriſto auſpice in Turonica Civitate juxta conniventiam glorioſiſſimi Domini Chariberti Regis annuentis*. Quo in loco non reticeo, Cointium vocem hanc *conniventiam* interpretari *evocationem & præceptionem*; ſed non hanc ſubjicit Ducangius ſententiam voci huic *conniventia*, immo potius *aſſenſum* reddere docet, atque affert in rem hanc exempla multa, inter quæ aliud e Vita S. Projecti; * aliud ex Proœmio ejuſdem, quod in manibus eſt, Concilii II. Turonenſis. Caribertus itaque non indixit Concilium, vel haberi juſſit; ſed aſſenſionem tantummodo dedit, & æqui bonique feeit. Id autem ideo animadverti, quia contendit Buteruvius hinc probare, Regem in monumentum Synodi hujus a ſe coactæ, Nummos ſuperius memoratos cudi voluiſſe.

Concilium hoc congregatum non fuit a Rege Chariberto.

Cointius Annales Eccl. Franc. Tomo 2. ad ann. 566. num. 14.

Secunda Animadverſio.

Secunda Animadverſio attinet ad rationem, propter quam Concilium iſtud congregatum fuit: nimirum quia, per Autorem noſtrum Euchariſtia tum temporis locabatur ſuper Altare cum Reliquiis & Imaginibus Sanctorum Feſtis diebus; vel aſſervabatur in Sacrariis, aut Ærariis Eccleſiæ: quod cum indecorum viſum eſſet Patribus, Euchariſtiam videlicet collocari vel claudi cum Reliquiis & Imaginibus Sanctorum, decreverunt, ſtatuendam deiuceps eſſe ſuper Altare ſub Cruce. Quamquam vero Concilium hoc ediderit Canonem iſtum, qui tertius eſt; non legimus tamen, illud propterea convocatum fuiſſe, vel eo conſilio, quod Buteruvio placuit, Canonem illum condidiſſe. Eidem Synodo propoſitum hoc eſſe non poterat, ſed eitius Conſtitutiones multæ promulgandæ de Eccleſiaſtica Diſciplina.

Mabill Sæc. Bened. in Præf.

Illud profecto compertum eſt, ut Mabillonius ipſe adnotavit, ante IX. Sæculum non obtinuiſſe morem collocandi Sanctorum Reliquias ſuper Altare. Sanctus Odo Abbas Cluniacenſis recitat factum Abbatis Bernonis fide, quod oſtendit, priſcam hanc conſuetudinem ejus quoque tempore viguiſſe. Scilicet Exuvias S. Galburgis ab edendis Prodigiis abſtinuiſſe, ſtatim ac ſuper Altare poſitæ ſunt, & Sanctam fœminam iſtam cuidam prodidiſſe, hac de cauſſa ægros non convaleſcere. Idem ferme accidit de Reliquiis S. Bercarii Abbatis Fori Claudii. Cum nanque is, cui concreditum erat Sacrum Depoſitum, ſtatuiſſet illud ſuper Altare,

Odo Cluniac. lib. Collat. 2. c. 28.

Mabill. Sæc. 2. Tomo 2. Acta SS. Ord. S. Bened. num. 26.

* *Ex permiſſo & conniventia Vvarnecharii Optimatis*, Ducang. in Gloſſ. verbo. *Conniventia*.

S. Ab-

S. Abbas ei ſe per ſpeciem oſtendit, & minis adegit, ut illud in locum ſuum reſtitueret. Porro opinio eſt, Leonem IV. qui medio circiter ſæculo IX. deceſſit, conceſſiſſe, ut Reliquiæ ſuper Altaria ponerentur. Cautum etenim eſſe voluit, ne rei cuipiam ſuper Altare locus eſſet, niſi Sacrarum Reliquiarum Thecis, & quatuor Evangeliis *. Idem interdixit Concilium Rhemenſe **: atque jam inde paſſim receptus eſt mos ſuper Altaria Reliquias collocandi.

Sæculo VI. neque Reliquiæ, neque Imagines ſuper Altaria collocabantur.

Opus eſt itaque, tempore II. Concilii Turonenſis non fuiſſe conſuetudinem ponendi Imagines in Altaribus, quandoquidem mos hic non eſt inductus ante Sæculum X. cum Leo Papa IV. & Concilium Rhemenſe vetuerunt, aliud locari ſuper altare præter Reliquias Sanctorum & quatuor Evangelia. Ac ſi integrum fuiſſet ibi Imagines ſtatuere, id nominatim expreſſiſſent. Quæ omnia longe diſcrepant a ſenſis Buteruvii.

Tertia animadverſio ſit in illud, quod imperat, ut ajunt, Concilium: videlicet, Euchariſtiam ſuſpendi in aliquo Vaſe aut Calice ſub Cruce. Nihil de hoc tertius Canon; neque ullum ſuppetit exemplum, Euchariſtiam ſervatam unquam fuiſſe in Calicibus, ut ſine ulla ratione contendit Autor noſter. Mabillonius quidem affert locum, depromptum e Geſtis Gregorii III. ubi ait, eum dono dediſſe Calicem argenteum; *qui pendet in abſide Oratorii*. Verum præterquamquod verba hæc *abſide Oratorii*, incertos admodum, pluresque explicatus * habent; neque item ſignant, Calicem hunc Euchariſtiæ ſervandæ deſignatum fuiſſe. Locus quoque iſte non concinit cum Decreto Concilii ſtatuentis, ut Euchariſtia ſuper Altare, & ſub Cruce poneretur, quod intelligi non poteſt de *abſide Oratorii*, in Gregorii III. contextu memorata. Nihil hic dico de interpretationibus, quas adhibent verbis III. Canonis Concilii, cum de his Autores varient longe multa ***.

Tertia animadverſio ſit in Calices, in quibus Euchariſtia demittebatur.

In Geſtis Gregorii III.

*Abſi, Fornix in extrema Eccleſiæ parte.

Quarta ſpectat adverba eruditi noſtri Antiquarii. *Decretum hoc, niſi fallor, primum Inſtitutum edidit, occaſionem præbens, ut Ciboria* ****ſu-

Quarta animadverſio in *Ciboria*.

* *Super Altare nihil ponatur, niſi Capſa & Rel quæ, aut forte quatuor Evangelia, & lux da cum Corpore Domin ad Viaticum Infirmorum. Cetera in nitido loco recondantur.* Leo IV. Homilia de cura Paſtorali, Tomo 2. Conc.

** *Nihil ſuper eo ponatur, niſi Capſa cum Reliquiis Sanctorum, & quatuor Evangelia.* Conc. Rhem. apud Burch. l. 3. Decret. c. 97.

*** Severinus Binius inquit, Canonem hunc ſaneire, ut Euchariſtia in medio Altari ſub Cruce ſtatuatur. Cointius non abſimiliter explicat. *Ubi ſupra*. Sirmondus intelligit de pane conſecrando, *de azymo c.* 4 Mabillonius ſententiam in eo legit apprime diverſam, *Diſſ. de azymo c.* 4. Harduinus tandem Jeſuita Canonem hunc interpretatus eſt Diſſ. quadam impreſſa Pariſiis 1689.

**** *Ciborium* Altaris ædificium

per

per Altaria erigerentur. At vero mos Euchariſtiam hoc pacto includendi, multo antiquior eſt, ut conjicere poſſumus ex his Carminibus S. Paulini ad Severum Sulpicium.

Divinum veneranda tegunt Altaria fœdus,
Compoſitiſque Sacra cum Cruce Martyribus.
Cuncta ſalutiferi coeunt inſignia Chriſti,
Crux, Corpus, Sanguis Martyris, ipſe Deus.

Apud Surium Tomo 1. die 1. Januarii.

In Quinto Concilio Generali, aliquot annos ante Turonenſe celebrato, mentio fit cujuſdam Severi, qui delatus fuit apud Concilii Patres, quod ſurripuiſſet Columbam auream, pendentem de Altari, in qua Euchariſticus panis ſervabatur. Tandem mos hic uſitatiſſimus erat ante Concilium Turonenſe, ut videre eſt in Vita S. Baſilii. Anaſtaſius in Vita S. Hilarii animadvertit, Pontificem hunc, medio circiter V. ſæculo florentem, confeciendam curaſſe Columbam argenteam pondere duarum librarum. In Teſtamento Perpetui, quinti a S. Martino Epiſcopi Turonenſis, cujuſdam ex his Columbis mentio fit, *Columba ad repoſitorium*.

Tomo 5. Spicilegii Acheriani.

Animadverſio quinta.

Quinto animadvertas id, quod habet, Charibertum tanti feciſſe Inſtitutum hoc a ſe inventum, ut in ejus memoriam inſculpſerit in Nummis omnibus deinceps cuſis Calicem, & ſuper ipſum Crucem, ſive Hoſtias. Atqui ſi Regis hujus imperio, ut placuit Buteruvio, coactum Concilium fuit, qui fieri potuit, ut pluribus ex ejus Canonibus ratio vivendi Cariberti damnaretur. Canone XX. cautum eſt, ne quis Virgines Deo Sacras violet, aut ducat Uxores *. XXI. Ineeſtos homines carpit; quem Cointii obſervatione, Patres ediderunt, ut in Regem hujus criminis reum animadverterent. Tanta ſane hujus rei offenſio fuit, ut S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis ipſi Sacramentorum uſum interdixerit: *Reliquit enim Ingobergam*, quam vivente patre ſibi deſponderat, *& Meroſledem accepit. Habuit & aliam puellam Opilionis, ideſt, Paſtoris ovium filiam, nomine Theodegildem ..... poſt hæc Marcovefam, Meroſledis ſororem conjugio copulavit*; & tres ſimul apud ſe detinebat: quæ omnia didicimus a Gregorio Turoneſi.

Cointius in Annal. Franc anno 566. num. 37.

Lib. 4. c. 26.

Greg. Tur. de Mir S. Mart. l. 1 c 29.

Canones XXIV. & XXV. editi ſunt in iniquos bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſores, inter quos Gregorius Turonenſis Charibertum recen-

erat coneameratum, vel circulare, & columnis innixum, quod Aram cooperiebat. Columnæ ſublimes erant, fornixque in altitudinem elatus, tabuliſque pictis ornatus. Exterius in culmine Ciborii Crux erat defixa, atque interius ſub Cruce in medio Ciborio Columba aurea vel argentea, in qua Euchariſtia pro Infirmis ſervabatur.

* *Nullus Sacratam Deo Virginem, quæ in honorem Chriſti veſtem mutavit, aut rapere, aut competere, aut ſibi conjugem ſociare præſumat.* Cone. Tur. II. Can. 20 Gregor. Turonenſis obſervat, Marcovefam *Religioſam veſtem induiſſe.*

ſet;

set; narratque, eum potitum fuisse cujusdam loci, ad Ecclesiam S. Martino ædificandam designati. Post hæc cui persuasum erit, Charibertum eudendos jussisse Nummos, ut III. Canonis hujus Concilii memoriam celebraret, in quo alii multi Canones pravam vitæ suæ rationem damnabant? At opus erat, Buteruvium eo rem detorquere, ut locus esset conjecturæ de orbiculis illis, in Calicibus insculptis, & Hostias referentibus. Præterea libenter ab eo discceremus, num aliquando Eucharistiæ forma descripta sit orbiculo quodam, Crucem super se non gerente? Alias globuli isti, in Calicibus, de quibus hactenus, insculpti, non magis Eucharistiam significant, quam ii, qui visuntur in ætatis illius Nummis, & ab eodem collecti sunt. Apparent nanque multis in locis globi, orbes, aut circuli, iis similes omnino, qui prominent ex Calicibus illis. Interdum aliqui super Crucem positi sunt, alii ex lateribus, vel alio modo dispositi. Videntur itaque species hujusmodi Symbolum Eucharistiæ non esse, nisi Crucem impressam gerant. Saltem res caret exemplo.

Denique licet daremus ultro, rotundas imagines istas, supra Calicem positas, germanas Hostias referre, quonam pacto hinc probabitur usus panis azymi VI. sæculo? Quod afferunt Mabillonius & Buteruvius argumentum, ut ostendant, Hostias istas fuisse tenues, exiguas, ferroque, & sine fermento subactas? Una earum figura de his possumus pronunciare. Ac si libitum fuisset Cariberto exprimere panes fermentatos, & crassos, alia ne potuisset ratione exprimere in Nummo, qui minutuli denarii magnitudinem non excedit, atque in Hostiis haud majoribus aciculæ capite? Consilium igitur, quodcumque tandem fuerit, eudendi Nummos istos, Calix, aliaque adjuncta nihil indicant magis, panem hunc fermentatum fuisse, quam azymum; atque adeo nihil priori favet, vel ejus sęculo VI. usui, conjectura.

ARTICULUS VI.

Pensitantur conjecturæ, quibus utitur Sirmondus, ut panis fermentati usum statuat in Ecclesia Latina.

MOS hic increbuerat primis Ecclesiæ sæculis, inquit Sirmondus: *Ut qui ad Missas celebrandas conveniebant, suam unusquisque sacrificii partem adferret.* Panis hic fermentatus erat, quippe panis vulgo adhibitus; adeoque tum non in pane azymo, sed fermentato Sacra

Primitus consecrabant in pane ad Altare oblato *Sirm. Disquis de Azymo cap. 1.*

faciebant. Conſecutio hæc ita legitima eſt, ut nihil magis. At principium ipſum vertitur in quæſtionem, quod probare nititur teſtimonio Canonum Conciliorum, Patrum Eccleſiæ, Liturgiarum, atque exemplorum innumerorum. Statim itaque penſitemus fundamenta opinionis ſuæ, ut rationum ejus ſoliditatem perſpectam habeamus.

Mos offerendi panem & vinum vetuſtiſſimus eſt.

Conveniat neceſſe eſt, vetuſtiſſimum in Eccleſia eſſe morem offerendi ad Altare panem & vinum. Tertulliani ætate ſponte fiebant oblationes iſtæ *. Temporibus inſequentibus decreverunt Pontifices, ut cum homines tum mulieres ſingulis diebus Dominicis panem & vinum afferrent **. Id videre eſt in quodam Pii I. Decreto. Quæ ſanctiones in Conciliis aliis non paucis inſtauratæ fuere; atque hujuſmodi oblationes ab Ordine Romano, & Eccleſiæ Patribus memoratæ. Narrat Cyprianus, ætate ſua Diaconum enunciare ſolitum elata voce omnes, qui rem aliquam obtulerant ad Altare; qui tamen mos non probatur Hieronymo, atque ab Innocentio Primo capite 2. epiſt. 1. irritatus eſt.

Conc. Mariſc 2. Gangrenſe c. 7. & 8. Carthag. 4. Can. 92. & alia.

Cyprianus l. 3. Epiſt. 14.

Bifariam olim dividebantur Oblationes.

Porro intereſt ſcire, num alius panis, necne conſecraretur præter illum, quem detulerant Fideles. Quam controverſiam, ut in bono lumine collocemus, meminiſſe oportet, bifariam olim fuiſſe Oblationes. Prima fiebat ante Miſſæ initium, ſive ante Evangelii cantum; ſecunda tempore Offertorii. In prima Fideles offerebant panem, vinum, ceram, aliaque multa, ad cultum Miniſtrorum Altaris neceſſaria, & viduarum pauperumque alimentum. Quod attinet vero ad panem & vinum oblata, dum Offertorium peragebatur, utraque uſum habebant in Conſecratione. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis duplex hoc aperte diſtinguit Oblationum genus, earumque uſum. Harum argumentum non pœnitendum ſufficit nobis Miſſa Ethiopum, quæ profecto antiquiſſima eſt. Sacerdos ante Offertorium orat pro iis, qui rem ullam obtulerant ***. Dum vero illud canebatur, Chriſtiani oblationes deferebant ****; & Diaconus contenta voce clamabat: *Orate pro his, qui obtulerunt munera*. Ex quibus comperimus, Liturgiam hanc mentionem facere duarum Oblationum, quarum certe illa, quæ ante Offertorium fiebat, non videtur ullum habuiſſe in Sacrificio uſum. In Capitularibus etiam Caroli Magni diſcrimen eſt

Hincm. Rhem. c. 2. art. 16.

* *Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, apponit; nam nemo compellitur, ſed ſponte confert.* Tertullian. Apolog. cap. 39.

** *Conſtituit omnibus diebus Dominicis ab omnibus viris & mulieribus oblationem tam panis quam vini fieri.* Tom. 1. Concil. Fabianus Ep. 3. ad Fabian.

*** *Rogemus omnipotentem Deum pro his, qui obtulerunt munera .... Sacrificium ſcilicet primarum Decimarum, gratiarum actionis ſignum: ſeu autem quis multum obtulerit, ſeu parum, ſeu ſecreto, ſeu palam, ſeu volens & non habens, omnium ampleſtatur voluntates Dominus Deus noſter.* Bibliot. Patrum Tom. 27. pag. 626. Edit. Lugd.

**** *Dum cantatur Offertorium, populus dat oblationes ſuas.*

Obla-

Oblationum, quas adhibebant Sacerdotes ad Sancta Myſteria, ab aliis, quæ ad Altare offerebantur. *Capit. Caroli Magni l. 6. cap. 305.*

Videtur S. Cyprianus de conſuetudine iſta locutus, cum redarguit mulierem locupletem, quæ ſibi perſuadebat diem Dominicum celebrare ſine oblationibus, & detracta tantum parte ejus, quod pauperes obtulerant *. Quo loco, ſubdit Menardus, mentio fit duarum oblationum; alterius quidem, qua conſecraretur; alterius, qua pauperes alerentur. Ac Cyprianus non tantum Matronam hanc de eo carpit, quod nihil alendis pauperibus præberet; ſed etiam quod oblationes decerperet a pauperibus factas. Concilium quoque Matiſconenſe, & alia nonnulla deinceps citanda duplex oblationis genus diſtinguunt, quas faciebant Chriſtiani Sacris adſtantes. *Menardus in notis in Lib. Sacram. S. Greg. pag. 372.*

Duo itaque conveniant neceſſe eſt. Primum, dediſſe tum Chriſtianos, quidquid neceſſitatem habebat in Sanctis Myſteriis celebrandis. Alterum, curaſſe illos, ut in Miniſtrorum victum veſtitumque, & pauperum alimentum nonnihil conferrent. Nodus autem difficultatis in eo eſt, utrum Oblationes Fidelium, quibus utebantur ad rem divinam faciendam, conſtarent pane fermentato & communi, ut placet Sirmondo **. Habeto igitur conjecturas, quibus efficere poſſumus, panem a Fidelibus oblatum ejuſmodi non fuiſſe, ac illum, quem proponit nobis Scriptor hic eruditus. Non conſecrabatur panis a Fidelibus oblatus.

Obtinuit antiquitus in Eccleſia, ne uterentur Sacerdotes alio pane in conſecratione, niſi illo, quem per ſeſe conſecerant diligentiſſime, vel coram ipſis confectum fuerat: immo cautum erat ipſis, ne ab aliis ſubactum panem adhiberent. Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, medii circiter VIII. Sæculi ſcriptor, meminit hujus conſuetudinis in Epiſtola Paſtorali, ad Diœceſis ſuæ Presbyteros miſſa ***, nec non Honoratus Auguſtoduneuſis, aliique multi. Confectura prima. Panis hic parabatur a Sacerdotibus.

Leguntur in vetuſto Manuſcripto Bibliothecæ S. Victoris ceremoniæ, quas obſervabant in pane parando pro Conſecratione. *Hoſtias de frumento electo & puriſſimo in alba faciat Sacriſta in loco mundiſſimo, linteis cooperto, cui duo fratres ſubminiſtrent, ne aliud quam ipſas hoſtias tractare cogatur: quorum unus ignem ſollicite faciat, alter vero inſtru-* *Lib. Ord. S. Vict. Pariſ. MS. c. 20. Anſelmus l. 3. Dialog. c. 18.*

* *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.* S. Cyprian. lib. de Opere & Elem.

** *Quem minime dubium erat, uſitatum ſibi, ac fermento de more tempe-* *ratum obtuliſſe.* Sirmondus Diſquiſ. de Azymo, c. 1.

*** *Panes, quos Deo in Sacrificium offertis, aut a vobis ipſis, aut a veſtris pueris coram vobis nitide & ſtudioſe fiant.* Theod. Epiſt. ad Presbyt. Aurel. c. 1. Honor. Auguſt. Gemma Animæ cap. 58.

mentum ferreum ad coquendas hoſtias teneat. Anſelmus Epiſcopus Havelburgenſis, qui verba facit de re hac, tanquam de vetuſtiſſima, ſubjungit, panem hunc confici conſueviſſe, pſallendo Pſalmos. Rabanus item Maurus nos docet, Sacerdotes parare ſolitos fuiſſe panem conſecrandum. Quo fit, ſi panes a fidelibus oblatos conſecraſſent, ſupervacaneum fuiſſe, tot præcavere & tenere, ut panem Myſteriis ſanctis deſignatum præpararent.

Conjectura ſecunda. Panis debebat eſſe notatus ſigno Crucis.

Quod primum argumentum alio quodam Textu non minoris firmitatis fulcitur. Nicolaus Cabaſilas affirmat, conſuetudinem antiquiſſimam tuliſſe, ne Sacerdotes in Altari panem conſecrarent, cui impreſſa non eſſet ſpecies aliqua Paſſionis Dominicæ, v. g. Crux; eandemque indicat Autor Liturgiæ, cui appoſitum eſt S. Joannis Chryſoſtomi nomen *. Liturgia pariter, quæ reponitur VI. Tomo Bibliothecæ Patrum, & citra dubitationem omnem vetuſtiſſima eſt, aperte admodum loquitur hac de re; eum jubeat, panem Conſecrationis ita conficiendum eſſe, ut *in eo cælata ſit Crux*.

Nic. Cabaſ. Liturg. c. 6.

Quid quod Sirmondus in ſuo de pane azymo Tractatu imaginem nobis exhibuit panis Euchariſtici, quam deprompſiſſe ſe ſcribit e priſco Cod. MS. Bibliothecæ S. Germani Pratenſis prope Pariſios; & oculis noſtris objicit Altare, in quo ſunt Hoſtiæ multæ, quarum unaqueque Sancta Cruce inſignita eſt. Oportet quoque VI. Sæculo uſurpatum fuiſſe hujus Crucis ſculptæ in Euchariſtia uſum; quandoquidem ita interpretatur eruditus hic Jeſuita verba III. Canonis ſecundi Synodi Turonenſis **. Alii ſane Litterati Viri diſſimillimis plane rationibus explicant Canonum iſtum; ſed Sirmondus ait, vi hujus Canonis nullam aliam efformandam eſſe in pane conſecrando imaginem, niſi Crucem ***. Immo non dubito, morem hunc multo antiquiorem eſſe hoc Concilio Turonenſi, a quo renovata tantummodo fuit priſca conſuetudo, primis Eccleſiæ ſæculis invecta: Aringhus nanque multis in locis ait, apparere adhuc in Catacumbis picturas veteres, in quibus panis Euchariſticus Cruce munitus eſt.

Aringhus Roma ſubterr. Tom 2. pag. 484., item pag. 512.

Conjectura tertia. Fideles offerebant farinam.

Animadvertit Honoratus Auguſtodunenſis, hac voce panis, a Fidelibus ad Altare oblati, non accipiendum panem communem eſſe, ſed farinam, ex qua antiquitus panis pro Sacro faciendo componebatur ****. Joſephus Vicecomes diligentiſſimus Rituum Eccleſiaſticorum Scriptor con-

* *Sacerdos convertit aliam partem hoſtiæ, quæ habet ſurſum Crucem, & dicit Diaconus: ſurſum Crucem.*

** *Ut Corpus Domini in Altari, non imaginario ordine, ſed ſub Crucis titulo componatur.* Conc. Tur. II. Can. III.

*** *Ut panis in Corpus Domini comparandus, non aliter pro cujusque arbitrio, quam impreſſa Cruce formetur.* Sirmondus de Azymo c. 4.

**** *Fertur, olim Sacerdotes de ſingulis domibus, vel familiis farinam ac-*

tendit

tendit, Fideles ad Altare attuliſſe cum farinam, tum etiam panem communem; farinam quidem, ex qua panis Euchariſticus conficiebatur; & panem communem, qui benedictione prius affectum, non refectis pane cœleſti diſtribuebatur. *Dum oblationum, ſubjungit Auctor idem, & conſecrationum nomine farinam, ex qua panis hic, ideſt hoſtia, efficiebatur: Eulogiarum vero, ſeu panum abſolute poſitorum voce, panes benedictos, qui cœleſti pane non refectis dabantur poſt Miſſam, intelligunt Concilia.* Quam animadverſionem petit Italus hic eruditus a quodam loco Concili Nannetenſis, celebrati juſſu Vitaliani Papæ anno 658. * in quo decernunt Patres, Presbyterorum eſſe nitide ſervare in vaſe fruſta panis, diſtribuenda poſt Miſſarum ſolemnia iis, *qui communicare non fuerint rati*: hæc autem fragmenta, vel ex farina fieri debebant a populo oblata, quæ conſecrationis uſui ſuperfuit, vel ex panibus a Fidelibus oblatis, vel tandem ex panibus ipſorum Sacerdotum.

Joſeph. Vicec. de antiq. Miſſa Ritibus Tom. 3. l. 2. c. 20.

Panis ſervabatur pro Eulogiis.

Conſidera itaque attentius verba iſta: *Ut de oblationibus, quæ afferuntur a populo, & conſecrationi ſuperſunt*, interpretari haud poſſe, præterquam de farina a Fidelibus oblata, quæque pro Conſecrationis pane uſum non habuerat. *Oblatio* itaque non ſignificat, niſi farinam pani Euchariſtico deſignatam: at verba, quæ ſequuntur, *vel de panibus, quos offerunt Fideles ad Eccleſiam*, ſine alia additione, indicant panem communem & vulgatum, quem debebant Chriſtifideles offerre, & benedicebatur, populoque cœleſti pane non refecto diſtribuebatur. Idem porro Vicecomes autor eſt, vocem hanc *oblatio*, quæ legitur cap. 4. alterius Concilii Matiſconenſis; Canone 24. III. Concilii Carthaginenſis; atque in Ordine Romano, farinam ſignificare, ex qua conficiebatur Euchariſtia, quamque ſuper Altare Fideles offerebant.

Oblatio ſignificat farinam.

Eandem conſuetudinem confirmare poſſumus verbis Sancti Gregorii Papæ, qui ait: *Manifeſtum eſſe cujus menſuræ, vel formæ debeant eſſe Sacerdotum oblata, quæ ex pugillo ſimilæ fieri jubentur.* Fortaſſe etenim Gregorius *ſimilæ pugillo* eam intelligit, quam pro pane Euchariſtico

Confirmatur uſus farinam offerendi.

Greg. Dialog. l. 4.

cipiebant, (quod adhuc Græci ſervant,) & inde Dominicum panem faciebant, quem pro populo offerebant, & hunc conſecratum eis diſtribuebant. Honor. Auguſt. c. 18.

* *Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & Conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus, quos offerunt Fideles ad Eccleſiam, vel certe de ſuis Presbyteri convenienter partes inciſas habeant in vaſe nitido: ut poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint rati, Eulogias omni die Dominico, & in diebus Feſtis exinde accipiant, & illa, unde Eulogias Presbyter daturus eſt, ante in hac verba benedicat.* Ecce autem verba benedictionis Eulogiarum. *Domine Sancte, Pater omnipotens, ſempiterne Deus benedicere digneris hunc panem tua ſancta & ſpirituali benedictione; ut ſit omnibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas inimicorum inſidias tutamentum.* Conc. Nannet. I. cap. 9.

Fide-

Fideles offerebant. Simile nanque vero fit, ſi verba divina in panem protuliſſent a populo Chriſtiano oblatum, hunc non futurum fuiſſe ejus rationis, quam poſtulat S. Gregorius. Quod ſi magni hujus Pontificis locus ſatis momenti non habet, ut directo probemus, tum adhibitam fuiſſe in Sacrificio ſarinam, non panes oblatos; efficere tamen videtur, non adhibitum in Sanctis Myſteriis panem, quem vulgus hominum apud Altare obtuliſſet.

A ſexto Seculo non conſecrabant panem oblatum.

Ceterum ſi argumenta hæc ſimul juncta quoddam demonſtrationis genus non pariunt, nunquam in Sacris Myſteriis celebrandis uſum fuiſſe panis a Fidelibus oblati; videntur tamen concludere poſſe, a VI. Sæculo deinceps confectam non fuiſſe Euchariſtiam in pane communi, quo indiſcriminatim divites & pauperes uterentur. Cum etenim ſanxerint Patres & Concilia, panem Conſecrationis fieri debere ex ſimila pura, munda, & tanto ſtudio diſpoſita, non video quo pacto communis panis his omnibus qualitatibus præditus eſſe potuerit. Quare fundamentum Sirmondi non videtur fulciri poſſe, vel certe poſt ſextum Ævum.

Conjecturæ pro pane Azymo.

Nihil ſane dico de Sæculis primis; at præſumendum quidem eſt, Apoſtolos eorumque ſucceſſores, qui viva fide, ſummaque præſtabant exiſtimatione in Sacramentorum omnium auguſtiſſimum, quod ſane numeris omnibus abſolutum poteſtatis & bonitatis divinæ opus eſt, multa proſpexiſſe in delectu panis in Jeſu Chriſti Corpus convertendi. Si namque Judæi victimas non offerebant, quæ paratæ non eſſent, & quibuſdam conditionibus affectæ; ſi grandi ceremoniarum inſtructu Agnum Paſchalem manducabant; quis credat, Evangelicæ Legis Sacerdotes nullum alium Sacris appoſuiſſe panem, quam qui ſordidis fortaſſe manibus oblatus erat, & uſui quoque communi addictus?

Vinum pro Miſſa melioris notæ erat.

Si vinum in Sacrificio offerendum, optimæ ſemper notæ ſeligebatur, & hujuſmodi vino alicubi deficiente, aliunde generoſi ſaporis conquirebatur; ſi Galli ipſi, ut animadvertit S. Gregorius Turonenſis, apud quos multis in locis, quemadmodum & impreſentiarum, exquiſitum erat, non faciebant tamen, quominus e Gaza, ubi tam exquiſitiſſimum habebatur, compararent; ſi tandem Eccleſiis vineæ legabantur in pinguibus vitiferiſque terris ſitæ, ut ex illis vinum expromerent pro Sacrificio: cui perſuaſum fiet, pro ſanctis Myſteriis adhibitum fuiſſe cujuſvis generis panem ſine delectu; & Sacerdotes non deſignaſſe ad id muneris panem diligenti ſtudio confectum, quandoquidem tantum operæ & ſtudii in vino ponebant? Quam iraque id argumento eſt, vinum a Fidelibus oblatum, Miſſæ celebrandæ non deſeruiſſe; tam non apparet, eos uſos fuiſſe pane ante Altare delato, niſi ratione plane ſingulari confectus fuerit.

Greg. Tur. l. de gloria Confeſſ. cap. 69.

A R-

ARTICULUS VII.

Alia Sirmondi Argumenta.

PRincipii loco ponit ſapiens hic Scriptor e Societate, nullum alium panem divina verba ſuſcepiſſe, niſi a Fidelibus oblatum; quod eruit e IV. Canone ſecundi Concilii Matiſconenſis, jubentis, ut ſingulis diebus Dominicis panem & vinum deferrent*. At vero Synodus non aperit, an panis hic, a populo oblatus, fuerit nec ne materies conſecrationis; adeoque propoſitum non conficit, cum nemo in dubium verteret, quin vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine receptum eſſet, panem & vinum offerre, ut ſuperius probavimus monumentis multo antiquioribus, ac ſit ſecundum Concilium Matiſconenſe. Opus itaque erat, Criticum hunc eruditum oſtendere nobis, nullum alium fuiſſe in divinis rebus faciendis uſum panis, niſi ejus, qui a Fidelibus offerebatur. Argumentum primum, depromtum e Concilio Matiſconenſi. *Sirm. Diſſ de Azymo c. 1.*

Quid quod licet daremus ultro Sirmondo, hujus Concilii Canonem non modo panis oblationem imperare, ſed panis quoque conſecrationis uſui futuri: quomodo congruet conſuetudo hæc VI. Canoni XVI. Concilii Toletani, quod ſequenti capite laudat; ſtatuitque: *ut non aliter panis in Altari Domini Sacerdotali benedictione ſanctificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qui ex ſtudio fuerit præparatus; neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata, ſecundum quod Eccleſiæ conſuetudo retentat?* Panis a populo oblatus hujus ne rationis erat? Quis dixerit panem *nitidum*, *ex ſtudio præparatum*, & mediocri magnitudine ſecundum Eccleſiæ morem, fuiſſe panem menſæ communem, quo divites æque & pauperes comederent: ſive uti vocat, *panem uſitatum*, *menſiſque quotidianis uſurpatum*? *Sirmondus ibid. c. 2.*

S. Cypriani locus, in quo perhibetur de mulicre nihil offerente, ſed de pauperis tantummodo parte ſumente, ſecundum eſt Sirmondi argumentum; cui attexit alium ex Opere, S. Auguſtino conſtanter ſuppoſito. Quod vero eſt S. Cypriani, demonſtravimus in ante actis, nihil Sirmondianæ opinioni favere. Secundum argumentum.

Putat etiam utilitatem aliquam capere ab Ordine Romano, in quo dicitur: *Archidiaconum accipientem oblatas, ponere tantas ſuper Altare,* Tertium argumentum.

* *Statuimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini.* Concil. Matiſc. II. anno 585. c. 4.

quan-

quantæ poſſunt populo ſufficere; quæ vox *Oblata* non videtur hoc loci ſignificare panem ad Altare a Fidelibus oblatum, ſed citius Hoſtias pro Sacris faciendis diſpoſitas. Verum enim vero ſenſibus patet, vocem hanc *Oblatas* ambiguitate laborare, & ſumi commode poſſe pro materie Conſecrationi deſignata ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem, multo ante Ordinis Romani inſtitutionem propagatam. Quod attinet ad verba: *Orate Fratres, ut meum ac veſtrum Sacrificium acceptabile ſit apud Deum*; non ſane certo monent, Sacrificium ex pane oblatum fuiſſe, quem Fideles afferebant. Sive etenim totus panis, ſive pars ejus tantum, quem dono dederat populus Chriſtianus, in Chriſti Corpus convertebatur. Si totus, qua via explicabis Concilia, jubentia, ut quæ ſupereſſent, pauperibus largirentur, vel benedicerentur ad Eulogias conficiendas? Si contra partem ſolum adhibebant, alii igitur partium aliarum largitores Sacrificii participes non fuiſſent? Denique, præterquamquod non ſemper in Miſſa recitata ſunt hæc verba, nunquid non ad hanc quoque diem pro Fidelibus efferuntur, qui tamen nihil obtulerunt?

Hæc ſunt argumenta omnia eruditiſſimi Sirmondi, accurate tum ab ipſo, tum a nobis producta pro magno illo ſuo fundamento; nimirum nullum alium panem in Re divina locum habuiſſe præter illum, quem Chriſtifideles offerebant. At argumenta hæc in duobus deficiunt. Primo quidem, quia nullum, ut antea diximus, ex his teſtimoniis præfefert, panem, in Chriſtum immutandum, detractum fuiſſe ex Fidelium duntaxat oblationibus, atque eundem fermentatum fuiſſe. Secundo, quanquam autoritas Concilii Matiſconenſis, Ordinis Romani, aliorumque, probaret in rem ſuam; id tantum probare, quod poſt ſæculum VI. more uſurpatum fuiſſet, non vero quod antea; eum tamen opinio ſua flagitet, ut oſtendat, quocumque tandem tempore nullum alium conſecraſſe Sacerdotes panem præter oblatum a Fidelibus, atque iſtum ex azymis confectum minime fuiſſe.

Aliud argumentum, a Photii ſilentio petitum.

Sirm. Diſſ. de Azymo c. 3. Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 22. art. 15.

Photii ſilentium de Azymis videtur Sirmondo efficax ratio nullius in Eccleſia illorum uſus. Tempore, inquit Nicolai primi, eum Photius, expulſo Sancto Ignatio Patriarcha, Conſtantinopolitanam Sedem occupaſſet, Eccleſia Græca a Latina deſecit. Cui deſectioni, ut rationem aliquam prætexeret Photius, præcipuus Schiſmatis autor, exprobravit Latinis, & crimini dedit mores multos, a Græcorum moribus abhorrentes: uti jejunium Sabbathi; fidem in Spiritum Sanctum, tanquam a Patre Filioque procedentem; interdictum Sacerdotibus Matrimonium; & idgenus alios de moribus & Diſciplina: ſed de Azymis ne verbum quidem. Cui porro non liqueat, ſilentium hoc conſtans indicium afferre de nondum in Eccleſiam Latinam introducto illorum uſu? Græci

pro-

profecto, qui conſuetudines minoris longe momenti multas in ipſam retorſerant, hujus nullo modo obliti fuiſſent, quemadmodum obliti non ſunt tempore Leonis IX. cum Græci recentes a debita Eccleſiæ obedientia diſceſſerunt. Quamobrem (colligit inde Sirmondus) Azymorum uſus obtinuit in Eccleſia Latina a Photii ætate ad Michaelem Cerularium, nimirum, intra annum 867. ad 1054.

Ego vero dixerim, iccireo Photium non redarguiſſe Latinos de Azymorum uſu, quia ratum habebat, illum ab exemplo Chriſti manaſſe; eum fateatur in Bibliotheca ſua, hanc eſſe Chryſoſtomi, Eccleſiæque Græcæ ſententiam; ut videlicet Chriſtus in Euchariſtia inſtituenda panem azymum adhibuerit. Ad hæc: nonne Photii ætate canebatur diebus Quadrageſimæ canticum *Alleluja*, in Eccleſia Latina? nonne Clerici tonſuram deferebant? & manus in Confirmatione non imponebantur? Interea tamen, licet hæc omnia, aliaque his ſimilia Eccleſia Latina teneret, non autem Græca; nihiloſeeius de illis Photius Latinos haud inſimulavit. Igitur neque illud conſequens eſt, Eccleſiam Latinam non uſam azymis, propterea quod hoc ipſi Photius culpæ non verterit. Poſtremo quæ vis ineſſe poteſt neganti argumento adverſus tot probationes ajentes, quas deinceps afferemus de Eccleſia Romana, ante Photii tempus Azymos adhibente. Occurrimus ſilentio Photii. *Photius, Bibliæ. 216.*

Extat ne, inquit rurſus Sirmondus, ullus Concilii Canon, ante Photii tempora celebrati, qui azymi panis uſum decernat? Dicendum igitur erit, conſuetudinem hanc poſteriorem eſſe ætati hominis hujus ſchiſmatici. Quod adnotavit Demetrius Chomatenus, Bulgarorum Archiepiſcopus, *quem, utpote Græcum Scriptorem, hic potius audiendum putamus, quam Rupertus Abbas, aliique.* Aliud argumentum ex genere negantium.

Hæc argumentatio rite ne, atque ordine procederet? A Photio ad Cerularium nullam legimus Conſtitutionem, vel Concilii Decretum, quod ſancîat Azymos ſuſcipiendos, Fermentum repudiandum. Ergo Eccleſia Latina Sacrum non fecit in azymo pane, ducentorum ferme annorum illorum intervallo, qui inter utraque Græcorum iſtorum Schiſmata fluxerunt? Attamen Sirmondi ipſius confeſſione, caput hoc Diſciplinæ tum temporis in Eccleſia Latina paſſim invaluerat. Refutatio hujus argumenti.

Deinde certo certius eſt, nullum reperiri apud tot eum Græcorum, tum Latinorum Concilia, Canonem, qui jubeat Eccleſiæ vel Græcæ, vel Latinæ Azymorum, vel Fermentati uſum. Integrum ne porro eſſet colligere, utramque Eccleſiam nunquam feciſſe Sacra in pane azymo, vel fermentato? Et tamen id ex argumento Sirmondi deduci poſſet.

Immo vero ſi longius intendere par eſſet negans hoc celeberrimi Jeſultæ argumentum, illum fateri oporteret, panem azymum vel fermenta-

tum non fuiſſe ſubjectam Conſecrationi materiem in Orientis Eccleſia ad VII. uſque ſæculi initium, in Occidentis Eccleſia ad VIII. quandoquidem nullus eſt Eccleſiaſticus Scriptor, nullus Concilii Canon, Liturgia nulla, vel Liber Eccleſiaſticus, in quo mentio fiat vel azymi vel fermentati panis in utraque Eccleſia. Quo in loco non loquor de conſecutionibus, quas elicere poſſemus ex dictis Patrum vel Conciliorum, ſed de locis perſpicuis, ajentibus, & certis pro confirmando utriuſque panis uſu. Quamvis etenim perpetuo conſtiterit, panem eſſe legitimam materiam Conſecrationis, non tamen verbo vel uno ſingillatim ſtatutum eſt, hunc eſſe debere vel azymum vel fermentatum.

Aliud argumentum ab exemplis mutuatum.

Tandem Sirmondus nititur munire opinionem ſuam nonnullis exemplis. S. Radegundes, inquit, panes conficiebat, mittebatque ad Eccleſias pro Sanctorum Myſteriorum uſu; uti didicimus a Fortunato. Hiſtoriam pariter non præteriit mulieris, Sancto Gregorio reſpondentis, ſe riſu exceſſiſſe, *quia panem, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu Corpus Dominicum perhibebas*. Verum præterquamquod factum mulierum iſtarum non probat magis, panem ab ipſis confectum fermentatum fuiſſe, quam azymum; mihi videor inde inferri poſſe, præſertim ab exemplo S. Radegundis, panem ad Conſecrationem aſſumptum non fuiſſe illum, quem populus fidelis offerebat : ſed Sanctam Virginem iſtam pietatis gratia, ſuique in Sacramentum obſequii per ſeſe panem illum ſubegiſſe, ut nitidius pararetur, atque Eccleſiis diſtribuiſſe.

Joann. Diac. in Vita S. Gregorii.

Hic, ut opinor, finis eſto omnium, quæcunque Azymorum propugnatores vel oppugnatores attulerunt, tum ex autoritate Patrum & Conciliorum, tum etiam e conjectura deprompta.

ARTICULUS VIII.

Animadverſiones in momenta Eruditorum, uſui panis azymi tum ſuffragantium, tum refragantium.

Modeſtia ſingularis eorum, qui tres de Azymis opiniones propugnant.

PRimo loco illud ſubit animadvertere, nunquam fatis admirandam eſſe, non modo reconditam eruditionem, ſed modeſtiam ſingularem Scriptorum illorum, quos pro tribus de Azymis ſententiis in medium attulimus. Vis quidem intelligentiæ & cognitionis illorum in iis, quæ Eccleſiaſticam & profanam antiquitatem attingunt, cuique perſpecta eſt; ſed attende argumentum moderationis hujus, tam inter Viros Litteratos inuſitatæ, quam prævalens eſſe deberet cujuſcumque germani ſapientis affectio.

Cum

Cum Sirmondus non poſſit non improbare interpretationem Baronii ad loca Pontificum Melchiadis, Siricii, atque Innocentii I. de pane fermentato, loquitur in hunc modum. *In qua ego diſputatione ſi quid ſentiam expoſuero, non vereor ne contra Baronii mentem votumque facere videar, cum omnes ad hoc ipſum ut ſua libere promant invitarit : nec me ab ejus ſententia diſcedere indignabitur quiſquam, qui meminerit illum pro ſingulari ſua modeſtia, ſolitum aliena haud gravate audire, & ſi meliora ſuis cognoſceret libenter amplecti.* *Sirm. diſquiſ. de Azymo c. 5.*

Mabillonius quoque non putavit, ſibi propugnandum eſſe Azymorum uſum, a Sirmondo impugnatum; niſi antea publice teſtatam faceret ſuam pro ipſo exiſtimationem, eamque iiſdem ferme ſenſis, ac pene vocibus indicaret, quibus utitur Sirmondus pro Cardinali Baronio. Tandem Bona eundem Mabillonio morem gerit, ubi ejus pro Azymo argumentis reſpondet. *Mabill. Diſſ. de Azymo pag. 1. & 4.* *Bona Epiſt. ad Mabill. Rome 1673.*

2. Quamquam igitur præ oculis non haberem exempla hæc tantæ virtutis præſtantiſſima, non tamen feciſſem, quominus ingenue faterer demiſſam venerationem meam eminenti Summorum Virorum iſtorum ſapientiæ; atque hoc loco teſtarer, me, qui poſt tot homines litteratos rem hanc retractare ſuſcepi, immo a diverſis illorum ſententiis diſcedere, me inquam, conſilio meo, conſtitutiſque præceptis coactum fuiſſe, ut in implexa adeo quæſtione alias plane ſemitas ingrederer. Non itaque id factum eſt animo contradicendi peritis Autoribus iſtis, aut ſpe nixus, qua ſententiam meam aliorum ſententiis præſtare exiſtimarem; ſed potius cogitatione & conſilio obtemperandi voluntati ipſorum, qui hortati ſunt ſcribentes ſuper hac re, ut novis viribus conarentur, in controverſiam iſtam, totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fortaſſe occultiſſimam, altius ſe inſinuare. In ſpem inſuper non mediocrem inducor, fore, ut nemo facinus hocce noſtrum redarguat, ubi reputet animo inimitabilem pene Criticorum iſtorum moderationem, qua hilare allorum doctrinam receperunt, immo ſuæ non ſemel prætulerunt, cum veritati propriorem eſſe cenſebant. Hæc nanque unus laborum & vigiliarum ſuarum finis erat, eique libenti animo obſequebantur, ubicumque ipſis obverſaretur. Conſilium Auctoris.

3. Non magnopere dubitavi, quin exploratum faceremem iis, qui non ſatis diligentem rebus iſtis operam dederunt, nullum eſſe, quod noverim, inter tot loca, quæ afferunt, in quo firmum argumentum ſtatuere poſſimus. Expendere nimirum placeat ſingillatim teſtimonia omnia, e Conciliis, Patribus, Libriſque Eccleſiaſticis depromta; & ne unum quidem reperies apertum clarum atque abſolutum, cum pro ſtatuendo, tum pro rejiciendo Azymo vel Fermentato. Nihil eſt apud Antiquos magni momenti ſuper hac quæſtione.

Hæc teſtimoniorum veluti ſtrues, utrinque congeſta, plerumque non efficitur niſi locis, e Libris certo falſis aut maxime ambiguis comparatis; vel demum loca eadem laborant ambiguitate, ut tandem nemini profutura ſint, niſi longe accerſitis interpretationibus vel conſecutionibus: adeoque omnis fere Patrum vel Conciliorum pro alterutra ſententia locus, ad contrariæ opinionis præſidium revocari poſſit. Voces iſtæ *panis*, *oblata*, *oblationes*, *ſacrificium*, *fermentum* ambiguæ ſunt, & propterea dum hic eas accipit pro ſe, alter ſenſum penitus adverſum ipſis accommodat; iiſdemque dictis ajentem & negantem partem facile tuentur. Quæ pariter verborum ambiguitas magnam affert utilitatem teſtimoniis Veterum expediendis, ab adverſariis removendis, atque in ſuum cenſum adducendis.

Nihil in tota Antiquitate reperies, quod ſatisfaciat.

Non eſt itaque mirum, opiniones fundamentis tantæ levitatis conſtitutas, neque facere ſatis ipſarum propugnatoribus, neque expugnatoribus: omneſque ingenue profiteri, ad ſæculum VIII. uſque, nihil extare in tota Antiquitate, quod rem concludat; immo per eoſdem multi operis futurum, aliquid hac de re proferre, quod non ſeverum dixerim Criticum, ſed æquum & rectum hominem expleat. Quod certe ſingularum opinionum Scriptores impulit, ut tentatis viribus omnibus, ſeſe mutuo excitarent, Litteratoſque alios adigerent ad melioris notæ aliquid experiundum; cum ne ipſi quidem contenti eſſent diſquiſitionibus, aut inventis ſuis, atque argumentorum item ſuorum futilitatem cognoſcerent. Quam igitur poſt hæc firmæ erunt conjecturæ, quæ teſtimoniis Veterum undique labentibus innituntur? Magnum quidem ipſarum numerum, & reconditarum, undique cogunt: verum præterquamquod leves ſunt, plerumque maxime ambiguæ, & ſæpe longius deductæ, viciſſim pariter ſe confodiunt, atque ut plurimum hinc evertunt opinionem, pro qua illinc excogitatæ ſunt.

Via & ratio, quam inire quis poſſet, ut controverſiam iſtam dirimeret.

4. Quibus poſitis animadverſionibus, conveniat neceſſe eſt, oportere reipſa viarum iſtarum alteram inire, ut nova aliqua claritas huic de Azymis quæſtioni accederet. Prima ſit, colligere ex Eccleſiaſtica antiquitate teſtimonia, magis explorata & certa, quam illa, quæ hactenus producta ſunt. At vereor, ne hujuſmodi teſtimonia deſint omnino, quoniam, ſi modo eſſent, tot Sapientum aciem atque inquiſitionem haud fugiſſent: idemque dicito de novis conjecturis; cum etenim in ſenſus omnes diſtraxerint quæſtionem hanc, eas profecto detexiſſent atque adhibuiſſent.

Secunda eſſet, diſputationem hanc principiis aliis fulcire, noviſque præceptis moderari. Sum porro neſcius, anne lumen aliquod conferret in rem hanc Critica Traditio, Eccleſiarumque conſenſus & uſus. Alias

equi-

equidem probavi, autoritati & conjecturæ (quæ duo ſunt communia Critices principia) addendam eſſe Traditionem, Eccleſiæque conſenſionem; & operoſum fore, ſine præſidio utrorumque iſtorum principiorum pleraque facta eccleſiaſtica enucleare. Atqui nullibi utiliora mihi videntur eſſe, quam hic; deſtituti nanque Veterum auctoritate & teſtimoniis ſuper Azymorum controverſia, reliquum tantummodo eſt, ut Criticæ Traditioni, Eccleſiæque conſenſioni adhæreamus. *Animad. in Reg. Crit. Diſſ. 7. art. 8. Tom. I.*

5. Præfulgentibus igitur iſtorum principiorum novorum veluti ſacibus, oſtendere enitar, uſum Azymorum in Eccleſia Latina non eſſe Chriſtiana ipſa Religione recentiorem; ſententiamque iſtam non modo probabilem eſſe, ſed aliis etiam fortaſſe probabiliorem. Illud certe commodi præ ceteris habet, ut tot non pateat moleſtis conſecutionibus, quæ in ſententiis Criticorum noſtrorum vitari non poſſunt. Nemo itaque præſtoletur, nos in medium afferre teſtimonia ambigua, aut longe petita, vel e Voluminibus dubiis, ſive apocryphis decerpta. Si conjecturæ meæ ſeorſim acceptæ, leves eſſe videbuntur, ſimul junctæ, niſi fallor, probationem efficient, non quidem nullam dubitationem relinquentem, ſed quæ faciat ſatis hominibus illis, qui de rebus ſecundum adjuncta, argumentique naturam incorrupte pronunciant. Neque vero ullo modo fiet, ut Autorum ſenſis adverſentur; ſententiam meam hinc concutiant, quam illinc propugnaverant; in meipſum retorqueri poſſint, aut ex ipſis conſequentias elici, priſcum Azymorum uſum vel tollentes, vel extenuantes. Traditio eſt tutior via ad diſſolvendam controverſiam iſtam.

6. Certo liquet, me rationibus meis veritatem moraliter exploratam haud tribuere, aliorumque momentis omnem cum vero ſimilitudinem haud detrahere. Quod ſi in eo laboravi, ut argumentis illorum occurrerem, atque oſtenderem, tanta, ut ſibi perſuadent, ſolliditate non aſſici; ſi probavi, autoritates & conjecturas, quibus fidunt, haud raro prodere cauſſam ſuam; ſi in illos eaſdem aliquando converti, vel inde conſecutiones deduxi parum ipſis faventes: id propterea tantum feci, ut perſuaſum Lectori eſſet, ſententias illorum gravibus premi difficultatibus, quæ de certa earundem veritate detrahunt; novas alias eudi poſſe, quæ non minori probabilitate præditæ ſint; atque hærere de opinionum iſtarum firmitate, cum ratione, ad perſuadendum idonea, haud probaverint, quod ſe probaturos eſſe ſpoponderant. Quare reſpondebimus argumentis aliorum.

A R-

ARTICULUS IX.

Poſt octavum ſæculum panis azymus in Eccleſia Occidentis adhibebatur.

Panis azymus in more poſitus erat ſæculo XI.

NEmo unus, quod ſciam, vertit in controverſiam, panem azymum paſſim fuiſſe poſt medium XI. ſæculum in Eccleſia Latina receptum; quod ab Leone IX. ſupremo tum Antiſtite Romano didicimus; qui ſcribens ad Michaelem Cerularium, ait: 1. Jeſum Chriſtum Euchariſtiam in pane azymo inſtituiſſe. 2. Exemplo ipſius Eccleſiam Latinam nunquam Sacra feciſſe in pane fermentato; idque conſuetudinis obtinuiſſe in Eccleſia Latina ante annos mille & viginti, qui a Servatoris morte fluxerant. 3. Neminem ante Cerularium auſſe hanc Eccleſiæ Occidentalis Inſtitutionem vituperare. 4. Martyres omnes ab incunte Chriſtianitate Euchariſticis *Azymis ſaginatos fuiſſe*. Denique diſciplinam iſtam ab inſtituto Petri deſcendere. *

Humbertus, ab eodem Leone IX. in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus, in reſponſione ad Cerularium contendit, nulla intermiſſione Eccleſiam, jam ab initio panem azymum conſecraſſe; atque in diſputatione, quam habuit Cardinalis iſte cum Niceta, cognomento *Pectorato*, morem hunc *ſedis Apoſtolicæ Traditionem* vocat. Alii quoque Scriptores multi ejuſdem ævi, ** aut paullo ſequioris crediderunt, conſuetudinem utendi pane azymo manaſſe ab Apoſtolis, atque in Eccleſia Latina ſemper perſeveraſſe. Quare Azymorum uſus vel Scriptorum iſtorum ætate in Eccleſia Latina conſtitutus erat.

Azymorum uſus non incepit niſi inter IX. atque XI. ſæculum.

Sirmondus autem & Bona non diſſentiunt, panis azymi morem Eccleſiæ Latinæ communem fuiſſe tempore Leonis IX. ſed negant Traditio-

* *Illud autem quis non ſtupeat, quod poſt Sanctos & Orthodoxos Patres per mille & viginti a Paſſione Salvatoris annos, novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans in eos, quicumque participarent ex azymis ..... Quapropter a tanta amentia jam reſipiſcite, & Latinos vere Catholicos, atque maximi Petri familiares diſcipulos, inſtitutioniſque ejus devotiores ſectatores, ceſſate ſubſannando azymitas vocare.* Leo IX. Epiſt. adv. Mich. Cerul. & Leonem Acridanum.

** Algerus, *omnem Eccleſiam præter Græcam ex Traditione Petri & Pauli in azymis celebraſſe*, lib. 2. cap. 3. Hugo Tuſcus, ſeu Eterianus, *Eccleſiam Latinam azyma perpetuo immolaſſe* lib. 2. de Hæreſ. c. 17. Rupertus Abbas, *Eccleſiam Romanam fermentum nunquam adhibuiſſe*. lib. 2. de div. Offic. c. 22. Innocentius III. *Ab ipſis Apoſtolis Petro & Paulo, quos vivos habuit Eccleſia Roma* l. 4. de Miſſa cap. 4. & alii.

nem

nem hanc ab Apoſtolis profectam fuiſſe; aſſeruntque, eundem ante Photii Schiſma ignotum penitus fuiſſe, atque in Occidentis Eccleſiam invectum tantum ætate labente inter Photium & Cerularium, nimirum ab anno 867. ad annum 1054. cujus mutationis nullum aliud afferunt argumentum, niſi ſilentium Photii, qui per illos non abſtinuiſſet, quin Eccleſiam Latinam de hac conſuetudine redargueret, ſi modo Schiſmatis ſui initio recepta fuiſſet.

Quis non videat, parum firmitatis in ſeſe habere argumentum hoc, & ratiocinationem hanc parum æquitatis? Photius id Eccleſiæ Romanæ crimini non dedit: Cerularius vero primus exprobravit; Ante Photium ergo ignota erat conſuetudo hæc, & non inerebuit, niſi ſpatio illo ducentorum circiter annorum, qui inter utroſque Schiſmaticos iſtos fluxerunt. Verum nonne opus eſſet indicare circiter tempus mutationis hujus; qua nam acciderit de cauſſa; quinam duorum ſupra quadraginta Pontificum, Romanam ſedem per illud intervallum tenentium, imperaverit Fermentati deſuetudinem, Azymique conſuetudinem? Conjectura hæc, ut ſuperius oſtendimus, non modo leviſſima eſt, ſed certo & conſtanter falſa; quinquaginta namque ante Schiſma Photianum annis, videlicet ſub initium IX. ſæculi, immo ſub exitum VIII. Azymorum mos inter Latinos inoleverat. Hujus ſententiæ levitas oſtenditur.

Conſtat manifeſto, quod tradit nobis Alcuinus, e vivis ſublatus anno 804. in Epiſtola ſua, per id tempus Angliam & Galliam Azymos adhibuiſſe. Immo ex eodem Scriptore conficere poſſumus, apud Eccleſiam quoque Latinam in more fuiſſe tum azymum panem. *Audivimus* (etenim ait de Presbyteris quibuſdam Hiſpanis) *aliquos in illis partibus affirmare, ſalem eſſe in ſacrificium Corporis Chriſti mittendum. Quam conſuetudinem nec univerſalis obſervat Eccleſia, nec Romana cuſtodit autoritas. Tria ſunt, quæ in Sacrificio huius Teſtimonii offerenda ſunt: panis, aqua, & vinum .... Panis, qui in Chriſti Corpus conſecratur, abſque fermento ullius alterius infectionis debet eſſe mundiſſimus .... ex aqua & farina panis fit, qui conſecratur in Corpus Chriſti.* Azymi uſus obtinebat ante VIII. ſæculum. *Alcuinus Epiſt. 61 ad Lugdun.*

Anno 819. Rabanus Maurus Opus conſcripſit de Inſtitutione Clericorum, quod in Præfatione ſolutæ orationis Haiſtulpho Archiepiſcopo Moguntino nuncupavit. In quo poſtquam animadvertit, uſum panis azymi vim habuiſſe in Eccleſia Latina, & nemini licere alio pane uti, ſubjungit: *Credimus & panem illum, quem primum Dominus in Cœna myſtica in myſterium ſui Corporis conſecravit, infermentatum eſſe;* ex quo infert: *Panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſanctificari oportet.* *Rabanus l. 1. de Eccleſ. Offic. c. 31.*

Cujus hominis ſapientiſſimi teſtimonium non modo ſtatuit, panem azymum

mum in Germania, verum in Eccleſia univerſa. Declarat nanque ab ipſo Proœmio, ſibi propoſitum eſſe agere de Sancto Miſſæ Sacrificio ſecundum Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem: adeoque allatis Miſſæ ceremoniis, & Azymorum uſu pertractato, ſequitur: *Iſtum ordinem, ab Apoſtolis & Apoſtolicis Viris traditum, Romana tenet Eccleſia, & per totum pene Occidentem omnes Eccleſiæ eandem Traditionem ſervant.*

Rabanus ibid. c. 33.

Conſequens igitur eſt, uſum Azymorum communem tum fuiſſe omnibus pene Occidentis Eccleſiis, cum Rabanus Maurus id Operis conſcribebat, ſcilicet quadrageſimo plus anno, antequam Photius S. Ignatium e Sede Conſtantinopolitana depelleret, & multo ante Schiſma Græcorum. Hæc loca extant in editis Voluminibus Autoris hujus, atque in duobus Codicibus manu exaratis, altero ſexcentorum, altero octingentorum annorum; qui quidem ipſius Rabani ætate deſcriptus fuit, ut obſervat Mabillonius.

Mabillon. Annal. Bened. Tom. 2. l. 28. n. 95.

Duo hæc teſtimonia inſeſtiſſima ſunt magno illi Sirmondiano principio de conſuetudine panis azymi, ante Photii Schiſma penitus ignota. Neque adverſantur minus Bonæ opinioni, contendentis, Eccleſiam ſibi Legem non indixiſſe utendi Azymis, niſi eum id culpæ ipſi verterunt Græci ſub Pontificatu Leonis IX. Captus inſuper hic eſt, cum dixit, morem hunc tunc propagari cœpiſſe, eum numerus refertorum Sacris Epulis decreſcere cœpit, & modicus panis Sacerdoti ſimul & Miniſtris ſufficere.

Operum Liturg. tom. 2. c. 23.

Habes, opinor, quod ſupereſt tutius, probabilius, & vetuſtius de Azymorum uſu. Non me latet, alios quoque produci Autores ad confirmandam inſtitutionem hanc eodem ſæculo; ſed cum loca iſta non ſatis aperta videantur, vel dubiis Operibus ſint deprompta; iccirco non puto, magnum inde emolumentum comparari poſſe, non ſecus atque e Conciliis, vel Patribus, qui VIII. ſæculum præceſſerunt. Una itaque reliqua Traditio eſt, ut Azymorum morem ab VIII. ſæculo ad Apoſtolica tempora traducamus: atque hanc impoſterum ſtatuere operæ pretium erit.

Mabill. Diſſ. de azymo c. 9.

A R.

ARTICULUS X.

Quadrifariam tantummodo Usus panis azymi obtinere potuit in Ecclesia Occidentis ad VIII. vel X. saculum.

Tres priores rationes expenduntur.

Quadrupliciter mutari potest Ritus aliquis.

INitio ipso supponendum quod exploratissimum est, nimirum VIII. aut IX. sæculo Ecclesiam Latinam fecisse rem divinam in pane azymo & disciplinam istam generatim receptam institutamque fuisse sæculo X. sive XI. Porro Occidentis Ecclesia consuetudinem hanc recepit, & recipere potuit altero ex his quatuor modis. 1. Ex Lege statuta a Superioribus Ecclesiasticis, qui jusserint universis Ecclesiis Latinis, ut a fermentato abstinerent, atque Azymos inducerent. 2. Mutatio hæc fieri potuit introductione quadam sensim serpente, quæ in aliqua peculiari Ecclesia observari cœperit, quæque obtentu aliquo innovans, Ecclesias ceteras ad sui exemplum perduxerit. 3. Sive omnes, sive præcipuæ Ecclesiæ, quæ communi consensione Romanum Ritum amplectuntur, simul conspirare potuerunt, ut fermentatum panem deponerent, azymumque susciperent. 4. Vel demum id moris ad Latinam Ecclesiam manavit per Traditionem, quæ a primis sæculis descenderit, quæque usu perpetuo ad VIII. vel X. sæculum usque servata sit.

Nullum est in Ecclesia Disciplinæ caput, sive pertineat ad materiam vel administrationem Sacramentorum, sanctum Missæ Sacrificium, Officium divinum, Festorum celebrationem, mores, usus, atque in universum quidquid ad Dei cultum spectat, & Ritus sive Disciplinæ nomine circumscribitur; quod ex his modis aliquo introductum non sit. Quo in loco verba non facio de rationibus extraordinariis, quibus uti potuerit Deus, v. g. revelationis aut afflatus, Ecclesiæ universæ mutationem hanc indicentis; quamvis etenim Ecclesia aliqua particularis hoc pacto morem quendam recipere potuerit, ut legimus in S. Cypriani Libris, Deum sæpius illum visis & revelationibus instituisse de multis, ad Ecclesiæ suæ regimen pertinentibus: nihilominus caret exemplo divinus hic agendi modus, quo caput aliquod Disciplinæ in Ecclesiam universam invexerit.

Cyprian. Ep. 8. 20. 34. 45. 69.

Usus Azymorum nulla Lege constitutus est.

Non est opus multis, ut probem, morem adhibendi Azymos ad Christi Corpus e cœlo vocandum, non obtinuisse in Ecclesia Occidentali primo modo. Ab institutione Eucharistiæ ad sæculum XII. nemo posset in-

dicare Decretum ullum vel Pontificis, vel Concilii, vel Superioris alterius Eccleſiaſtici, quod fermentatum panem removendum eſſe decernat. Pontifices quidem, Concilia, atque Epiſcopi ſanxerunt multa de iis, quibus conſtare deberet panis ad Sacrificium deſignatus, & de ratione illum preparandi; ſed nulla ante XII. ſæculum extat Lex, quæ Latinam Eccleſiam coegerit, ut Azymos amplecteretur, & Fermentum reſpueret. De hac ſane nihil norunt, tum quotquot hactenus ſcripſerunt ſuper hac re, tum ipſi panis fermentati propugnatores. Quamobrem jus eſt nobis affirmandi, mutationem hanc primo ex his modis non accidiſſe, donec ulterius quis nos erudiat.

Eadem mutatio fieri non potuit ſecundo & tertio modo.

Ne longior ſim, aut ejuſdem rei iteratione moleſtior, pergo confiecre unius tantum Dilemmatis vi, mutationem, de qua controverſamur, fieri non potuiſſe ſecundo aut tertio modo; eiſdem nanque probationibus uterque excluditur. Vel uſus Azymorum ſenſim, & veluti gradatim in Eccleſiam Latinam invectus eſt, vel ab omnibus Eccleſiis ſimul, eodemque tempore receptus. Porro eſſet inauditum paradoxon, cunctas Eccleſias particulares, Romanæ Eccleſiæ conjunctas, amplexas fuiſſe eodem tempore conſuetudinem tantæ gravitatis, & defeciſſe ab alia, quam ab omni vetuſtate ſervaverant, ſine ullo Superioris alicujus Eccleſiaſtici imperio.

Vel Epiſcopi omnes contulerunt vicilſim cum aliis conſilium mutationis hujus, vel ſinguli in Provincia ſua, inſciis aliis, id innovarunt. Hic ſecundus modus major eſt, quam ut illum mente capere quis poſſit, & cuidam prodigii generi tribui tantum poſſet, de quo nunquam fando auditum fuit. Et ſane quando nam Dei Omnipotentis virtute id oſtentum patratum eſt? Quod ſi propoſitum iſtud cum aliis contulerunt; Epiſtolis ne id fecerunt, an Legatis? Simplex recedendi a fermentato propoſitio ſine majori examine ſatis ne fuiſſet, ut vetuſta hæc conſuetudo obſoleſceret? Quodnam quantumvis puſillum ingenium aſſentiri poteſt viæ huic, & rationi extraordinariæ novum Ritum ſuſcipiendi?

Neque vero fit magis ſimile vero, id paullatim immutatum fuiſſe, ab Eccleſia ad Eccleſiam irrependo: præterquamquod etenim non pauca ſufficerent ſæcula ad inducendam hoc pacto in omnes Occidentis Eccleſias hujuſmodi conſuetudinem; cui Eccleſiæ adjudicandus honor erit, quod alias ad ſui exemplum revocaverit? Eccleſiæ ne Romanæ, aut Gallicæ, aut Hiſpanæ, vel Germanæ, vel Anglicæ? Quibus teſtimoniis, momentis, vel conjecturis id factum conſtitues?

Probatur, mutationem hanc fieri non potuiſſe.

Tametſi autem concederemus, altero ex his modis Eccleſiam Latinam a Fermentato receſſiſſe, nunquid non oporteret nobis tradere, cur tanta mutatio facta ſit? Emerſerat fortaſſe labentibus Ævis, Ritum conſe-

crandi

crandi in pane fermentato obnoxium fuiſſe incommodis aliquibus apud Latinos, quibus nunquam patere deprehenſus eſt apud Græcos? Unde factum eſt, illos non autem iſtos rem innovaſſe, ſi modo ullum occurriſſet in uſu fermentati panis offendiculum? Porro non dices, Schiſma Græcorum obtentum dediſſe Eccleſiæ Latinæ, ut fermentum removeret; cum multo ante Eccleſiæ Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, &c. panem azymum adhiberent, ut diſcimus ab Autoribus contemporaneis, neque ullus ex defenſoribus fermenti in animum induxit adhuc, ut id in Eccleſiæ Græcæ ſeparationem refunderet. Adeoque nullius ſpecie rationis vel prætextus omnes Occidentis Eccleſiæ priſcam inſtitutionem pro nova ſumenda reliquiſſent. Unquam ne tam immane paradoxon auditum eſt?

Alia de eadem re conjectura

Verum immanius adhuc attende. Concipere ne potes ex mentis humanæ facultate, mutationem tanti momenti accidiſſe nullo repugnante? Fieri ne poterit, inter omnes Eccleſias Latinas nullum Præſulem extitiſſe bene animatum adeo, ut in hanc novitatem conclamaret, ſive eidem adverſaretur? Quid! omnes Provinciæ, Epiſcopi, & Populi tanta animi abjectione vel indulgentia laboraſſent, ut nulla cogente ſuprema auctoritate, ſed privati hominis alicujus impetu, Sacrum Patrum ſuorum Depoſitum deſererent?

Eccleſiæ Occidentis, quod eſt Rituum, non modo inter ſe non conveniunt, ſed ab ipſa Romana Eccleſia diſſentiunt; vixque ullam reperies Eccleſiam, propriis ſuis uſibus haud addictam, quos noluit unquam deponere, quamvis aliis Eccleſiis ignotos: & perſuaſum nobis fore putabis, Eccleſias omnes Latinas nulla vi aut repugnantia deſeruiſſe caput Diſciplinæ ad Myſteriorum ſuorum auguſtiſſimum ſpectans, ut ad aliud ſe conferret: interim dum laudabilem plane conſtantiam oſtendunt in inviolate retinendis moribus multo minoris momenti, quos vel ab Inſtitutoribus, vel Majoribus ſuis acceperunt.

Repugnantia Eccleſiæ Gallicanæ a Romano Officio admittendo.

Nemo unus ignorat, quam ſtrenue laboraverit Carolus Magnus, Regeſque ipſius Succeſſores, ut varia Eccleſiarum Officia ad Romanum reducerent, ejuſque uſum ad ditionis ſuæ loca propagarent. Verum tot conatibus tum ſuis, tum Pontificum etiam, eo rem minime deduxerunt, ut non incredibili diſſidentia obſiſterent Eccleſiæ, quas ad Romanos mores adigere conabantur. Quæque Natio, & Provincia rationes ſuas in medium adducebat, ut nihil innovaretur; perinde quaſi de Patrum ſuorum Religione deponenda negotium fuiſſet.

Repugnantia Eccleſiæ Mediolanenſis de eadem re.

Eccleſiæ Mediolanenſi fuit Miſſa integrumque Officium, ab aliis Eccleſiis, immo a Romana quoque omnino diverſum, quod ab hanc quoque diem extat ex parte, & paſſim vocatur Ritus Ambroſianus, ut

ejus a Romano discrimen sit. Verum sive Officium istud S. Ambrosii opus sit, ut placet Walfrido Straboni, sive a S. Doctore ad peculiarem tantummodo formam redactus fuerit eum pro Ecclesia Mediolanensi, tum pro aliis ejusdem Diœcesis: illud certe verum est, Ecclesiam Mediolanensem, dum Italæ aliæ ad Romanum Ritum migrabant, noluisse antiquum Ritum suum mutare, & renuisse alium amplecti, assumta ratione D. Ambrosii, a quo illum acceperat.

Studium Hispanorum pro suis Ritibus servandis.

Ecclesia quoque Lateranensis adhæsit perpetuo antiquissimo Officio Romano, dum ceteræ ejusdem Urbis alia suscipiebant, & nihil opus fuit minus, quam Decreto Nicolai III. ut, ex Radulphi Tungrensis observatione, ad illud immutandum compelleretur. Olim in Hispania, ubi eumque Gothi dominabantur, singularis Missarum ritus invaluerat, in cujus locum etsi Gregorius VII. in omni pene Hispania suffecerit Missam Romanam, non potuit tamen obesse, quominus aliquæ Hispaniarum Ecclesiæ vetustam Missam suam tenerent, inter quas Toletana & Salmantina hactenus propria utuntur. Porro Hispani egregium studium suum celebrarunt pro Ritibus priscis servandis, atque adventitiis novisque propulsandis.

Petrus de Marca Hist Bearn. Ep. Greg. VII.

Quod si Arragonii ante alios mutarunt ritum; opus tamen fuit, ut illuc Alexander III. Cardinalem S. R. legaret. Sancius autem Arragoniæ Rex, Navarici Regni potitus opera & subsidio Gregorii VII. Missam, aliaque Officia Romana in Regnum suum importavit, at non sine populorum illorum repugnantia multa.

Ad hæc, aliud exemplum habeto, cui centum alia succerescere possent, studii hujus, quo pro servanda antiqua disciplina Ecclesiæ semper flagrarunt. Alphonsus Castellæ Rex non facile cessit impulsionibus Pontificis hujus: Clerus & Populus Castellanus Romanam Missam observare detrectavit; neque unquam huic rei assensionem suam Rex præbuisset, nisi Regina ex Galliis, ubi jam mos hic obtinuerat, profecta, id ab hoc Principe multis precibus impetrasset.

Congruæ rationes, quare mutatio hæc facta non sit.

Ecclesiæ itaque, vetustorum Rituum suorum perstudiosæ, nullam mutationem passæ sunt sine singulari repugnantiæ argumento, & sine illata sibi pene vi: & persuadere nobis quis poterit, omnes Occidentis Ecclesias absque Superioris Ecclesiastici Decreto aut Lege, immo absque ratione ulla discessisse ultro a panis fermentati usu, ut ad Azymos se reciperent, & nihil super hac re inclamasse, vel restitisse: quin etiam latente prorsus hujus mutationis origine, atque ætate; num sensim contigerit, vel simul eodemque tempore; num incæperit ab Ecclesia aliqua singulari, vel omnes una in idem conspiraverint? Id omne insolitum adeo, atque extraordinarium videtur, ut nemo fateri dubitet, fieri, ut sunt humana, non

potuis-

potuiſſe, ut Azymorum uſus ad Eccleſias Latinas manaret ſecundo aut tertio ex prædictis modis. Igitur cum hæc mutatio Lege, aut Decreto Eccleſiaſtico conſtituta non ſit, oportet neceſſario ad Traditionem confugere, quæ VIII. jam ſæculo radices egerat, atque per manus hominum ab Ævo Apoſtolico deſcenderat.

ARTICULUS XI.

Eccleſia Occidentalis adhibuit panem azymum ad uſque VIII. ſæculum ex Traditione Apoſtolica.

FRuſtra a me peteret quis Traditionis hujus momenta, e Scriptis depromta; cum profitear aperte, hujuſmodi nulla eſſe, immo, ut opinor, neque eſſe poſſe. Quod ſi hac in re urgeas, nihil habeo quod reſpondeam præter verba Tertulliani de re non prorſus abſimili. *Harum & ſimilium Diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, fides obſervatrix.* Vel cum Origene reſpondebo: *In Eccleſiaſticis obſervationibus eſſe nonnulla, quæ cum omnibus facere neceſſe ſit, eorum tamen ratio non omnibus patet.*

Nullum Traditionis hujus argumentum, e Scriptis eruere poſſumus. *Tertul. de Cor. Mil. c. 3.*

Orig. Hom. 5. in Libr. Num.

Nulla itaque ſuppetit mihi ratio, ut Traditionem de uſu panis azymi in Eccleſia Occidentis ad priora ſæcula traducam, niſi quod, expenſis viis omnibus, quibus Ritus hic introduci potuit; & pro certo habito, illum propagari non potuiſſe altero ex tribus allatis modis, mihi viſus ſum effici inde licere, ut inſtitutum hoc ad Traditionem referamus, in Eccleſia ante ſæculum VIII. receptam: & profiteor me ab hac ſententia receſſurum, ſtatim ac mihi palam facient, id alia quaque ratione contingere potuiſſe.

Mos hic e Traditione Apoſtolica deſcendit.

Porro manifeſtum eſt, me haud recenſere Traditionem hanc in Traditionum divinarum numerum, cum neque ad Fidem, neque ad Mores pertineat; & res non ſit de Dogmate, quod Apoſtolos ſuos docuerit Chriſtus Dominus, ſed de quodam capite Eccleſiaſticæ Diſciplinæ. Sed neque Traditionem hanc adnumerare poſſumus Eccleſiaſticis illis, quæ vel a Pontificibus, vel ab Epiſcopis introductæ ſunt, quæque paullatim in Legem deſinunt. Puto nanque me oſtendiſſe, nullum extare ante VIII. Ævum Decretum, vel Legem Eccleſiæ, quæ juſſerit Latinis, ut a Fermentato ad Azymos conſecrandos ſe traducerent. Adeoque, poſita origine moris hujus a Traditione, hæc non poteſt eſſe niſi Apoſtolica.

Ut

Quæ ſenſu hæc eſt Traditio Apoſtolica.

Ut autem ſtatim vocum ambiguitatem tollamus: meminiſſe præſtat; duplex Traditionum genus Apoſtolos reliquiſſe. Aliud attinet ad Fidem, aliud ad Ritus & Diſciplinam. Apoſtoli, tanquam organa Spiritus Sancti, primas a Jeſu Chriſti ore, vel divino afflatu proxime hauſerunt, ut loquitur Concilium Tridentinum *: alias vero, tanquam Paſtores & Epiſcopi in Eccleſiam invexerunt. Multæ ex his Traditionibus aliquo duntaxat tempore perſeverarunt: uti Traditio immergendi ter in aquam pueros Baptiſma recipientes; abſtinendi a ſanguine & ſuffocatis &c. Aliæ vero ſteterunt ſemper: quemadmodum Traditio miſcendi in Calice aquam eum vino, uti accepimus a Cypriano; Inſtitutio Feſtorum multorum, quorum meminit Auguſtinus; & id genus alia inſtituta de adminiſtratione Sacramentorum, vel de Sancto Miſſæ Sacrificio. In quorum claſſem referenda eſt conſuetudo conſecrandi panem azymum, quæ ab omni vetuſtate in Occidentis Eccleſia perſeveravit.

Cypr. l. 2. ep. 3. Auguſt Ep. 118 c. 1.

Regula S. Auguſtini. *Aug. l. 1. contr. Donat. c. 22.*

Hoc loci firmare poſſem Traditionem hanc quodam S. Auguſtini principio, dicentis: *Multa eſſe, quæ univerſa tenet Eccleſia; & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.* Verum quidem eſt, Eccleſiam Latinam Eccleſiam univerſam non eſſe; nihilominus, cum panis azymi uſus communis ſit apud omnem Occidentis Eccleſiam a ſæculo VIII. vel IX. ejuſque inſtitutio non legatur in ullo Pontificis vel Concilii Decreto; videtur pronunciatum Auguſtinianum ſufficere poſſe argumentum ſatis ſimile vero, quo conſuetudinem Sacra faciendi in pane azymo e Traditione Apoſtolica deſumamus. Aſt ecce aliud fortaſſe probabilius.

Traditio hæc innititur regulæ S. Irenæi.

Fundatur iſtud in præclara regula Sancti Irenæi, qui docet, cum pius mos aliquis generatim tenetur in Eccleſia, ab aliquo Apoſtolo fundata, cujus nunquam interrupta ſucceſſio ſit, atque alias mos hic a nemine ſucceſſorum ſuorum ſit inſtitutus; ſit inde, inquit S. Doctor, Morem hunc conſtanter in illa Eccleſia perſeveraſſe, atque ab Apoſtolica tantummodo Traditione deſcendere poſſe. Cujus enunciati vi, cum olim Epiſcoporum ſucceſſio exiſteret non modo Romæ, ſed Antiochiæ quoque, Hieroſolymis, Alexandriæ, Epheſi, Corinthi, alibique; tum, orta controverſia, num uſus aliquis, vel obſervantia e Traditione Apoſtolica venerit nec ne, Eccleſiarum illarum conſuetudinem ſciſcitabantur. Inde pariter factum eſt, ſanxiſſe Theodoſium Imperatorem, ut omnes fideliter tenerent,

Irenæus de Hær. l. 3. c. 3.

* *Quæ ab ipſius Chriſti ore, ab Apoſtolis accepta, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus tradita, ad nos uſque pervenerunt .... Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas* &c. Concil. Trid. ſeſs. 4. de Sacris Trad.

quæ

quæ Damaſus Papa Romæ, & Petrus Patriarcha Alexandriæ obſervabant, tanquam duo præcipuarum Eccleſiarum, ab Apoſtolis erectarum, Epiſcopi. *Theod. L. Cunctos populos, cap. de ſumma Trin. & fide Catholica.*

Autores IX. atque VIII. ſæculi prodiderunt litteris, Eccleſiam Romanam ætate ſua panem azymum conſecraſſe, & Traditionem hanc ab Apoſtolis accepiſſe. Atqui ante illud tempus non extat memoria, Pontificem ullum id moris inſtituiſſe; atque alias Romanorum Epiſcoporum ſucceſſio nunquam intermiſſa fuit. Igitur extra omnem controverſiam poſitum videtur ex regula S. Irenæi, Apoſtolos in Eccleſia Romana firmaſſe conſuetudinem utendi Azymis ad Sancta Miſteria. Hæc Irenæi regula traducitur ad rem noſtram.

Deinde eum univerſæ Occidentis Eccleſiæ a Romana non diſſentirent de hujus capitis Diſciplinæ obſervatione, ſaltem ſæculo XI. immo Anglicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, & Germanicæ VIII. non levem habet veritatis ſpeciem, ad Eccleſias haſce omnes ex eodem Traditionis Apoſtolicæ fonte derivaſſe uſum panis ſine fermento. Ad hæc; cum omnes Occidentis Eccleſiæ, ſecundum Innocentii I. animadverſionem, Evangelii lumen ſuſceperint ab Apoſtolis Petro & Paulo, vel a Petri Succeſſoribus; eſt ſane cur præſumamus, Eccleſiarum iſtarum Inſtitutores in eas intuliſſe, quidquid Romæ ea de re uſurpari cæptum erat. Alias difficillimum longe eſſet, duo comperta habere: primo, ſingularem hanc Eccleſiarum omnium Latinarum conſenſionem, quæ tot ſæculorum intervallo ſtetit, nullique obnoxia mutationi fuit: ſecundo, qui potuerit mos hic, ſi modo ab Inſtitutoribus Eccleſiarum particularium exordium habuit, inſequenti tempore citra cujuſvis repugnantiam propagari: nullumque fuiſſe, qui ſe dederit ſancte ad priſcum retinendum morem panis fermentati: quandoquidem nulla prorſus ſupereſt Eccleſiaſtica Lex, quæ particulares Eccleſias ad panis fermentati uſum coegerit. *Innoc. I. Epiſt. ad Decent.*

At enim, inquies, nonne Petrus & Paulus Eccleſias Orientis multas Inſtituerunt. Unde igitur factum eſt, Eccleſiam Græcam panis fermento admixti conſuetudini adhæſiſſe. Ideo ne, quia Sancti Apoſtoli iſti alium in Oriente, aliumque in Occidente Ritum ſtatuerint? Cui argumento occurres primo, ubi dicas: Ab ipſis Chriſtianæ Religionis incunabulis Eccleſiam Græcam & Latinam diſtractas fuiſſe ſuper non unius Diſciplinæ capitis obſervatione. Controverſia de die Paſchatis celebrandi, quæ inter Victorem Pontificem, atque Aſiaticos efferbuit; atque aliæ quæſtiones multæ inter S. Anicetum Papam, & Polycarpum Romæ, ut narrat Irenæus *, agitatæ, oſtendunt plane, utramque Eccleſiam, ſimul atque fundatæ fuerunt, in varios omniuo mores abjiſſe. Jejunium certe Sabbathi, Feſta *Argumentum, quod in hanc Traditionem objicitur.*

* *Beatum Polycarpum Aniceti Papa temporibus Romam veniſſe, atque inter illos, cum de Paſchate, tum de quibuſdam aliis rebus modicam fuiſſe controverſiam.* Apud Euſeb. Hiſt. l. 5. cap. 24.

Na-

Nativitatis Jesu Christi, Magorum adorationis, Baptismi ejusdem, & id genus alia ab ipso Ecclesiarum istarum ortu dissimili admodum ratione celebrata sunt.

Apostoli quidem eandem undique Fidem nunciarunt, quæ ubique locorum, omnique ætate servata est religiose, sibique perpetuo respondit inviolate, atque ad postremum sæculum usque responsura est. Id tamen dici nequit eodem modo quod attinet ad disciplinam, quam Apostoli ipsi eorum arbitrio & moderationi reliquerunt, qui Ecclesiæ gubernacula tractaturi erant, ut quod congruentius videretur, decernerent: adeoque Disciplina hæc in diversis Ecclesiis diversa fuit, atque identidem mutationi obnoxia. *Si variæ quædam institutiones sunt*, inquit Augustinus, *quæ Fidem non mutant, hæc pertinent ad Vestis Sponsæ varietatem, Ecclesiæ scilicet, in vestitu deaurato, circumdatæ varietate.* Quamobrem licet Apostoli Petrus & Paulus azymi panis usum in Ecclesias importaverint, quas erexerant in Oriente: mirum non esset, ab ipsorum Successoribus immutatam fuisse consuetudinem istam, postquam Apostoli ad Occidentem transmigrarunt.

S. Aug. in Ps. 44.

Responsio altera.

2. Satis simile vero fit, institutionem panis azymi ad Ecclesiam quoque Græcam manasse exemplo Sanctorum Petri & Pauli, aliorumque fortasse Apostolorum; eandemque diu perseveraſſe in Ecclesia ista, quæ serius tantum ab azymo pane recessit, ut Dissertatione proxima ostendere pergo.

DISSERTATIO V.

Revocatur ad judicium, utrum Ecclesia Græca rem divinam perpetuo in fermentato pane celebraverit.

Sententiæ Scriptorum de controversia ista.

COmmunis Virorum litteratissimorum sententia est, Græcos in Mysteriis Sanctis panem fermentatum quacumque ætate adhibuisse. Sirmondus ratus, Factum istud extra omnem disputationis aleam esse, nihil in eo probando laboravit. Mabillonius totum caput tertium ad morem istum apud Græcos ab Apostolicis temporibus statuendum convertit; cujus opinionem amplexatus est Bona, eamque aliis a Mabillonio conjecturis nititur confirmare. Alexander in suum sensum transtulit quæcumque duo præstantissimi Doctores illi pro usu panis fermen-

Mabill. Diss. de Azymo c. 3.

Bona rerum Liturg. l. 1. c. 23. Alex. Hist. Sæc. XI. & XII. Diss. XI. art. 3.

mentati apud Græcos congeſſerant, atque exiſtimat, iſtos nunquam ab illius conſuetudine deſeciſſe. In eandem ſententiam venit Calmetus ſub finem Diſſertationis de Paſchate poſtremo, eamque traducit ad conficiendum, Jeſum Chriſtum extremo vitæ ſuæ anno Paſchalem Agnum non comediſſe. Plerique tandem Scriptores, qui Diſputationi huic operam ſuam navarunt, ita factum hiſtoricum hoc certum & conſtans habuerunt, ut ab eo probando ſibi ſuperſedendum eſſe cenſeant. *Calmetus in S. Matt. pag. 153. & ſeq.*

Quare genus quoddam impudentiæ videtur eſſe, opinioni in univerſum receptæ non aſſentiri. Nihilominus nemo ægre ferat, me hue conjecturas aliquas afferre, quarum vi omnino non abhorreat a veritate, diverſam plane ſententiam tueri. De his penes Lectorem judicium ſit, poſtquam momenta penſitaverit accurate, quibus ſulciri poteſt Traditio, de pane azymo a Græcis ſemper adhibito. Propterea, communi ſententia minime rejecta, aut falſitatis nota inuſta, ſatis habeo, ut dubitationis cujuſdam inſtar proponam novam iſtam mentis meæ ſuper hac re perceptionem; qua in medium allata, reſpondere curabo teſtimoniis Patrum, Autorumque conjecturis, pervagatæ opinioni faventibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Simillimum vero eſt, Eccleſiam Græcam Sacrum feciſſe in pane azymo ab ætate Apoſtolorum ad ſeptimum ſæculum.

COnveniat ſtatim neceſſe eſt, quanquam Chriſtus Dominus Euchariſtiam in pane azymo inſtituerit, exemplum tamen ejus non imposuiſſe Eccleſiæ legem utendi azymo pane: omnia nanque Jeſu Chriſti facta præcepta non ſunt; alias neceſſe eſſet quoque, poſt cænam Myſteria Divina peragere. Nihilo ſecius autor eſt Bona, decere magis panem azymum, quam fermentatum in Chriſti Corpus convertere; quod confirmat loco quodam Divi Anſelmi, ſcribentis, panem ſine fermento aptiorem eſſe, puriorem, & diligentia majori confectum: *tum quia hoc Dominus fecit*. Cum eo ſentit Mabillonius, *ad inſigniorem Dominici exempli commemorationem*. Alexander tandem inſtituit Diſſertationem, ut probet adverſum Græcos, Jeſum Chriſtum in Mortis pervigilio Paſcha celebraſſe, Euchariſtiam in pane azymo inſtituiſſe, & laudabilius eſſe, ipſius exemplum ſectari. **Decet magis in pane azymo conſecrare quam in pane fermentato.** *Mabill. ibid. cap. 2. Alex. ubi ſupra art. 2.*

Ex qua Sapientum iſtorum doctrina, communi ſuffragio roborata, efficio, maxime ad veritatem accedere, Græcam Eccleſiam ab Ævis priori-

bus panem azymum in Sacrificio adhibuiſſe. Patribus etenim cum Græcis, tum Latinis inſedit opinio, Jeſum Chriſtum pridie mortis ſuæ Paſcha Legis manducaſſe, uſumque pane azymo fuiſſe ad Euchariſtiam inſtituendam. Longe igitur admodum probabile eſt, Græcos eundem imitaturos fuiſſe, 1. Quia nulla, nobis cognita, ratione moveri poterant, ut ſecus facerent. 2. Quia panis azymus aptior eſt, purior, aliiſque qualitatibus affectus, ut pani præſtet fermentato. 3. Non conſtat, Lege ulla Eccleſiæ Orientalis decretum fuiſſe uſum panis fermentati. 4. Laude dignum eſt, Jeſum Chriſtum imitari, ejuſque exemplo in pane conficeando adhærere. Denique conſuetudo hæc nulla Lege cauta eſt, vel incommodo obnoxia. Colligere itaque poſſumus inde, ſimillimum vero eſſe, eos, qui Græcorum diſciplinam ante alios moderati ſunt, panis azymi uſum conſtituiſſe.

Sententia Philoponi.

Tres eruditi Scriptores, a nobis paullo ſuperius laudati, nihil intentatum reliquerunt, ut panis fermentati morem perpetuum apud Græcos propugnarent. Congerunt nanque loca multa, e Veteribus depromta, pro hac ſententia; ſed fatentur ſimul, nullum eſſe ex his teſtimoniis, quod ambiguitate non laboret præter verba Philoponi, quæ apertiſſima videntur, & momenti loco ponunt, rem hanc concluſe probantis. Philoſophus hic Tractationem de Paſchate conſcripſit, in qua aggreſſus eſt oſtendere, Jeſum Chriſtum, pridie quam pateretur, Paſcha Legitimum non celebraſſe; adeoque Euchariſtiam in pane azymo non inſtituiſſe; cujus rei id affert argumenium: *Neque azymum proprii Corporis Antitipum diſcipulis ſuis dedit Chriſtus; nam & hoc etiam nunc fieret.*

Philopon. de Paſchate.

Locus Philoponi refellitur

Hoc autem ſolidius momentum eſt, quod tribus Scriptoribus iſtis perpetuum fermentati panis apud Græcos uſum perſuadeat. At vero ſi recta eſt Philoponi argumentatio, ſique Sapientum iſtorum conſecutio accurate deducta, oppoſitum omnino inde colligendum eſt, Græcos nimirum ab ipſo Eccleſiæ exordio panem azymum, non fermentatum conſecraſſe. Si Jeſus Chriſtus, ait Philoponus, in Euchariſtia inſtituenda panem azymum adhibuiſſet, idem pariter ejus ætate factum fuiſſet. Quibus adjungit Mabillonius: *Satis apparet Philoponi mentem eſſe, nuſquam in Eccleſia Græca panem alium, quam qui tunc uſui erat, hoc eſt fermentatum adhibitum fuiſſe.* Id tamen non dicit Philoponus, neque aliud huic ſenſui proximum; atque iſtud cogitatum ſine ulla ratione eidem tribuit Mabillonius. Ut ut tamen ſe res habeat, argumentum noſtrum urgeamus.

Mabill. de Azyme, c. 3.

Mabill. de Azyme c. 1.

Eccleſia Græca non dubitavit, Jeſum Chriſtum in pane azymo conſecraſſe.

Eccleſia Orientalis a primis ſæculis non dubitavit, Jeſum Chriſtum in extrema Cœna panem azymum comediſſe. Aſiatici nanque, teſte Mabillonio, confirmabant uſum ſuum celebrandi Paſcha Luna decimaquarta

exem-

exemplo Jeſu Chriſti, qui eo die Agnum Paſchalem manducaverat. Didicimus ab Origene, Salvatorem celebraſſe poſtremum Paſcha more Judaico, in qua opinione ſectatores habuit Theophilum, S. Cyrillum, & S. Proterum, Alexandrinæ Sedis Antiſtites; nec non Epiphanium, Theodoretum; ante alios vero S. Joannem Chryſoſtomum, alioſque Patres Græcos bene multos. Atque opinio hæc adeo pervagata fuit, ut cum Photius *, tum Victor Antiochenus animadvertant, non modo S. Joannis Chryſoſtomi, ſed univerſæ Eccleſiæ Græcæ documento, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis celebraſſe.

Victor. Antioch. in Marc. c. 4.

Porro ſi Eccleſia Græca perſuaſum habuit, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis peregiſſe, atque Euchariſtiam in pane azymo inſtituiſſe, ad veritatem non parum accedit, Græcos ab ſæculis primis pane ſine fermento uſos fuiſſe; quod certe non feciſſent, ubi Salvatorem noſtrum fermentato uſum noviſſent. Quandoquidem igitur Patres Græci tradiderunt, Jeſum Chriſtum in Mortis pervigilio Agnum Paſchalem comediſſe, Corpuſque ſuum ſub panis azymi ſpecie Apoſtolis commendaſſe; probabile admodum fit, tum Græcos, tum etiam Latinos morem hunc ab Apoſtolis accepiſſe, atque utroſque aliquorum ſæculorum ſpatio ad exemplum Jeſu Chriſti religioſe obſervaſſe. Quod ſi conjectura hæc probabile argumentum non parit pro uſu panis azymi inter Græcos, neceſſe pariter erit, ut Critici noſtri deſerant momentum illud, quod a Philopono petunt, ad ſtatuendum in Orientis Eccleſia, præſertim ab Ævis primis, panem fermentatum.

Conjectura de pane azymo Græcorum.

Verbiuſculum etenim illud Philoponi probat ſolum, id moris ætate ſua invaluiſſe in Eccleſia aliqua particulari, non vero toti Eccleſiæ Orientis commune fuiſſe, neque illam ab omni vetuſtate in azymo pane Sacra feciſſe. Hæc ſane non affert Philoſophi hujus locus, & neutram inde eruere quis poterit conſecutionem; licet Mabillonius aliter ſentiat **. Verum tametſi daremus ultro, hujus Philoſophi ætate, Eccleſiæ Græcæ conſuetudinem fuiſſe, pane uti fermentato; quo pacto ad ſæcula prima eandem conſuetudinem aſcendere facient? Bivium tantummodo ad rem hanc eſſet Autoritas, vel Traditio. Quod attinet ad Scriptorum teſtimonia, fruſtra illa deſiderabis. Neque item blandiri ſibi quis poteſt de vi Traditionis ad id oſtendendum. Quo igitur fundamento rem tantam aſſequeris? Non verbis Philoponi, qui de ea nihil loquitur; neque Eccleſiarum conſenſione, quæ nulla prorſus via cognoſci poteſt.

Philoponus loquitur tantumodo de temporibus ſuis.

* *Conſideratione ſane dignum, cum Chryſoſtomus & Eccleſia tunc ipſum docerent legitimum Paſcha perfeciſſe, antequam myſticam inſtitueret canam.* Phot. cod. 116.

** *Sola Philoponi autoritas ſufficere videtur ad probandum, fermentatum apud Græcos ab initio Eccleſiæ, aut certe prope ab initio receptum, perſeveraſſe ad ſæculum VII.* Mabill. Diſſ. de Azymo c. 3.

Objectio. Nonne liquet, inquies, saltem Cerularii ætate universam Ecclesiam Græcam in fermentato pane divina mysteria confeciſſe. Qui mos cum generalis sit, iisdem Sanctorum Augustini atque Irenæi regulis, quibus Traditionem de azymorum usu temporibus Apostolicis roboravimus, æque possumus asserere, morem utendi pane fermentato apud Græcos ab Apostolorum ætate repetendum esse.

Traditio Ecclesiarum Græcarum intermissa fuit. At vero Cerularii ætate Ecclesiæ Patriarchales, ut alias præteream, contaminatæ fuerant ab Episcopis schismaticis, hæreticis, qui identidem ad hasce sedes obrepserant; & legitimorum successio vel sublata omnino fuerat, vel saltem interrupta. Ab eo tempore, quo Hierusalem in Saracenorum potestatem venit sub annum 633. ad finem usque sæculi XI. quo Latini hac urbe potiti sunt, non semper sedes hæc Antistites habuit, & quinque duntaxat aut sex Patriarcharum memoria ad posteros traducta est. Quamvis Alexandrinorum Patriarcharum series ad medium circiter VIII. Ævum certo continuata sit; operosum nihilominus esset aliorum nomina exequi, qui Ecclesiæ hujus titulo tantum insigniti sunt, postquam Alexandria sub imperio fuit Barbarorum. Antiochia quoque, Saracenorum furori relicta, qui eam ceperunt ad annum 685. trium sæculorum intervallo Episcopis caruit; aut saltem omnium ferme Patriarcharum nomina latent. Non vacat hic de Ecclesia Constantinopolitana mentionem habere, eum apud omnes liqueat, eam minime ab Apostolis institutam fuisse.

Regula S. Irenæi non favet Græcis. Quæ cum animadverterimus, facile est percipere, non posse S. Irenæi præceptionem accommodari, ut Traditio panis fermentati in Ecclesia Orientali ad usque Apostolica tempora perveniat. Quo itaque roborabis usum fermenti inter Græcos? Num standum erit Sapientum istorum dictis? Aut verbiusculum Philoponi satis est, ut nos certos efficiat, Ecclesiam Græcam ab initio VII. sæculi sacra feciſſe in pane azymo, & consuetudinem hanc perpetua observatione servasse? Nonne veritati magis affines videntur conjecturæ a nobis allatæ, ut deducamus panis azymi morem ad tempora Apostolica? Mirari certe non subit, Ritum hunc, ab Apostolis invectum, aliquorum sæculorum spatio perseveraſſe; donec plerique Orientalis Ecclesiæ Antistites, a Fide Catholica deficientes, disciplinam quoque de re Eucharistica inverterunt, ut magis ab Ecclesia Romana recederent, in qua, nunquam intermissa Pontificum serie, nunquam pariter Azymorum usus obsoleverat.

Conjecturæ de Græcorum mutatione. Quare non possumus æqua ratione præsumere, tot falsos Patriarchas & Episcopos, vel intrusos, vel hæreticos, postquam Fidei Traditionem, sanamque doctrinam de summa Religionis deseruerunt, flocci feciſſe observantiam vetustæ disciplinæ, ab Apostolis, vel eorum Successoribus

consti-

conſtitutæ? Niſi velimus fortaſſe dicere, eos, ut longius diſtarent ab Eccleſia Romana, quam tot inſectationibus divexarunt, honori duxiſſe, alios plane ſequi Ritus, & nota hac ab Orthodoxis germanis magis diſtingui.

Si vero Epiſcopi Græci, ceterique tot diverſarum Hæreſum anteſignani, mutationem hanc ſeptimo ſæculo non fecerunt; præſumtio tamen noſtra ratione non caret. Quis admirabitur, tot indignos Paſtores impleviſſe in ſex priorum ſæculorum aliquo, quod in poſtremo Schiſmate Græci conati ſunt: *& poſtquam tunicam Domini inconſutilem diviſerunt, ut perpetuæ diviſionis ſcandalum interponerent, Sacrificii ritum temere mutaſſe*, ut ſcribit quidam egregius Pontifex; ſive ex animadverſione Jacobi de Vitriaco, fermentum azymis ſubſtituiſſe, *ne Romanorum Eccleſiam imitari viderentur*? Nunquid non panis fermentati uſum habuerunt ſemper, tanquam indicium præcipuum ſuæ ab Eccleſia Latina defectionis & ſeparationis? Adeoque exemplo ducto a deceſſoribus ſuis, perfecerunt hi opus iniquitatis, quod illi aggreſſi fuerant; immo ipſis antecellere ſtuduerunt, rem ſplendidius moventes, ritumque Latinorum, & panis azymi uſum diris & execrationibus configentes, quod majores eorum præſtare non auſerant.

Innoc. III. l. 4. de Miſſa c. 4.

Hiſt. Occid. c. 38.

Quare poſtremum Græcorum Schiſma ante ſex vel ſeptem ſæcula tantopere pervagatum, anſam dedit reputandi animo, Eccleſiam Orientalem ſemper abhorruiſſe a pane azymo; quanquam ejus rei nullum præſto ſit argumentum ante decimum ſæculum, præter paucas quaſdam voculas Philopono exciſas. Interea tamen gravibus conjecturis ſuſpicamur, Græcos ritum immutare cæpiſſe ſub finem ſæculi ſexti, quod ſequenti articulo examinabimus.

ARTICULUS II.

Aliæ conjecturæ pro uſu azymorum in Eccleſia Græca a primis ſæculis.

EBionitarum mos, quem nos ſuperius recitavimus; & quem adhibent in rem ſuam Mabillonius, Sirmondus, & Bona; prior quidem pro ſtatuendo pane azymo in Eccleſia Latina, alter pro fermentato, tertius vero pro uſu promiſcuo utriuſque; hic, inquam, mos ſuppeditat nobis conjecturam primam pro azymo Græcorum a ſæculo primo. Ecce locus S. Epiphanii, qui de Hæreticis iſtis loquitur in hunc modum. *Myſteria*

Conjectura prima, ab Ebionitarum more petita.

ſteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui ſunt in Eccleſia, quotannis in azymis. Omitto interpretationes diſſimillimas Eruditorum, atque his verbis duntaxat adhæreo: *Myſteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui ſunt in Eccleſia*, quæ non omnibus, opinor, ponderibus examinarunt. Convenit inter omnes, Hæreticos illos rem divinam in pane azymo peregiſſe; ſed Sirmondus putat, eos non offenſuros propter id fuiſſe apud Epiphanium, ſi tum in Eccleſia Latina azymorum uſus invaluiſſet. Mabillonius contra exiſtimat, querelam Sancti hujus Doctoris ad aquam pertinere, quam adhibebant in partem Sacrificii ſui. Bona tandem ait, Ebionitas imitatos fuiſſe in Myſteriis Sanctos, non vero in Myſteriorum materie. Interim tamen locus S. Epiphanii ſine ulla dubitatione contrarium ſenſum edit.

Epiph. Hær. 30.

Quam Eccleſiam imitarentur Ebionitæ.

Cum Ebionitæ ex azymis perficiebant myſteria ex imitatione Sanctorum, qui ſunt in Eccleſia, ante omnia peto, cujus Eccleſiæ eſſent Sancti iſti, quibus imitandis operam dabant? Hæc voce Eccleſiæ venit ne Græca, vel Latina, vel Eccleſia generalis, ex Orientali atque Occidentali compoſita? Si verbum hoc poſteriori ſignificatione ſumamus, conſequens erit, Sanctos Eccleſiæ Univerſalis pane azymo uſos fuiſſe, idque moris poſt ſæculum primum cum Græcæ, tum Latinæ Eccleſiæ communem fuiſſe. Quod ſi vocem ad ſolam Eccleſiam Græcam contrahamus; fateri neceſſe erit, Græcos tum temporis azymum panem ad Sacrificium ſumſiſſe: Tandem ſi placeat, Ebionitas imitatos fuiſſe Sanctos Eccleſiæ Latinæ, id ſus deque vertet opinionem Sirmondianam, & Romanæ Eccleſiæ traditionem confirmabit. Ceterum magis ad verborum naturam accedunt duo priores voeis *Eccleſiæ* explicationes. Hæc nanque verba indefinita: *Sancti qui ſunt in Eccleſia*, non indicant magis Orientalem, quam Occidentalem Eccleſiam, ſed utramque communi hac dictione amplectuntur. Aut certe ſi ad ullam peculiarem Eccleſiam ſignificandam vox hæc definienda ſit, Græca tantummodo intelligenda erit; cum ſimile vero non appareat, Hæreticos, qui in media Eccleſia Græca verſabantur, ſibi in exemplar propoſuiſſe Sanctos Eccleſiæ Latinæ, cum quibus nullam cognationem habebant.

Argumentum in adverſum.

Si vero, inquies, Ebionitæ imitabantur Sanctos, qui ſunt in Eccleſia; numquid Sancti iſti in aqua ſine vino myſteria celebrabant more Ebionitarum? Cum tamen numquam Eccleſiæ Sancti aquam ſolam ad Sacrificium divinum adhibuerint, Ebionitæ in hoc ipſorum exemplum ſequi non potuerunt: adeoque non item in panis azymi uſu, quia utramque rem Epiphanius connectit. Igitur hinc colligit Bona, Ebionitarum imitationem ad myſteria ipſa, non autem myſteriorum materiem ſpectaſſe.

Atqui

Atqui magni hujus Cardinalis reſponſio per ſe ruit. Quis etenim dixerit verba hæc: *Myſteria perficiunt in azymis*, non in materiem Sacrificii, ſed in Sacrificium tantum deſinere? Non repugno, Hæreticos iſtos in aquam ſolam conſecrationem protuliſſe; ſed in hoc Sanctos non imitabantur; neque id aſſeruit S. Epiphanius, eum duo aperte diſtinguat. Primum eſt, Ebionitas ex imitatione Sanctorum perfeciſſe Myſteria ſua in azymis. Alterum, aquam ſolummodo adhibuiſſe, in quo Sanctorum exemplum non ſectabantur, ſed pingui errore laborabant. Audi rurſus locum S. Patris: *Myſteria perficiunt ex imitatione Sanctorum, qui ſunt in Eccleſia, quotannis in azymis;* deinde ſubdit: *alteram autem myſterii partem in aqua ſola.* Quibus mihi videor efficere, S. Doctorem iſtum ponere Ebionitarum imitationem in uſu panis azymi, non vero ſolius aquæ, qui Sectæ hujus error inſignis erat. Explicatur locus S. Epiphanii.

Opus eſt itaque affirmare, Sanctos, Hæreticorum iſtorum ætate, Myſteria Divina in pane azymo confeciſſe; quandoquidem Divus Epiphanius diſerte tradit, Ebionitas his uſos ex imitatione Sanctorum, qui ſunt in Eccleſia. Unde nanque in mentem ipſis veniſſet, panem ſine fermento ad rem divinam adhibendi, ut Sanctos imitarentur; niſi ſciviſſent, Sanctos Eccleſiæ, in qua incolebant, adhibere ſolitos eundem ſine fermento panem, vel cognoviſſent, illos fermentato uti? Denique ſi Sanctos imitabantur, ut inquit Epiphanius, dicendum eſt, Sanctos id feciſſe, in quo ipſis Ebionitæ adhærebant. Porro adhærebant ipſis in uſu panis azymi. Non obſtat autem, Sanctum Epiphanium redarguiſſe Hæreticorum iſtorum inſtitutionem; cum non redarguerit in eis panis azymi uſum, utpote propter Eccleſiæ Sanctorum exemplum adhibitum; ſed quod contenderent, obſervandam eſſe ſimul cum Evangelio Legem Moſis, & Sacrificii partem in aqua ſola collocandam. Græci celebrabant eo tempore in azymis.

Armeni etiam nunc celebrant in pane azymo, quod ab omni vetuſtate præſtiterunt ex Traditione S. Gregorii Armeniæ Epiſcopi, Martyrio confecti a Tiridate Armenorum Rege, incunte ſæculo IV. Sanctus iſte vir, educatus Cæſareæ in Cappadocia, importaverat profecto in Armeniam Eccleſiam a ſe conſtitutam eundem conſecrationis uſum, quem Cæſareæ uſurpari viderat. Quod vero Armeni ab omni Ævo pane azymo uſi ſint, atque hanc diſciplinam acceperint a S. Gregorio primo Epiſcopo ſuo, nunc probaturi ſumus; poſtquam animadverterimus, aſſerere Mabillonium, eos a *Tempore Theodoſii pane azymo uſos videri in re ſacra, ut ipſi tradunt Armeni*: quod idem eſt atque a condita Eccleſia ſua. Secunda conjectura ab Armenorum conſuetudine deptomta. *Mabill. Diſſ. de azym. c. 4.*

Demetrius Cyzicenus hæc habet verba: *Oblationem faciunt azymam, inque calicem communionis, Jacobitarum more, ſolum vinum infundunt, nec miſcent* *Demetr. Cyzicenus de Har. Jacobit. Chaldæorum apud Combef. poſt bar. Manuſc. p. 267.*

miſcent aqua. Veteres autem eorum Doctores Sanctum a Deo afflatum, ac Martyrem Gregorium magnæ Armeniæ Epiſcopum, oblationem ejuſmodi ſine fermento, ac calicem ſine aqua, eis ideo tradidiſſe calumniantur; quia inquiunt, quem Chriſtus panem diſcipulis tribuit in cœna Myſtica, azymus erat, ac calix ſine aqua, quos tamen Eccleſia Catholica, Apoſtolicam ac Patrum Traditionem legitime ſervans, non probat. Quod idem refert Nicephorus in Hiſtoria ſua.

l. 18. c. 54.

Novi iſti Græci de multis Armenos accuſant.

Hinc colligendum eſt primo, utroſque Autores iſtos crimini vertere Armenis panis azymi in ſacris Myſteriis uſum; quod mirum non eſt in duobus Scriptoribus, abſoluto jam Græcorum Schiſmate, viventibus; ſiquidem hac de re poſt illud tempus nihil Eccleſiæ Latinæ pepercerunt. 2. Vinum non admixtum aqua; cum medio circiter VI. ſæculo Armenorum pars quædam Hæreſim Jacobitarum amplexa ſit, atque hunc cum aliis multis errorem hauſerit. 3. Demetrius & Nicephorus affirmant, morem Sacrum peragendi in pane azymo, & non miſcendi aquam cum vino, adverſari conſuetudini Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Traditioni. In quo ſatis conſtat eos falli; quoniam licet Eccleſia, Traditione ſerente, aquam cum vino in Calice miſceat, nihilo ſecius panis azymi morem neque Improbavit, neque ex Fide uſurpavit. Quapropter id, quod Traditionem Catholicam atque Apoſtolicam vocant, nullo modo azymum panem attingit.

Adcuſationes iſtæ mendaces ſunt.

Poſtremo loco volunt Autores iſti, falſo Armenos venditare, ſe mores iſtos a S. Gregorio Eccleſiæ ſuæ conditore recepiſſe. Verum quibus fidem noſtram citius adjungemus, num duobus recentibus Græcis iſtis, qui quod affirmant, haud probant; an veteribus Gentis illius Doctoribus, qui Eccleſiæ ſuæ Traditioni dicunt teſtimonium? Illud quidem certo liquet, ex ipſius Bonæ, aliorumque Sapientum confeſſione, tempore VI. Synodi, anno 680. celebratæ, Armenos pane azymo uſos fuiſſe: & tamen Concilium Conſtantinopolitanum *in Trullo*, coactum anno 692. quod in Armenos edidit Decreta multa, atque inter alia pœna Depoſitionis indicta, aquam in Calice cum vino miſcere ipſis imperavit: Patres, inquam, Concilii hujus non vituperant Armenos de panis azymi conſuetudine; & propterea non exiſtimant morem iſtum, tamquam errorem Traditioni contrarium, ſed potius tanquam Eccleſiæ inſtitutionem haud damnandam, quippe quæ antecedenti, aut tertio ſaltem abhinc ævo communis fuiſſet toti Eccleſiæ Græcæ, aut ſaltem Armenæ.

Conjectura Tertia.

Adde his argumentum aliud non pœnitendum. Mauritius Imperator, qui Tiberium excepit anno 582. Armenia univerſa in ſuam ditionem redacta, juſſit omnibus Provinciarum iſtarum Epiſcopis, ut ſe Conſtantinopolim

nopolim conferrent. Sed Moſes Catholicus, *primæ Armenorum ſedis Antiſtes, quam ab initio Gregorius occupaverat, renuit illuc migrare, dicens: *Abſit, ut tranſeam fluvium Azat, vel furno coctum comedam, aut calidum bibam. Simili quoque ratione Epiſcopi Provinciæ Aſpouran quotquot ſub Perſarum ditione erant.* Hæc autem verba referunt Epiſcopi iſti ad duos Græcorum mores; primum, quo in pane fermentato conſecrabant; alium, quo calidam aquam in calicem immiſcebant, & per eos graviſſima myſteria ſignabat.

Narrat de Rebus Armeniæ apud Combef. Hiſtor. Hæreſ. Monoth. pag. 282.

Tametſi igitur inſtituta iſta ad diſciplinam tantummodo pertinerent; nihilominus Moſes, aliique Epiſcopi noluerunt ullam cum Eccleſia Byſanthina communionem habere; atque adeo duo monet obtentus hic non migrandi ad Urbem Imperialem. Primo, Armenos tam fuiſſe addictos conſuetudini ſuæ de uſu panis azymi, ut Græcorum conſuetudo ipſis fuerit offenſioni, & putaverint hac de cauſſa poſſe ſe ab illorum ſocietate abdicare. Secundo, uſum panis fermentati recentiſſimum fuiſſe apud Græcos. Si nanque Epiſcopi, Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjecti, conſecraſſent ab omni ætate panem fermento commixtum, num id Armenos latere potuiſſet? Præterquamquod unde fit, Armenos ante finem VI. ſæculi nunquam non communicaſſe cum Epiſcopis Byzantini Patriarchatus, ut compertum ſit, ex Conciliis habitis, quibus hi quoque interfuerunt; & ſub exitum ejuſdem ſæculi ab eodem abſtinuiſſe? Dicendum igitur erit, Græcos tum immutaſſe materiem conſecrationis, & panem azymum reſpuiſſe, ut fermentatum adhiberent.

Quare Moſes Conſtantinopolim petere recuſaverit.

Neque vero dubitare fas eſt, Armenos tum Catholica germana fide claruiſſe, cum ipſorum Epiſcopi adſtiterint Concilio, anno 553. Conſtantinopoli, Vigilio Pontifice, celebrato, in quo anathemate percuſſi ſunt Origenes, Evagrius, Didymus, Neſtoriani, Jacobitæ, Julianitæ, atque in univerſum, quicumque Neſtorii atque Eutichetis erroribus imbuti fuerant. Ut autem extaret memoria, Armenos execratos fuiſſe in hoc Concilio errores aliquos, qui in quaſdam Eccleſias ſuas irrepſerant; exinde appellata eſt *Porta Armenorum*, illa, per quam in Sanctæ Sophiæ Templum ingreſſi fuerant. Non tamen inficior, redeuntibus Epiſcopis in Armeniam, nonnullas Eccleſias priſtinis erroribus adhæſiſſe, qui impoſterum propagati ſunt, atque adeo Armeniæ partem a Fide Catholica non deflexiſſe, reliquam variis hæreſibus infectam fuiſſe: ſed Moſes ſuperius laudatus, veræ Religioni omni tempore firmiter animum convertit, nec non alii Epiſcopi non pauci, qui poſt illum Sedem eandem tenuerunt.

Ibidem ubi ſupra pag. 279.

Ibidem pag. 291.

* Antiquitus nomen Catholici titulus dignitatis erat, & Primatem vel Patriarcham ſignificabat. Armeniæ Catholicus præerat Epiſcopis plus mille.

Uſus panis azymi apud Græcos perſeveravit.

Illud etiam manifeſto conſtat, Armenos, ſive hæreticos, ſive catholicos, nunquam ad hanc diem ab adhibendo pane azymo deſtitiſſe; & S. Nico, qui ſub finem X. ſæculi floruit, primus eſt Armenorum, qui genti ſuæ panis azymi uſum exprobraverit *. Qua in re mirari non deſino, Sanctum Virum hunc eis culpæ dare, quod divina Myſteria Azymis conficerent; quandoquidem Concilium in *Trullo* iiſdem pœnas Eccleſiaſticas non minitatur, niſi propter aquam in Calicem non immixtam. Niſi dicamus, S. Niconem ægre tuliſſe, Armenos non ſtare conſuetudini panis fermentati, quæ inter Græcos obtinere jam cœperat, & nimio ardore commotum, id errorem cenſuiſſe, quod nunquam revera fuerat.

Poſt ultimum vero Schiſma, Græci ediderunt hanc formulam fidei, quam ab Armenis extorquebant, ubi ad Græcam Eccleſiam redire voluiſſent. *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & ſal, nec aquam cum vino in ſanctum calicem, anathema ſit.* Quod argumento eſt, Armenos poſt Eccleſiæ Græcæ a Latina defectionem priſcum ritum ſervaſſe. Atque ipſe Cardinalis Bona autor eſt, eos conſtanter in azymo pane poſt ſextum ſæculum Sacra feciſſe.

Apud Jo. Catel. in Notis ad Lib. 3. Conſt. Apoſt. pag. 237.

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 23.

Maronitæ in pane azymo conficiunt. *in annot. ad Catal. Lib. Chal. Chaldaic. p. 134.*

Maronitæ pariter ſuſtinent, Azymorum morem in Eccleſiis ſuis vetuſtiſſimum eſſe. Abrahamus Ekellenſis id probat teſtimonio cujuſdam Davidis Archiepiſcopi Maronitæ, qui ſcribebat anno 1053. Quod cum deprehendiſſet Bona non exigui momenti fore pro uſu Azymorum in eadem Eccleſia ante omnem memoriam, operam poſuit ut enervaret; cauſſatus, ſimile vero eſſe, Maronitas tum Azymos recepiſſe, cum ad noſtram Fidem converſi ſunt, quod contigit Guillelmi Epiſcopi Tyrii ** tempore, ut ipſe narrat in Hiſtoria ſua. At vero ſatis erit legere citatum locum, ut planum fiat, Guillelmum Tyrium, de Maronitarum ad bonam frugem converſione diſputantem, ne verbum quidem facere de Azymorum receptione. Fateor ſane, Maronitas non inficiari, poſt aliquos annos ſe formam panis conficerandi mutaſſe, ut ad Eccleſiæ Romanæ ritum ſe componerent; ſed quod attinet ad materiam, hæc nihil eſt minus antiqua, quam Eccleſia ipſorum, quæ ante ſæculum V. fundamenta poſuerat.

Alexandriæ, & Hieroſolymis panem azymum adhibebant.

Baronius recitat Epiſtolam Michaelis Cerularii ad Patriarcham Antiochenum, in qua conqueritur de Patriarchis Alexandrino & Hieroſolymitano, poſtquam illos accuſavit tanquam Fidei deſertores, & in Sacrificio

* *In pane myſtico utuntur azymis, & in ſanctum calicem aquam non immittunt.* S. Nico de peſſ. Relig. Armenorum.

** *Ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ reverſi ſunt, Fidem Orthodoxam ſuſcipientes, parati Romanæ Eccleſiæ Traditiones cum omni veneratione amplecti atque obſervare.* Guill. Tyr. Hiſt. l. 22. c. 8.

Miſ-

Miſſæ nomen apponentes Pontificis Romani, ipſumque in eorum Dypticis exſcribentes: *Nec hoc ſolum*, ſubdit, *verum etiam ad aures noſtras pervenit, quod prædicti duo Patriarchæ non ſolum alios Azymis veſcentes recipiunt; ſed etiam ipſi aliquando in Azymis conficiant Sacramentum.* Quæ Cerularii querimoniæ nos docent, ante Schiſma Eccleſias iſtas in pane azymo rem divinam peregiſſe: & ſatis ſimile vero ſit, Schiſmaticum ideo cum eis hoc expoſtulare, quod ſcilicet noluerint priſcum ritum ſuum abjicere, ut ſuper hoc capite Græcorum cæterorum exemplum ſectarentur. *Baron. Tom. XI. anno 1054.*

ARTICULUS III.

Refelluntur diligenter, quæ contra ſunt.

INitium facio a conjecturis, quæ Mabillonium compulerunt, ut agnoſceret uſum panis fermentati apud Græcos ab ipſo Eccleſiæ exordio. Inquit ante omnia, gentem hanc mordicus adhærere moribus conſtitutis a majoribus ſuis, & nunquam fere hactenus eos immutaſſe. 2. A ſæculis primis aliquod diſcrimen fuiſſe inter Ritus Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis, ut narrat Euſebius; immo abs re non eſſe dicere, materiam Euchariſtiæ (ait Mabillonius) hujus generis eſſe. 3. Conjecturam hanc roborat loco quodam Origenis, qui diſſerens de fermento Phariſæorum, ait: *An non & aliquando fermentum offertur ſuper Altare?* Innititur quoque loco cuidam, e Chronico Dacii Epiſcopi Mediolanenſis deprompto, atque alteri Photii affirmantis, variare nonnihil Eccleſias ſuper Miſſæ Sacrificio, quod (inquit celebris hic Benedictinus) de pane Euchariſtico intelligere poſſumus. Deinde profert teſtimonium Cardinalis Humberti, quod habet, tempore VI. Concilii, Græcos in alio pane a Latinis Sacramentum Euchariſtiæ celebraſſe. Poſtremo citat Philoponi locum, de quo ſatis ſuperius locuti ſumus. Obiecta Mabillonii. *Diſſ. de Azymis, c. 3.*

Non poſſumus non fateri, conjecturas haſce omnes nauci faciendas eſſe. Euſebius & Photius nihil dicunt, quod panem fermentatum, vel azymum indicare poſſit. Quod eſt Origenis, non conſtat, utrum de novo, vel veteri Teſtamento loquatur. Chronicon Dacii alibi oſtendimus, adulterinum opus eſſe, aut ſaltem maxime ambiguum, ut non negat ipſe Mabillonius. Denique citra omnem dubitationem eſt, quidquid aſſerat Humbertus, in VI. Concilio nullam fieri de pane azymo, vel fermentato mentionem. Refutantur.

Alia ejuſdem conjectura.

Hic pariter nolo tacitus præterire conjecturam aliam, quam capit eruditus hic Benedictinus a veteribus Græcorum Liturgiis, quæ præcipiunt, ut panis Sacrificii integer ſit, ſpiſſus, & juſtæ magnitudinis; e quo dividantur lanceola, in hunc uſum parata, partieulæ conſecrandæ, quod ad hanc quoque diem præſtant Græci. At vero lanceolarum uſus quam-

pag. 116. certiſſime recens admodum eſt, uti adnotavit Jacobus Goar in Euchologio. In Liturgiis etiam nulla mentio fit panis fermentati; & non video, quare panis azymus ita confici non poſſit, ut poſtulant Liturgiæ; cum fieri eum non repugnet integrum, juſtæ magnitudinis, & non modica denſitate conſtantem.

Argumentum Cardinalis Bonæ adverſus uſum Azymorum apud Græcos.

Ab eadem ſententia eſt Cardinalis Bona; at illa firmat teſtimonio multorum Græcorum * Patrum, dicentium, panem, pro Conſecratione diſpoſitum, eſſe panem *communem*, *vulgarem*, *uſitatum*. Porro panis communis nomine, inquit magnus hic Cardinalis, quo paſſim utuntur homines, accipiendus non eſt, niſi panis fermentatus. Ceterum ubi expenderis diligentius Patrum omnium iſtorum loca, liquido fiet, eos non ſumere verba communis panis in ſenſu proprio, atque ex adverſo panis azymi, ſed ut opponitur pani conſecrato, nimirum Corpori Jeſu Chriſti. Alias cum panis azymus ex eadem materie fiat, ac fermentatus, vocari æque poteſt panis communis; immo fatetur idem Cardinalis ex Cor-

Corn. Celſ. l. 2. c. 24. & 28. nelii Celſi autoritate, azymum panem cum apud Romanos, tum apud alias etiam nationes in uſu fuiſſe.

Alia Cardinalis hujus conjectura.

Contendit inſuper, querelas Græcorum in eos, qui Patriarchæ Conſtantinopolitano obedientes vel conjuncti, adverſus Eccleſiæ Græcæ morem, panem azymum in Chriſti Corpus convertebant, non leve ipſi ſufficere argumentum pro pane fermentato ſemper a Græcis adhibito. Sed in medium nemo producere poterit autorem alium, qui inſurrexerit in Eccleſias utentes azymis ante S. Niconem, cujus exceſſus incidit in finem ſæculi X. Quod etenim eſt Ebionitarum, nunquam S. Epiphanius eos de panis azymi conſuetudine reprehendit, quam acceperant *ex imitatione Sanctorum, qui ſunt in Eccleſia*; ſed aliis de cauſſis, ut vidimus in anteactis.

Alia ejuſdem Autoris conjectura.

Firmiſſimum autem, quod afferat hic Cardinalis pro uſu panis fermentati inter Græcos momentum, quodque non admodum vetuſtum probat apud Armenos panis azymi morem, ducitur a verbis Galeni. In-

* *Non enim ita ſumimus, ut communem panem, & communem potum.* Juſt. Mart. in 2. Apol. *Jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia.* Irenæus l. 4. c. 34. *Panis item panis eſt initio communis, ſed ubi eum myſterium ſacrificaverit, corpus Chriſti fit & dicitur.* Greg. Nyſs. Orat. de Bapt. Chriſti. Loca Sancti Cyrilli Hieroſolymitani Catech. Myſt. 3. S. Iſidori Peluſiotæ, & Theodori Abucaræ, ab iſto Cardinali laudata, eodem recidunt.

quit

quit enim hic, Homaro Saracenorum Principe, quoſdam Epiſcopos Armenos & Syros coegiſſe Concilium in Hireanæ Provinciæ finibus, atque Urbe Manaſchierti; ibique ſanxiſſe, in Jeſu Chriſto unam tantum naturam eſſe, unam voluntatem, atque operationem; & caviſſe ne impoſterum in Sancto Sacrificio uteretur quis pane fermentato, vel aquam in calice immiſceret. Quod, ait Bona, VI. Concilii Generalis ætate contigit.

Galenus de reconciliatione Nicetæ Patriarchæ cum Eccleſia Romana, cap. 17.

Attamen non eſt dubitandum, ante tempus iſtud Græcos cœpiſſe in Sancto Sacrificio adhibere panem fermentatum, quod diſcimus a Philopono; ſed locus Galeni non efficit, morem hunc fuiſſe Eccleſiæ Græcæ communem, neque Armenos tum ſolum temporis panem azymum adhibuiſſe; ante nanque plus centum annos conſuetudo hæc obtinuerat apud Armenos, cujus ſpecimen exhibet recuſatio Moſis, Patriarchæ Armeni, pergendi Conſtantinopolim. Non in hoc Concilio itaque Manaſchierti celebrato, Armeni anathema dixerunt Concilio Chalcedonenſi, ſed in alio habito in Civitate Thevin anno 554. tribus ſupra centum a IV. Concilio Generali annis. Tunc Armenorum pars ſecundum S. Iſaaci prophetiam a Catholica Eccleſia defecit. Porro in hac Synodo Thevin celebrata, ne verbum quidem fit de uſu Azymorum, ſed tantum depoſitas fuiſſe Traditiones quaſdam, a S. Gregorio primo Gentis Patriarcha, eorumque Anteceſſore receptas.

Diſpellitur.

Narratio de rebus Armeniæ apud Combefiſ. pag. 290.

Quo in loco illud cavendum puto, ne Armenis omnibus tribuamus, quod paucorum tantummodo Epiſcoporum eſt: multi nanque Fidem inviolate cuſtodierunt, quandiu germani ipſorum Patriarchæ extitere. Quod plane demonſtrat, Armenos ab ipſo Eccleſiæ ſuæ exordio, ſemper in azymo pane Sacra feciſſe; omneſque Eccleſias, utrique Patriarchæ ſubjectas, nunquam inſtitutionem hanc dereliquiſſe, ſive Fidem ſervaverint, ſive Hæreſibus contaminatæ fuerint, ſive tandem ad Eccleſiam Catholicam identidem ſe receperint: idque etiam num retinent incorrupte. Habes, niſi fallor, quæ magis probabilia protulerint Sapientes noſtri ad ſtatuendum panis fermentati apud Græcos uſum a temporibus Apoſtolicis.

AR-

ARTICULUS IV.

Inquiritur quo fere tempore Græci cœperint uti pane fermentato.

Græci Rem divinam peragebant in fermentato Seculo VI.

NUllum profecto extat certum teſtimonium, vel ratio conſtans, ſed tantum indicia quædam, Græcos ab Azymis receſſiſſe quinquaginta annorum ſpatio, quod inter medium ſæculum VI. & initium VII. interfluxit. Non vacat ambigere ex verbis Philoponi, Græcos exeunte VI. ſæculo panem fermento commixtum adhibuiſſe; quamquam haud explicet Autor hic, quæ nam Orientis Eccleſia morem hunc receperit, vel ſi conſuetudo hæc priſca tum eſſet, maximeque communis. Nihil etiam minus perſpicuum eſt, eodem tempore Græcam Eccleſiam univerſam huic Rituiminime adhæſiſſe; quandoquidem Eccleſiæ ſub ditione Patriarchæ Armeniæ, quæ non mediocrem Eccleſiæ Græcæ partem efficiebant, cum millenarium numerum excederent, azymis utebantur; quod in cauſſa fuit, ut Moſes Patriarcha, aliique Epiſcopi bene multi Conſtantinopolim concedere detrectarent, quo eos conciverat Mauricius Imperator.

Diximus etiam, anno 553. Armenos interfuiſſe V. Synodo Generali, quæ fuit II. Conſtantinopolitana: atque adeo ſatis ſimile vero fit, tum Eccleſiam Conſtantinopolitanam azymum panem ad Sancta Myſteria ſumſiſſe; ſiquidem non recuſaverunt Armeni cum Patriarchatus hujus Clericis communionem habere; ut Moſes Catholicus Armeniæ, aliique multi ejuſdem ſocietatis Epiſcopi, conſtanter renuerant nulla alia de cauſſa, niſi a nobis recitata; nimirum ne comeſturi eſſent panem in furno coctum, ſcilicet fermentatum. Nonnullæ aliæ Eccleſiæ Græcæ exemplum Conſtantinopolitanæ ſectatæ ſunt, quæ cæteris eminebat; quod ſenſim propagatum eſt ad poſtremum uſque Schiſma. Tum Michael Cerularius, ejuſque defectionis conſortes, erimini verterunt Eccleſiæ Latinæ, quod pane azymo uteretur: tametſi eorum Anteceſſores morem hunc vel legitimum, vel indifferentem exiſtimaverint; & Patres Concilii Conſtantinopolitani *in Trullo* Armenos de illo minimo redarguerint.

Patriarchæ Conſtantinopolitani quinquaginta annorum ſpatio.

Cum igitur res iſta e conjecturis tantum atque indiciis pendeat, exequar illa, quibus augurari poſſumus, tranſitum Græcorum ad panem fermentatum contigiſſe tempore a nobis præſtituto. Ab anno 553. adusque ſæculi finem quatuor Patriarchæ Sedem Byzanthinam obtinuerunt.

Poſt

Poſt exceſſum Mennæ, anno 553. evectus Eutichius fuit ad Cathedram Conſtantinopolitanam, qui poſt renunciationem ſuam ad Vigilium Pontificem litteras dedit, orans, ut Concilium indiceret, quo controverſia de tribus capitibus Eccleſiam perturbantibus dirimetur. Voti compos effectus eſt, Concilio V. Œcumenico, eodem anno congregato. Paullo poſt hic Patriarcha Juſtinianum Imperatorem, novo alio imbutum errore, reprehendit; quod moleſte adeo tulit Princeps, ut in Epiſcoporum a ſe vitiatorum Synodo, illum Epiſcopatu depellendum curaverit an. 564. atque in ejus locum ſuffecto quodam Joanne, Eutichium exilio mulctaverit. Joannes hic, nomine III. & cognomento *Scolaſticus*, Apocriſarius erat, videlicet Legatus Eccleſiæ Antiochenæ Conſtantinopolim, ubi Hæreticorum partibus dedit manus, qui hactenus elaborarunt, ut eum Juſtinianus Patriarcha in Eutichii Sedem ſubſtituerit. Hanc igitur occupavit injuria ad annum uſque 578. quo, e vivis ſublato Joanne, Eutichius ad Eccleſiam ſuam reverſus eſt.

Joannes III. Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Joannes IV. *Jejunator* nuncupatus, Imperatoris Tiberii II. ſtudio Cathedram Epiſcopalem Conſtantinopolitanam conſcendit poſt Eutichium anno 583. quamquam hic morti proximus, cum noviſſet Joannem hunc ſibi in ſucceſſorem delectum iri, teſtatus fuerit, ſe id non probare, quod videlicet hominem funditus cognoſceret. Joannes itaque anno 587. Synodum convocavit Epiſcoporum, qui in aula Regia verſabantur, aut non longe diſtabant, ut dijudicarent cauſſam Gregorii Antiocheni, cujus innocentia hoſtium vi opprimebatur. In hoc pariter Concilio Epiſcopi Œcumenici ſive Univerſalis nomenclaturam ſibi vindicavit, quod Pelagius Pontifex ægerrime tulit. Eadem quæſtio emerſit rurſus ſub Pontificatu S. Gregorii, qui de nomine iſto loquitur, perinde atque de nomine profano, novo, blaſphemiæ, erroris, veneni, ſchiſmatis, & diabolicæ ſignificationis. Joanne autem e vivis erepto, anno 596. in ejus vicem renunciatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus Cyriacus, Synodumque congregavit, inſcio Gregorio; qui veritus, ne Epiſcopi Univerſalis titulum ſibi Patrum illorum ſuffragiis confirmaret, ſcripſit ad Epiſcopos Orientis, ut huic Conſilio intereederent: ac reipſa, vulgato a Phoca Edicto, ne euipiam, præter Epiſcopum Romanum, Œcumenici nomen imponeretur, Cyriacus dolore confectus interiit anno 606.

Joannes IV. eandem Sedem obtinuit.

Oecumenici nomen aſſumit.

Greg. l. 4. Epiſt. 38. 39.

Cyriacus eligitur poſt mortem Joannis IV.

Quæ omnia ubi animadvertimus, non erit multi operis ſibi perſuadere, Joannem IV. vel Cyriacum potuiſſe operam dare, ut priſcus in azymis conſecrandi Ritus inverteretur. Cum etenim hi duo Patriarchæ auſi ſint aſſumere titulum Œcumenicorum, ut a Pontifice Romano magis recederent, & immunes eſſe viderentur; mirum non eſſet, fermentatum etiam panem in azymi locum ſubſtituiſſe. In hoc certe tempus, vel huic

Mutatio Græcorum hoc fere tempore contigit.

Indicium primum.

pro-

proximum incidit, Moſen Patriarcham Armenum renuiſſe Conſtantinopolim ſe conferre, ne cum ejus Urbis Patriarcha communionem haberet; quod nimirum panem fermentatum in Sacris adhiberet, cujus conſuetudo recentiſſima non eſſe non poterat. Moſes ſane, aliique Armeniæ Epiſcopi nullam aliam attulerunt cauſſam, qua ab illo itinere ſibi abſtinendum eſſe dicebant: licet antea ſemper cum Eccleſiæ illius Epiſcopis ſocietas illorum interceſſiſſet. Atque illud credere neceſſe eſt, Conſecrationem in pane fermentato novum fuiſſe magnæ offenſionis inventum; quoniam hoc utuntur Armeni, tanquam ratione, quare Imperatoris mandatis non obtemperent; quamvis alia ſpecioſiore uti potuiſſent. Satis nanque futurum erat, ſi ob oculos Mauricii poſuiſſent, propter Joannis IV. vel Cyriaci factum, qui Epiſcopi Univerſalis nomen uſurpabant, non poſſe ſe iter illud ingredi; ne viderentur titulum hunc probare, aut novis iſtis Œcumenicis ſubjici.

Indicium II. Sequitur conjectura alia, quæ alicujus fortaſſe momenti videbitur, ſi ad eam diligenter attendamus. Admiratione non caret, Philoponum, ad id pene tempus Conſtantinopoli agentem, etſi ab Alexandria oriundus eſſet, edidiſſe Tractatum de Paſchate, in quo oſtendere nititur, Jeſum Chriſtum non comediſſe Paſchalem Agnum, atque Euchariſtiam in fermentato inſtituiſſe. Habeto autem Operis hujus conſilium, in quo Philoſophus hic nullum ſibi propoſuit Autorem, vel opinionem novam hac de re profligere. Compertiſſimum eſt, ab ipſo Eccleſiæ exordio, perſuaſum fuiſſe Græcis ipſis, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis peregiſſe, & panis Azymi uſu Sancta Myſteria inſtituiſſe. Hæc erat communis Eccleſiæ opinio, & nullum reperies Autorem Græcum vel Latinum, cujus Opera non interciderint, a contraria Sententia ſtetiſſe. Philoponus profecto, qui Alexandriæ fuerat inſtitutus, ignorare non poterat, Theophylum, S. Cyrillum, S. Proterum, aliosque eruditos Antiſtites multos Sedis illius, qui a Concilii Nicæni Patribus deſignati fuerant, ut ſingulis annis diem Paſchatis celebrandi ſtatuerent, & ſummo Pontifici indicarent: non poterat, inquam, ignorare Philoſophus hic, omnes iſtos Patriarchas Alexandrinos cenſuiſſe, Jeſum Chriſtum in Euchariſtia inſtituenda azymum panem adhibuiſſe. Unde igitur ipſi in mentem venit nova hæc cogitatio edendi Tractatum, ut opinionem eatenus in Eccleſia inauditam, & ſine ulla, quæ in ejus Opere appareat, ratione confirmaret?

Indicium III. Eccur inepta conjectura eſſet, aſſerere, conſilium Philoponi, Tractatum de Paſchate ſcribentis, fuiſſe, ut a novo, qui inducebatur, Ritu conſecrandi panem fermentatum, crimen novitatis eriperet? Contendens nanque, Chriſtum Dominum Paſcha Legis minime celebraſſe, & ante Chriſtum Euchariſtiam inſtituentem non fuiſſe niſi panem fermento admixtum;

tum; oſtendebat pariter, mutationem panis azymi nihil niſi pium præſeferre, quippe qui ob Jeſum Chriſtum imitandum deſerebatur. Quæ animadverſio eo videtur æquitati magis conſentanea, quo Græci deinceps nullam aliam protulerunt cauſſam, qua morem ſuum faciendi Sacra in pane fermentato a culpa liberarent, & Latinæ Eccleſiæ conſuetudinem reprehenderent.

Denique eum Philoponus in Tritheitarum Hæreſim inciderit, & duas conſcripſerit Tractationes, alteram adverſus Reſurrectionem Mortuorum, alteram vero contra Concilium Calcedonenſe; non eſt incredibile, eum Opuſculum ſuum de Paſchate conſeciſſe, ut mutationi novæ auctoritatem adderet; morem gereret Epiſcopis illius Autoribus, eorumque exiſtimationem tueretur; vel demum, ut hoc pacto diviſionem foveret inter ſummos Pontifices, & Byzanthinos Patriarchas. Porro non eſt difficile ereditu, mutationem hanc paullatim incrementa feciſſe in Patriarchatu Conſtantinopolitano ſub quinque aut ſex Patriarchis hæreticis, qui ſedem hanc ad annum uſque 658. occuparunt; aliaſque Orientis Eccleſias hujus exemplum ſecutas fuiſſe ad poſtremum uſque Schiſma, in quo uſus hic habitus a Græcis fuit ſeparationis eorum ab Eccleſia Romana tanquam obtentus atque indicium.

Photius Cod. 55.

Aliud Indicium.

DISSERTATIO VI.

De Uſu Sanctarum Veſtium, in Myſteriorum divinorum adminiſtratione.

ANTE *diem Feſtum Paſchæ*, inquit Divus Joannes Evangeliſta, *ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos ..... Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe ..... Poſtquam ergo lavit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua, cum recubuiſſet iterum &c.* Super quibus Joannis verbis controverſia non una inſtituta eſt. Prima quidem, utrum Jeſus Chriſtus, ſingulari quadam indutus veſte, Euchariſtiam inſtituerit. Altera, utrum ſacrorum veſtimentorum in Myſterii divini celebratione uſus ab Jeſu Chriſti exemplo deſcenderit. Denique utrum Apoſtoli, eo-

Joann. 13. v. 1. & ſeq.

rumque Succeſſores, ſex priorum ſæculorum intervallo Rem divinam peregerint in veſtibus, quas paſſim ferebant, vel aliis huic uſui deſignatis.

ARTICULUS PRIMUS.

In contrarias opiniones diſtracti Autores ſunt de origine Veſtimentorum Sacrorum in ſancti Miſſæ Sacrificii celebratione.

Animadverſiones pro hac controverſia dirimenda.

Baron. ad ann. 34. n. 39.

CUM Joannes dicit, Salvatorem a cœna ſurrexiſſe, & veſtimenta ſua depoſuiſſe, exiſtimavit Baronius, veſtimentorum iſtorum nomine intelligendum eſſe ſolemnem habitum, quo Patres familias, vel Domini domus veſtiebantur, dum Paſchalem Agnum manducabant. Hic erat ſine manicis, & quatuor angulis conſtabat, ſub quibus fimbriæ hyacinthinæ, quas præceperat Dominus Num. 15. Præter habitum Pater familias magnifica zona cinctus erat, præclare calceatus, inſigni faſcia frontem redimitus, atque alio quodam ornamento, lævo brachio ſuſpenſo, inſignitus. Jeſus Chriſtus, inquiunt, depoſuit hæc omnia Domini ſigna, cum Servi Officium ſubire voluit. Ex quo Jeſu Chriſti exemplo Autores non pauci conſtituerunt uſum ornatuum ſacrorum in Miſſæ celebratione.

Gretſer. Chron. anno mundi 4114. Amelotius notatione in c. 13. S. Joann. Gall.

Quamquam Cardinalis Bona fateatur, Servatorem noſtrum non immutaſſe veſtes, cum Euchariſtiam inſtituit; perſuaſum tamen habet, Scriptoribus aliis multis annuentibus, Apoſtolos, hominesque Apoſtolicos in Sacris Myſteriis uſos fuiſſe veſtibus ſanctis & peculiaribus. Thomaſſino item placet, Jeſum Chriſtum haud inſtituiſſe Euchariſtiam, ſingulari quadam veſte amictum, & *conſtat*, inquit, *in hoc Chriſtum ſecutos Apoſtolos, quandiu ſaltem Sacra Menſa communi fuit conjuncta.*

Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 5. Valdenſis Demochares, Baronius, Staplentonius, Du Sauſai &c. Thomaſſ. vetus & nova diſcipl. Tome 1 p. 2. l. 2. c. 45.

Simonvillius contra propugnat, ſententias haſce omnes ratione carere; Vvalafridumque Strabonem laudat, quod docuerit, in primitiva Eccleſia Miſſam celebrari conſueviſſe in veſte communi, non ea quidem de cauſſa, quam affert Joſephus Vicecomes: nimirum quia tum temporis Eccleſia non poterat ſumtus facere in veſtibus pretioſis, atque his ritibus accommodatis; ſed quia primi Chriſtiani, quorum plerique Judæi fuerant, in Conventibus ſuis Myſteria recolebant eadem veſte, qua in Sy-

Simonvillius in Interpr. Leonis Mutinenſis in Prof. Honorius in Gemma Animæ c. 89. Vicecomes Obſerv. Eccleſ. Tome 4. l. 2.

nago-

nagogis verſati fuerant. Hæc ratio, quam citra probationem ullam attulit Simonvillius, nihili pene facienda eſt; & quamvis id, quod intendit, colligere ex ea poſſet, deſeciſſet prorſus, Gentibus ad Jeſu Chriſti Fidem converſis. Nicolaus vero Alemannius non modo affirmavit, Apoſtolos haud adhibuiſſe veſtes ſacras; ſed quiquid de his Scriptores ferunt, ridendum ipſi videtur eſſe & fabuloſum.

Nicolaus Alemann. Diſſ. de Parietinis Lateran. c. 9.

Ex mente pariter Bocquillotii, & nonnullorum aliorum, Apoſtoli, eiſque proximi Diſcipuli, induti ſunt in Sacris Myſteriis veſte communi, quæ tum in Imperio Romano paſſim gerebatur. Qui mos per illum pluſquam ſex centis annis perſeveravit; etſi S. Hieronymi ætate ineiperent ad Altare deferre veſtimenta ornatiora, & fortaſſe pretioſiora iis, quæ in reliquo vitæ cultu induebant; non tamen forma diſtincta. Jactata Conſtantini donatio, ſecundum Pelleterii doctrinam, monumentum primum eſt, quod extet de uſu ornamentorum Pontificalium. Ut autem controverſiam hanc deeidamus, ſunt quædam in anteceſſum animadvertenda.

Bocquill. Tractatus Hiſt. de Liturg. c. 7. Gall. Hugo Victor. l. 2 de Off. Eccleſ. c. 12.

Primum ſit, quinque aut ſex prioribus ſæculis Epiſcopos, ceteroſque Eccleſiaſticos homines non habuiſſe peculiaria veſtimenta; ut demum ab Ethnicis non diſtinguerentur habitu, ſed modeſtia, virtutis exercitatione, & morum caſtitate, ut legere eſt in Epiſtola, quam dedit Cæleſtinus Pontifex anno 428. ad Epiſcopos Viennenſem & Narbonnenſem *. Quod nobis oſtendit, nullum fuiſſe Eccleſiaſticorum a Laicis hominibus diſcrimen tonſura capitis, aut veſte corporis. In Concilio IV. Carthaginenſi decretum fuit, ut Clerici modeſtiam habitu præferant **: videlicet ne Viri in Sortem Domini vocati diſcriminentur a Laicis colore pretio aut forma veſtium, ſed ſingulari & inaffectata moderatione. Julianus Pomerius, Sanctus Hieronymus, aliique Scriptores Eccleſiaſtici eadem ſenſerunt.

Animadverſio Prima ro controverſia decidenda.

Pelleterius Diſſ. de error. Pictorum. Gall. Monumenta Trevoic. Sept. 1705. pag. 1634.

Julianus Pomerius de Vita contempl. l. 2. c. 4. Hieron. in Mich. c. 3. in Ep. ad Euſtoch. atque in Epitaphio Nepotiani.

Excipias tamen ab hac regula eos, quos e Monaſteriis ad Epiſcopatum aſſumebant; plerumque etenim Inſtituti ſui veſtes ſervabant, quæ ſine ulla dubitatione a vulgi indumentis diſſimillimæ erant, ut facile eſt oſtendere exemplis S. Martini, S. Germani Epiſcopi Antiſſiodorenſis, S. Fauſti, S. Fulgentii, aliorumque multorum.

Animadverſio Secunda.

Apud Thomaſſ. ubi ſupra Tomo 1. p. 1. l. 2. c. 43

Clerici a ceteris ſeorcti veſte non ſunt, niſi ad ſæculum ſextum vel ſeptimum, in quibus Concilia ſanxerunt, ut deferrent Tonſuram & habitus peculiares; quod apparet in Canonibus V. & XX. Concilii Agathenſis; in Canone V. Concilii I. Matiſconenſis; in Narbonnenſi, celebrato anno 589. aliiſque non paucis.

* *Diſcernendi a plebe, vel ceteris ſumus, doctrina, non veſte, mentis puritate, non cultu.* Cæleſti Ep. ad Epiſcopos Viennæ & Narb.

** *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet; & nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.* Conc. Carth. IV. Can. 45.

Animadverſio Tertia.

Tertiæ animadverſionis loco ſit, non extare memoriam apud Hiſtoricos, neque probari ullo poſſe teſtimonio perſpicuo Conciliorum aut Patrum, veſtimenta, quæ nos vocamus Sacerdotalia, quæque ſepoſita erant pro Altaris miniſterio, alio nomine appellata fuiſſe, vel forma conſuta ab iis, quibus reliqui homines in Romana ditione induebantur. Talaris veſtis erat omnibus uſitata. Tunica, ſive Alba cum linea, tum lanea paſſim uſurpabatur. Caſula, tum *Planeta* nuncupata, Dalmatica, Stola, & cetera veſtimenta, Sacris Miniſteriis nunc addicta, olim tum ad Laicos, tum etiam ad Clericos ſpectabant.

Exeunte igitur duntaxat ſæculo VI. vel ineunte VII. cæptum eſt diſcrimen aliquod admittere in veſtibus, Sanctis Myſteriis adhibitis, aliiſque uſu communi probatis. Quibus paullatim alia forma aptata fuit, ut Miniſtris Altaris eſſent accomodatiores, & aptius muneribus ſuis fungi poſſent: deinde additum aurum, argentum, gemmæ; uno verbo nihil præteritum, quo magnificæ & præclaræ redderentur.

Uſus veſtium Sacrarum ab ſæculis primis.

His animadverſis, perſuaſum nobis eſt, Apoſtolos, eorumque Succeſſores, ſex priorum Eccleſiæ ſæculorum ſpatio, non obtuliſſe Sanctum Miſſæ Sacrificium iiſdem veſtibus, quibus reliquo tempore amicti erant; & quamvis ſingulares eſſent & diverſæ, iiſdem tamen vocatas eſſe nominibus, eadem fuiſſe forma, qua ceteræ vulgares veſtes. Quare ſive Jeſus Chriſtus ſumſerit habitum ſolemnem, ſive ſuum retinuerit, cum Euchariſtiam inſtituit: ſive Apoſtoli Jeſum Chriſtum imitari voluerint, ſive hanc conſuetudinem ipſi conſtituerint: certum eſt Eccleſiam ab ipſo exordio ſuo eam ſervaſſe, & Traditionem hanc firmiſſimum habere in antiquitate fundamentum. Id nos efficere ratione conabimur, & his adverſantia refutare.

ARTICULUS II.

Apoſtoli ad Altare detulerunt veſtes alias ab iis, quibus uſu communi induebantur.

S Joannes Laminamauream in fronte geſtabat.

TRaditio hæc optime innititur Scriptorum Eccleſiaſticorum autoritati. Euſebius ad nos protulit fragmentum Epiſtolæ, a Polycrate Epheſino Epiſcopo ad Papam Victorem miſſæ, in qua ſcribit, S. Joannem, tali honore dignatum, ut ſupra pectus Domini recubuerit, eun-

dem-

demque Sacerdotem, geſtare ſolitum in fronte laminam auream *. Idemque perhibet S. Hieronymus, atque ediſſerit Myſteria, hac dignitatis nota comprehenſa. *Hieron. de Script. Eccleſ.*

Epiphanius ex teſtimonio Clementis Alexandrini, Euſebii, aliorumque ingenua fide Scriptorum, rem eandem affirmat de S. Jacobo Epiſcopo Hieroſolymitano, Fratre Domini nuncupato **. Adeoque uterque Apoſtolus iſte laminam auream in fronte gerebat, tanquam ſignum Sacerdotii, & Regni Spiritalis Jeſu Chriſti, quæ Apoſtolis atque Eccleſiæ ſuæ commendavit. Hæc autem teſtimonia eo ſunt probabiliora, quo Polycrates & Clemens Alexandrinus ſub finem ſecundi, initiumque tertii ſæculi floruerunt; & quæ narrant, ab iis ipſis, qui Apoſtolos iſtos conſpexerant, haurire potuerunt. S. Jacobus aliam huic ſimilem deferebat.

Satis igitur ſimile vero ſit, Apoſtolos perſpectam habentes Sacerdotii Jeſu Chriſti præſtantiam; cognoſcenteſque, cautum fuiſſe Veteris Legis Sacerdotibus, ne ad Altare accederent ſine veſtibus peculiaribus; conſuetudinem inſtituiſſe veſtimentorum Sacerdotalium, ut Myſteria noſtra majeſtate ampliori celebrarentur, & majorem a Fidelibus venerationem compararent. Sunt porro qui credant, Epiſcopos a primis ſæculis redimitos fuiſſe, utriuſque hujus Apoſtoli exemplo, Corona quadam, ſive Mitra. Tametſi etenim Mitræ nomen pervagatum ſit apud Autores priſcos cum Sacros, tum Profanos; ſumaturque pro quodam capitis tegumento, quod varium pro ætate fuit, hominibus & fœminis commune, Regibuſque ipſis Orientis ſimul cum Diademate *** uſitatum: interim tamen extra controverſiam eſt, Mitras Eccleſiaſticas nihil plane habere ſimilitudinis cum iis, quarum vetuſti Scriptores meminerunt. Immo nos quoque latet, qua nam ratione Epiſcopi & Presbyteri tegerent capita in Eccleſiis ante decimum ſæculum, a quo deinceps de Mitra loquuntur, tanquam de Eccleſiaſtico ornamento. Sacramentaria certe Gelaſii, & S. Gregorii, Ordo Romanus, & antiquæ Liturgiæ nihil de illis referunt; neque ullum extat earum veſtigium apud Scriptores Eccleſiaſticos, qui de Ritibus diſſeruerunt ante decimum ſæculum; quo tantummodo elapſo de illis mentio fieri cæpit. An Epiſcopi Mitram gererent primis Eccleſiæ ſæculis. *Themaſſ. ubi ſupra p. 1. l. 2. c. 45. Du Sauſſai l. 1. Panoplia Epiſc.*

Præſumendum itaque eſt, Mitram S. Jacobi, & S. Joannis nihil præ- Species & forma Mitræ S.S. Joannis & Jacobi.

* *Supra pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus fuit, auream laminam in fronte portans* Euſeb. l. 3 Hiſt. cap. 31.

** *Sed & Bracteam eidem in capite geſtare licuiſſe, Euſebius, Clemens, & alii idonei Scriptores commentariis ſuis teſtatum reliquerunt.* Epiph. Hær. 29. & 78. Hier. de Scrip. & in Ep. ad Gal. 2.

*** Xenophon de Cyro loquens, ait: *Cyrus habuit Diadema circa Thiaram*, Lib. 8. Quintus Curtius apertius rem explicat, ſcribens de Mitra Darii: *Cydarim Perſæ Regium capitis vocabant inſigne: Hoc cærulea faſcia albo diſtincta circumibat*, Lib. 3.

tulif-

tuliſſe commune cum Thiara, & Cydari, Mitra, vel Capitis ornamento, quod impoſterum Epiſcopi geſtarunt; ſed vero ſimillimum eſt, eam non parum imitatam fuiſſe imaginem illius, quam ſummus Judæorum Pontifex deferebat, hancque fuiſſe genus quoddam Pilei, in cujus extremitate confuta erat faſcia, ſive diadema candidum, cæruleo evanido virgulatum, quod frontem claudebat, & nodis adſtringebatur retro caput, ut Pileum firmaret, atque media hac faſcia ſuſpenſam fuiſſe laminam auream, duos circiter digitos latam, quæ tribus tæniis revincta e fronte pendebat; duabus quidem utroque extremo poſitis, tertia in medio ſita; quæ ſupra caput protenſa, deſinebat retro, & cum aliis duabus, ibidem occurrentibus vinciebatur ita, ut auream laminam ſuſtineret, & Pileum in capite ſtabiliret. Num autem Mitra ab Apoſtolis delata hujuſmodi eſſet, vel alterius, minimum intereſt conſilii noſtri. Id unum ſatis eſt, antiquos Autores Eccleſiaſticos nobis tradidiſſe, Sanctos Apoſtolos Joannem & Jacobum (quod ſane aliis quoque commune fuit) ſingularia ornamenta pro Sanctorum Myſteriorum celebratione penes ſe habuiſſe. Neque enim apparet, eos paſſim Thiaram, lamina aurea exornatam, deferre voluiſſe.

Joſephus de Bello c. 6. Hieron. Ep. ad Fabiolam.

Ad Timoth. 2. c. 4. 13.

S. Paulus ad Timotheum hæc habet: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.* Vox hæc *Penula*, quam plerumque interpretamur nomine Pallii, maxime ambigua eſt. Quidam accipiunt pro habitu Romano, ſive paludamento Conſulari; alii pro arcula Libris plena; non pauci pro Chartis convoluris. Priſci quidem Scriptores nobis aperiunt, Penulam ſignificare Pallium hyemale, vel rurale, ſive Lacernam: quamvis de hujus habitus forma inter eos non conveniat. Atque hæc vulgatiſſima interpretatio hujus vocis eſt, ut conſulere poſſumus apud Scriptores de re veſtiaria. *

Quid ſit *Penula*, de qua divus Paulus.

Quod ſi *Penula* eſſet Caſula, ſive veſtis pluvialis, ut quibuſdam Scriptoribus placitum fuit; non eſſet multi operis probare Veſtimentorum Sacrorum D. Pauli tempore conſuetudinem. Non me quidem præterit, Amelorium affirmare, opinionem hanc paucos habere e Litteratis hominibus ſectatores; & Gretſerum contendere, *Penulam* nunquam Veſtibus Sacris annumeratam fuiſſe. Interea Ferrarius, qui ab hac ſententia fuerat in prima editione Operis ſui, palinodiam cecinit in ſecunda. Alias, inquit, credidimus, Eruditorum autoritate decepti, id, quod *Penulam* vocant, non fuiſſe ſacram veſtem; *ſed poſtquam non una Penulæ imago in*

Penula ſacer habitus erat.

Notat. ſuper hoc loco Pauli Gall. Gretſ. l. 1. Comment. in Cod. cap. 16.

* Nonius *in Adriano.* Spartianus, Quintilianus l. 6. c. 4. Martialis *l.* 14. *Epigramm.* 130. Juvenalis, *Satyra* 5. Svetonius, *in Caligula c.* 52. aliique profani Scriptores. Bulengerus *de Veſte Pontif. Epiſc. l.* 1. *c.* 20. Albertus Rubenus *l.* 1. *de re veſtiaria, c.* 6. Baronius *anno* 58. *num.* 67. & alii.

ma-

manus venit, mutare opinionem cogimur; veſtemque Sacrificantium Penulam fuiſſe fatemur. Ferr. de re Veſt. l.1. c.36. & ſeq.

Joſephus Vicecomes, Cardinalis Bona, aliique Sapientes multi animadvertunt, quod Græci appellant Φαιόλιον, aut Φαινόλης, idem nos *Penulam* nuncupare, vel Caſulam, vel Planetam, aut Tunicam. Atque hoc plane ſenſu verbum hoc Autores non pauci explicarunt. * Vicecom. Tom.4. Obſerv. Eccleſ. l.2. c.28. Bona, Rer. Litur. c.24. art.6.

Cæſar Bulengerus, allatis in medium variis interpretationibus veterum Græcorum & Latinorum ad vocem *Penula*, addit, hanc veſtem Sacram fuiſſe latam & rotundam, totum Sacerdotis corpus a collo ad pedes cooperientem, & propterea vocari *Planetam* a verbo πλάνη. Philoteus Patriarcha Conſtantinopolitanus nomen φαιόλιον ſumit pro Caſula, quæ a Planeta non differt. *Demiſſam portans Caſulam, demiſſum Phænolium geſtans.* Bulengerus de Veſte Pontif. Epiſc. l.2. c.20. Philot. l.6. de Sacrif. Offic. qui habetur Tom.4. Bibl. SS. PP.

Sanctus Nicephorus, hujus hominis I. qui Conſtantinopolitanam Eccleſiam rexit anno 806. ad Leonem III. Pontificem ſcribens, ait: ſe quædam ipſi dono mittere, inter quæ *Tunicam candidam, & Penulam caſtaneam inconſutilem, & ſemicinctia auro variegata.* Niceph. Ep. ad Leon. III. apud Baron ad ann. 58. n.69.

Legimus in Vita S. Marciani, magni Eccleſiæ Byſanthinæ adminiſtratoris, qui medio circiter ſæculo V. floruit, eum, pietate erga pauperem commotum, eleemoſynam ab ipſo petentem in Sacrario, ſeceſſiſſe in angulum quendam, ut latenter unico, quo induebatur, habitu ſe ſpoliaret: deinde amictum veſte ſacra, nuditatem ſuam penitus occulente, hoc pacto ad Altare aſcendiſſe. Animadvertit autem Hiſtoricus, *habuiſſe illum ſolam veſtem Sacerdotalem, & Penulam, quæ corpus contegebat. Ille quidem Penulam ſimiliter contrahebat, & complicabat, cupiens rem latere.* Codinus de Off. Palatii Conſtantin. adnotavit, Penulam eſſe veſtem Sacram. Apud Bolland. Tomo 1. 10. Jan. in Vita S. Marciani c.3.

Si vero teſtimonia hæc, quibus alia multa attexere poſſem, certo non probant, *Penulam* fuiſſe habitum Sacrum a primis ſæculis, maximam tamen veritatis ſpeciem habet, cum Divus Paulus Timotheo commendavit, ut id veſtimenti genus ſecum ferret, indicare habitum voluiſſe, quo in Sanctorum Myſteriorum celebratione utebatur; quanquam eadem fortaſſe forma elaboratus eſſet, atque ille, qui apud Veteres *Penula* dicebatur.

Ac ſi omnem adhibere poſſemus fidem quibuſdam, quæ narrantur, hiſtoriis, haud egre conficeremus, ab ætate Apoſtolica obtinuiſſe morem veſtium peculiarium pro Miſſarum ſolemniis. In vita S. Hugonis V. Abbatis Cluniacenſis mentio fit cujuſdam indumenti S. Petri, Antiochia Pa- Hiſtoriæ de Veſtium Sacrarum antiquitate.

* Iſidorus Hiſpalenſis *Orig. lib.* 19. *cap.* 24. Rabanus Maurus *de Inſtitut. Cler. lib.* 1. *cap.* 2. Ivo Carthuſianus *ſerm.*3. *de Sign. Indumentorum Sacerd.* aliique plures.

riſios

riſios delati, & poſiti in Eccleſia S. Genoveſæ, quo idem S. Hugo coram Urbe univerſa Paraliticum ſanavit. *

Joannes Diaconus narrat in Vita S. Gregorii, miſſam fuiſſe ad Magnum Pontificem hunc Tunicam, ſive Veſtem Sacram, adhibitam a S. Joanne Evangeliſta, eandemque ſummo cultu Romæ ſervari **. P. Combefiſius poſteritati tradidit Acta S. Sylveſtri, in quibus memoratur quidam Euphroſinus Epiſcopus Pamphiliæ, qui ad Altare Tunicam ſine manicis adhibebat †, adhibitam olim, ut dictitabat, eodem uſu a S. Jacobo, Fratre Domini. Auctores pariter recenſent alios habitus Sacros; uti Stolam S. Jacobi, aliamque S. Stephani Protomartyris, quarum primam, inquiunt, S. Theodoſium Patriarcham Hieroſolytanum ad S. Ignatium Patriarcham Byſantinum miſiſſe; alteram vero Sanctum Macarium Epiſcopum Hieroſolymorum dono dediſſe S. Helenæ, Matri Conſtantini Imperatoris.

† κολόβ. ση

Card. Bona ibidem c. 24. art. 6.

Bona ibidem, c. 24. art. 8.

Itaque ſi Acta S. Sylveſtri, aliaque hiſtorica Facta, a nobis producta, adeo explorata vel autentica non ſunt, ut argumentum certum & concluſum efficiant: tanti tamen facienda eſſe videntur, ut veroſimillimam Traditionem reddant, qua dicuntur Apoſtoli, Rem divinam peregiſſe ſingulari veſte, atque ab uſu communi diſtincta.

ARTICULUS III.

Argumenta huius Traditionis petita a ſæculis III. IV. & V.

Decretum Stephani Pontificis.

NIhil reperitur, quod ſciam, ſæculo III. pro hac Traditione, præter Decretum Stephani Papæ, qui Martyrio interremtus fuit anno 260. Quanquam etenim veſtes Sacræ non differrent, ſecundum formam, a veſtibus vulgatis; nihiloſecius cum veſtimentum aliquod adhibitum fuerat ad Altare, ſacrum continuo evadebat, & nefas erat cuilibet, illud extra ſacrorum Myſteriorum tempus geſtare. Ætate porro Stephani Pontificis eum quidam Clerici ſacros habitus veluti polluerint, eis inſtar vulgarium veſtigium utentes, Pontifex hic, quo pravum hunc

* Hugo Monachus Cluniac. *in Vita S. Hugonis.* Surius 29. Aprilis, *pag.* 355. Card. Bona, *Rer. Liturg. l. 1. c. 5. art. 2.* Tillem. *de D. Petro, Art.* 38.

** Joannes Diaconus Lib. 3. c. 59. Thomaſſ. de Diſciplin. Tomo 1. p. 1. l. 2. cap. 45. Bona, Rer. Liturg. l. 1. c. 5. art. 2.

morem

morem exterminaret, interdixit Sacerdotibus & Levitis, ne veſtibus ſacris extra Eccleſiam uterentur. *

Uſus ſacrorum indumentorum ſæculo IV.

Euſebio docente comperimus, initio ſæculi IV. Epiſcopis fuiſſe veſtitus aliquos, uſu communi minime receptos. In ſermone nanque, quem pronunciavit in Conſecratione Eccleſiæ Tyri coram Epiſcopis multis: *Amici Dei & Sacerdotes*, inquit, *qui ſacra Tunica talari, & cæleſti gloria corona decorati, & Sacerdotali Sancti Spiritus veſte amicti eſtis*. Porro non mihi facile perſuadeo futurum fuiſſe, ut hoc pacto Euſebius loqueretur coram tam auguſto Virorum cætu; niſi ornamenta ab ipſis delata quidpiam ſingulare præſeferent: ut indicat manifeſto, cum vocat *Tunicam talarem*, & *Veſtem Sacerdotalem*.

Euſeb. l. 10. Hiſt. cap. 4.

Stola uſurpabatur in divinis Myſteriis ſæculo IV.

Quamquam Scriptores eum Eccleſiaſtici, tum Profani, idemque contextus ſacer ſæpenumero de Stola loquantur, idque veſtimenti genus deferrent Reges, ſummi Sacerdotes, & vulgus, præſertim vero Matronæ Romanæ: non convenit tamen, utrum Stola genus eſſet ad quoſcumque habitus ſignificandos, & quænam eſſet ejus forma & uſus apud Antiquos. Si judicium ferendum ſit ex ratione, qua eam deſcribunt Autores iſti, veſtis erat longa, ex anteriore parte aperta, totumque corpus operiens. Habemus ex Theodoreto, Conſtantinum Imperatorem donaſſe Macarium Epiſcopum Hieroſolymorum Stola, filis aureis contexta; utque innueret, Stolam hanc veſtem eſſe, Eccleſiæ miniſteriis tantummodo addictam, non tantum eam appellaſſe *Stolam Sacram* ἱερὰν στολὴν; ſed ideo Macario largitum fuiſſe, ut illa in Sacramento Baptiſmatis miniſtrando uteretur. Quæ Stola cum amiſſa fuiſſet, S. Cyrillo Sedem Hieroſolymitanam tenente, ejuſque adverſarii illum perinde accuſarent, ac ſi eam vendidiſſet; caſu incidit in manus Comici cujuſdam, nomine Thymelii, qui auſus illam in Theatrum deferre, repentina morte intercidit, quod nimirum ſacram veſtem violaſſet. Victor Uticenſis refert prodigium huic non abſimile cujuſdam Proculi Ariani, qui cum Altaris lintea accepiſſet, ut ex eis induſia, & interiora ſubligacula conficeret, rabidus continuo effectus eſt, ſibique ipſi linguam præcidit.

Theodor. hiſt l. 2. cap. 27.

Pœna eorum, qui Sacras veſtes polluerunt.

Victor. l. 1. de perſec. Vandal.

Hiſtoria quoque ab Ammiano Marcellino recitata, conſtanti argumento eſt, ſæculo quarto ſacros habitus a prophanis fuiſſe diverſos. Imperator ſiquidem Theodoſius, devicto Maſcizelo Tyranno, eum adegit, ut omnia ab ipſo uſurpata reſtitueret, & præ ceteris, inquit Hiſtoricus hic, repertum eſt quoddam Capitis ornamentum, ab aliquo Epiſcopo delatum, quandoquidem illud appellat *Coronam Sacerdotalem*. Nihil vero

Amm. Marcell. l. 29. Baron. ad ann. 34. n. 298.

* *Hic conſtituit, Sacerdotes & Levitas veſtibus Sacratis in uſu quotidiano uti, & niſi in Eccleſia tantum*, Bar. ad ann. 260. num. 6. Thomaſſ. ubi ſupra.

enucleatius hac de re ſupereſt nobis, quam locus S. Gregorii Nazianzeni; qui exequitur narrando ea, quæ geſta ſunt in die Inunctionis ſuæ. Ait nanque: *Iccirco me Pontificem ungis, ac podere cingis, capitique Cidarim imponis*. Quæ omnia explicatum non haberent, niſi diſcrimen aliquod inter veſtes populi, & Miniſtrorum Altaris intereſſe crederemus.

S. Ambroſius Mitram gerebat.

Non eſt ambigendi locus, S. Ambroſium geſtare ſolitum fuiſſe Mitram; etſi non conſtet qua forma eſſet, tamen non deeſt cur arbitremur illam ornamentum ſacrum, ut conjicere poſſumus ex hoc Ennodii Epigrammate.

Serta redimitus geſtabat lucida fronte,
Diſtincta gemmis: ore parabat opus.

Senſa Patrum & Conciliorum.

Inter omnes Eccleſiæ Patres ſæculi IV. nullus fortaſſe eſt, qui dilucidius aut ſæpius meminerit de Veſtimentorum Sacrorum diſtinctione, ac Sanctus Hieronymus, cujus tamen non referam, niſi quod ait in capite 44. Ezechielis, in quo expoſitis indumentis Sacerdotum & Levitarum, ad Templum aſcendentium, ſubjungit: *Per quæ diſcimus, non quotidianis, & quibuslibet pro uſu vitæ communis pollutis veſtibus nos ingredi debere in Sancta Sanctorum; ſed munda conſcientia, & mundis veſtibus tenere Domini Sacramenta*. Ne autem diutius, quam par eſt, immorer huic rei, mitto loca Sancti Joannis Chryſoſtomi, *Homil. 84. in Matth.* Sancti Gregorii Nazianzeni, Sancti Ambroſii, Sancti Auguſtini, aliorumque ejuſdem Ævi Patrum; non ſecus atque verba quædam Conciliorum, quemadmodum IV. Carthaginenſis, celebrati anno 398. & Laodiceni anno 360. Neque pariter recitabo teſtimonia Scriptorum Eccleſiaſticorum e V. & VI. ſæculis, cum tot ſint, & tam perſpicua, æquæ ac illa Conciliorum, Summorum Pontificum, aliorumque de Ritibus Eccleſiaſticis Autorum, ut nullius frugis ſit ea colligere, quæ nemo ignorare poteſt, atque in omnibus hujus argumenti Operibus paſſim reperiuntur:

Item contra Pelag. lib. 1. Item Epiſt. ad Heliod.

Mos hic manare non potuit, præterquam ab Apoſtolis.

Quæ cum ita ſint, videtur uſus veſtium ſingularium in Sanctorum myſteriorum celebratione, quippe haud inſtitutus a Conciliis, vel Summis Pontificibus, & tamen in Eccleſia univerſa a ſæculis multis receptus; referendus neceſſario eſſe ad illud Traditionum genus, de quo Auguſtinus putat, aliunde manare non potuiſſe, niſi vel ab exemplo, vel ab inſtitutione Apoſtolorum: ut Sanctum quoque Tridentinum Concilium recognovit, quod ait, *ut Majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, Eccleſiam cæremonias adhibere, ut myſticas benedictiones, lumina, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina & Traditione.*

Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 5.

Congruentiæ hujus uſus.

Quod ſi his omnibus teſtimoniis addere quoque par eſſet quaſdam congruentiæ rationes, quæ cogere Apoſtolos potuerunt, ut Sacrorum veſtimen-

mentorum uſum conſtituerent ; ſufficiet tantum in Vetus Teſtamentum oculos intendere. Deus nanque Moſi imperavit, ut pararet Aaroni, & filiis ejus Veſtimenta Sacra, quibus miniſterium ſuum majore cum dignitate exequerentur ; neve accederent ad Altare illoti, & ſacris veſtibus non induti. Quo indicare voluit Deus populo Chriſtiano, inquit Ivo Carnotenſis, ſi in Sacrificiis, quibus caro tantummodo mundabatur, oportebat religioſe adeo Sanctorum veſtimentorum uſum cuſtodire, quanto magis cuſtodiendus ſit in Conſecratione Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti, quibus animus & corpus expurgantur. Quis ſibi perſuadeat, in Sacrificiis Veteris Legis, quæ novi Fœderis Myſteriorum ſpeciem uuam atque imaginem exprimebant, neceſſum fuiſſe induere Sanctos habitus & ſingulares, antequam aſcenderent ad Altare: Apoſtolos vero, iiſque proximos, perfecte callentes Victimæ, quam offerebant, præſtantiam, non veritos fuiſſe ſiſtere ſe ante Aras cum veſtitu profano, & exteriorem hanc venerationem, religioſiſſime a Judæis præſtitam, neglexiſſe.

Exod. 28. 31.

Epiſt. 124.

Quid quod! Ipſi Gentilium Sacerdotes mendacibus Diis ſuis Sacra non faciebant, niſi ſacris mundiſque indumentis amicti.

Sacerdotes ipſi Gentilium iiſdem veſtibus non carebant.

Puraque in veſte Sacerdos.

Qua ratione appellabant habitus adhibitos ab Immolatoribus, in die feſto Myſteria ſua celebrantibus. Et veri Dei Sacerdotes adſtabunt coram ipſo iiſdem veſtibus, in reliquo vitæ cultu uſitatis? Conſule omnes profecto Gentilitatis Nationes; nullamque reperies, quæ Idolis obtulerit Sacrificia ſine veſtitu ſolemni.

Virg. lib. 12. Æneid.

Autor eſt Philoſtratus, Sacerdotes Brachmanorum caput ornare conſueviſſe Mitra gemmis intexta, atque indui veſte linea, baculumque atque annulum geſtare. Alicubi Sacerdotes mendacium Deorum veſtem purpuream, aureamque Thiaram deferebant ; ſique fides Luciano eſt, hoc pacto Sacerdotes Deæ Syriæ amiciebantur. Svetonio teſte Ægyptii peculiares veſtes ſuppoſitas habebaut, quibus in Sacrificiis ſolum uterentur. Animadvertit Apulejus, Ethnicos Sacerdotes in more habuiſſe, linea Tunica cooperiri, cujus candore magnopere fulgebant. Carmina quoque Ovidii animadverſione digna ſunt, in quibus de Deæ Iſidis Sacerdotibus verba facit:

Philoſt. in Thyan. l. 2 & 3.

Lucianus in Dea Syria. Svetonius in Tiberio.

Apulejus fabula Meleſia l. 2.

Nec tu linigeram fieri qui poſſit ad Iſim.
Quæſieris ....
Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Ovid. 1. Metam.

Poeta tandem Prudentius deſcribit ornamenta Summi Paganorum Pontificis, cum deteſtanda myſteria recolebat:

Prud. Hymno 9. de Coronis.

Summus Sacerdos nempe ſub terram ſcrobe
Acta in profundum conſecrandus mergitur,
Mire infulatus feſta vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino ſericam fultus togam.

Hac ſane ratione Ethnici homines, a natura certe inſtituti, mentiſque lumine illuſtrati, non judicarunt, aſcendendum eſſe ſibi ad Altare, quin profanos habitus exuerint; novoſque paraverunt & peculiares, vel ipſos vulgatos conſceraverunt; ut decentius, & reverentius falſis numinibus ſuis aſſiſterent. Et poſt hæc erit qui credat, Eccleſiam primitivam, ab ipſo Spiritu Divino fundatam, Fidei ſplendore illuſtratam, Deique magnitudine, & majeſtate repletam, hoc exterius obſequii ſpecimen neglexiſſe, & non dediſſe operam, ut alios a quotidianis & vulgatis habitus ad Altare deferret?

ARTICULUS IV.

Studium impendimus omne, ut quæ Traditioni huic adverſantur, convellamus.

Objecta Pelleterii.

QUamquam recitata a nobis de Lamina aurea, de Mitra, vel Vitta Epiſcopali Sanctorum Joannis & Jacobi, multis gravium veterumque Scriptorum teſtimoniis confirmentur; Pelleterius tamen ſeſe ab his omnibus expedit nullo negotio: „ Narrationes, inquit, iſtæ non ma„ gis faciendæ ſunt, quam alia ab Epiphanio recitata, cum dicit in ſuo „ Tractatu de gemmis Pectoralis, populum agnoviſſe, Zachariam in „ Templo cæleſtium Viſis dignatum, propterea quod Lamina aurea, in „ ejus fronte ſita, ſplendidius refulgebat: & quam alia item ab Euſebio, „ Hegeſippi fide producta, de S. Jacobo fratre Domini, cui ſoli integrum „ erat ingredi in Sanctum Sanctorum. „ Ecce quo pacto SS. Patrum teſtimoniis ſolide reſpondent! Alieubi decepti ſunt; non magis faciendum eſt, quod alibi dixerunt? Et tamen reſponſum hoc in Criticorum Libris familiare eſt: eccur itaque non erit hactenus cum dignitate recipiendum? Nunquid Joſephus, Philo, Rabbini, & Thalmudiſtæ, qui ſunt omnium ferme a Pelleterio dictorum in Diſſertatione ſua ſponſores & vades, nullum unquam ſuppotitium attulere Factum, vel adulterinum? Sive ut melius dicam, quot fabulis Opera ipſorum conferta ſunt? Licebit ne igitur ad eruditi hujus Pictorum Critici momenta evertenda, affirmare,

Pelleterius parte ult. Animad. in errores Pict. Gall. Monum. Trevolt. Sept. 1715. art. 144. pag. 433.

non

non magis facienda esse Facta, quæ ipsorum testimonio profert, quam ea, in quibus manifesto capti sunt?

Aliud quoque objicit Pelleterius adversus Vestimentorum Sacrorum antiquitatem. „ Convenit inter omnes, ait, vetustius, quod extet, de ornamentorum Pontificalium usu testimonium jactatam esse Constantini „ Donationem, quam Criticorum peritissimi ad mendaces fabellas detru„ dunt „. Nullum itaque momentum erit in tot aliis Antiquorum testimoniis, qui Constantinum ætate præcesserunt? Eusebius, qui perspicue de Vestium Sacrarum consuetudine verba facit, erat sane ejusdem ætatis ac Constantinus. Quot Autorum Ecclesiasticorum eodem sæculo floruerunt, qui nihil minus pro hac Traditione suffragium tulere. Quamobrem non est opus nobis Donatione Constantini, ut eam tueremur.

Aliud ejusdem Autoris Obiectum.

Bocquillotius pariter omni studio & labore contendit, ut a prioribus Ecclesiæ sæculis Vestium Sanctarum morem alienum esse probaret. „ Quidam, ait, putarunt, Penulam, quam S. Paulus apud Carpum Troade reliquerat, vestimentum fuisse pro Altaris ministerio, haud absimile illi, quod Casulam nunc vocamus. Verum quoniam id sine argumentis asserunt, atque in hoc adversantur communi sententiæ præstantissimorum Interpretum cum veterum, tum recentium, qui indumentum illud interpretantur pallium rurale; nos in illis refutandis haud „ immorabimur „. Atqui si ea omnia, quæ attulimus, ut efficeremus, vocem *Penula* vestitum Sacrum significare, quo Apostolus ad Aram uteretur; si hæc, inquam, omnia dicenda sunt, *sine argumentis asserere*, est quidem cur vereamur, pauciſſima repertum iri Facta in Canonici hujus Aballonensis Opere, quæ satis probata censenda sint.

Argumentum primum Bocquillotii.

Bocquillotius Tract. Hist. de Liturg. l. 1. c. 7. pag. 137. Gall.

Quanquam vero Interpretes sapientissimi vestimentum hoc sumerent pro pallio rurali, vel hyemali, atque hæc esset vulgata sententia, nihil tamen faceret contra nos. Cum etenim apud Veteres, ut plane monstravimus, non liqueat de hujus vocis potestate, vel forma vestis; Quare non possemus propugnare, etsi indumentum Sancti Pauli eadem fuerit forma, atque aliud *Penula* nuncupatum, potuisse nihilominus vestimentum hoc Altaris ministerio designari; quandoquidem primis illis temporibus, habitus Sacri nihil fortassis habebant, in quo exterius ab aliis cultus civilis vitæ differrent? Demum ii, quibus placuit, vocem *Penula* usurpari posse pro veste alicujus similitudinis eum illa, quam Casulam appellamus, tanti esse videntur, ut mereantur, Juris Utriusque Doctorem nonnihil in illis refutandis immorari.

Porro Lectoris erit judicium ferre, an id, quod hic Autor addit, magis ab aliis refutari mereatur. Audi ejus verba. „ Ferunt pariter, San„ ctum Joannem Evangelistam detulisse Mitram; sed argumentum, quo

II. Argumentum.

„ Id

„ id fulciunt, non satis est ad fidem inducendam accommodatum. Lō-
„ cus, inquam, est Polycratis Ephesini Episcopi, ab Eusebio laudati, ...
„ Equidem fateor, me nescire, quid rei sit hæc Lamina, quam S. Joan-
„ nes in fronte gerebat „. Illud tamen accidit perincommode, antiquum adeo Factum, a Polycrate, Eusebio, Hieronymo, aliisque Sapientibus memoratum, argumenti loco non esse, ad faciendam fidem idonei: & propterea, quod Autores isti Ecclesiastici referunt, in suppositiis collocandum esse, quod scilicet fateatur Bocquillotius se nescire, quid rei sit hæc Lamina, quam S. Joannes in fronte gerebat.

III. Argumentum. Nemo igitur præstoletur ab hoc Canonico Aballonensi firmiora contra
pag. 138. priscam Traditionem istam argumenta. „ Fatendum est ingenue, prose-
„ quitur, nullum esse ex tribus prioribus sæculis Autorem, qui persua-
„ deat, Ministros in obeundis officiis suis peculiares habitus induisse „. At unde probat, quæ in medium affert? Quantumvis nihil extaret præter Stephani Papæ Decretum, verum tamen esset asserere, *aliquem esse ex tribus prioribus sæculis Autorem, qui persuadeat, Ministros in obeundis Officiis suis peculiares habitus induisse.*

Eusebii locus a nobis prolatus ex Sermone in Templi Tyrii Dedicatione disertis adeo verbis loquitur, ut Autor noster profiteatur, has voces *Sanctam Tunicam*, *Vestem Sacerdotalem*, quasdam distinctionis notas indicare. At, quandoquidem hæc sensa Eusebii, III. Sæculo proximi, funditus Bocquillotii opinionem evertunt, cum scribit in præfatione pag. XVII. & cap. VII. pag. 137. Vestium vulgarium usum sexcentis plus annis perseveraisse, etsi quarto sæculo alius mos induci cœperit: ideo ut loci Eusebiani autoritatem imminuat: „ Non inficior tamen, inquit, eruditos
„ homines multos Historici hujus verba allegorico intellectu interpreta-
„ ri „. Verum quidnam colligere potest a sensu allegorico hujus loci; quando per ipsum Criticum Litteræ sensus contrariam sententiam enunciat?

Argumentum IV. Cum autem probe animadverterit Bocquillotius, opinionem suam, ut tria priora præteream, IV. V. & VI. sæculi constanti Traditioni repugnare; & magnum Patrum, Conciliorum, & Summorum Pontificum numerum pro vestimentorum Sanctorum consuetudine stetisse; excogitavit ingeniosissima Critice sua egregium circuitum ad eludendas omnes autoritates istas, & propugnandum, promiscuum fuisse tribus sæculis primis usum vestium cum peculiarium, tum communium.

pag. 139. Recitato nanque S. Hieronymi loco, audi quid subjungat: „ Usus,
„ quem discimus a S. Hieronymo, mutandi scilicet habitus ad Altare,
„ non erat admodum ætate ejus pervagatus, neque ducentis post annis.
„ Cujus rei præsto nobis argumentum est in Vita S. Fulgentii, qui in
„ fungendo munus suum, nunquam vestitum immutabat, eandemque

„ Tu-

„ Tunicam, in qua cubabat, ad Sacrificium afferebat. Ex quibus diſſi-
„ millimis utriuſque Sancti hujus moribus percipimus primo: Sæculo IV.
„ extitiſſe Sacerdotes, qui pro Altaris Miniſterio ſepoſitas habebant, ve-
„ ſtimenta cultiora iis, quæ paſſim gerebant. 2. Hanc indumentorum
„ mutationem nondum VI. ſæculo ubique obtinuiſſe.

Verum tamen illud eſt initio conſiderandum hoc loci, Canonicum noſtrum Aballonenſem nullum alium Fulgentio præter Hieronymum opponere; quaſi vero privati alicujus hominis uſus poſſit communem ſæculorum multorum Traditionem exæquare; vel conſuetudo ab ipſo tributa S. Fulgentio tam communis eſſet, quam illa, de qua loquitur D. Hieronymus. Ita nanque rem nobis ante oculos ponĕre videtur. Deinde, Scriptorem Vitæ S. Fulgentii tradere, eum eandem, in qua cubabat, Tunicam ad Sacrificium attuliſſe; anne monet, Fulgentium, cum ad Altare procedebat, nullam aliam Veſtem Tunicæ ſuæ ſuperinduſſe? Bocquillotius perſpicue verborum ambiguitate ludit. Idem etenim eſſet, ac dicere: Bocquillotius aſcendit ad Altare eadem amictus talari Tunica, qua prandet, & cœnat. Ex quo recte ne quis concluderet, eum ſine Sacerdotalibus ornamentis, unaque indutum talari Tunica facere rem Divinam? Bocquillotii error de Tunica S. Fulgentii.

Ut autem liquido compertum ſit, hoc S. Fulgentii exemplum tantum abeſſe, ut Autoris noſtri Sententiæ faveat, ut potius habituum Sacrorum uſum confirmet, recitemus hoc loco integrum rei Contextum, ex quo Bocquillotius voculas tantum aliquas decerpſit, quæ adverſam omnino partem confirmant, ubi ad ſedem ſuam revocentur. Ferrandus Diaconus, Autor Geſtorum S. Fulgentii, ut magni hujus Epiſcopi paupertatem & moderationem oſtendat, ſcribit, eum **habuiſſe nunquam Caſulam**, ideſt Talarem tunicam, alicujus pretii, vel coloris micantis, neque Monachis ſuis conceſſiſſe, ut haberent: unico Pallio nigro contentum fuiſſe, vel alterius coloris ſupra Caſulam, & temperatiſſimo anni tempore, in Monaſterio unicum Pallium geſtaſſe. Hæc erant communia S. Fulgentii veſtimenta. Sed alia quoque penes ſe habebat, quibus ad Altare uteretur; ſiquidem addit Ferrandus Diaconus, S. Fulgentium non conſueviſſe Tunicam mutare, ut, inquam, ait P. Thomaſſinus *, præclaram S. Viri munditiem nobis innueret. cap. 18.

Si etenim S. Fulgentius, ut plurimum, Tunica ſolummodo & pallio coopertus erat, quis concipiat, illum, ut Sacra myſteria perageret, ſolam Tunicam retinuiſſe? Ea de re verba iſta, *in qua Tunica dormiebat, in ipſa ſacrificabat*, nos docent, ſingulari adeo præſtitiſſe Fulgentium caſti-

* *Ejus caſtimonia fuiſſe Fulgentium, ut etiam a nocturnis per ſomnum immunditiis liber eſſet. Quibus vero id donatum non erat, antequam celebrandis myſteriis Sacerdotales veſtes induerent, ipſam etiam tunicam mutabant.* Thomaſs. de diſcipl. Tom. I. pag. 1. l. 2. cap. 45.

ta-

tate, ut ipſi neceſſe non eſſet Tunicam immutare, antequam Sacerdotis veſtibus indueretur: atque adeo Thomaſſino locus idem ſuppeditat argumentum, ut probet, Sacerdotes non caruiſſe indumentis pro ratione Miniſterii ſui. Donec igitur Bocquillotius haud offendat apud ſex priorum ſæculorum Scriptores teſtimonium aliud clarius, quam ſit hoc S. Fulgentii, pro opinione ſua; videmur nos cogi ad aſſentiendum, ab omni vetuſtate Sacerdotes habuiſſe veſtitus mundiores & peculiares: licet hi a vulgaribus aliis vel diſſimiles non eſſent, vel parum differrent.

c. 2, c. 5. Denique ab Ævis primis, non repugnante Bocquillotio, erant Altaria in Jeſu Chriſti honorem erecta, quæ confici poterant ex tabulis ligneis, ut facilius alio transferrentur. Eadem, ſcribit pariter, Tela, vel panno pro rei dignitate cooperiebantur; atque ab Anaſtaſio Bibliothecario certiores effecti ſumus, Conſtantinum Imperatorem *obtuliſſe* Eccleſiæ S. Petri *ſuper Altare illius pallium auro textile, atque in eo Miſſas celebratas eſſe.*

In Vita Vitaliani Papæ.

Sæculis primis erant Vaſa ſacra.

Non diſſentit item Bocquillotius, prioribus ſæculis, atque in ipſo Æthnicarum inſectationum tempore, extitiſſe in Eccleſia Calices, Patenas aureas, atque argenteas, Vaſa, atque ornamenta ſacra pretioſiſſima. Et vero oportebat, Vaſa Sacra, quæ vendidit Laurentius, & quorum pretium pauperibus elargitus eſt, magno æſtimari; quandoquidem ad ea Tyrannus inſtar theſauri inhiabat. Narrante inſuper S. Optato, Eccleſia Carthaginenſis Vaſorum, Sacrorumque ornamentorum ditiſſima erat. Quod ſi hæc omnia ab ineunte Chriſtiana Religione in more poſita erant, ut Canonicus hic Aballonenſis diffiteri non poterit; quanam ratione perſuaſum ipſi erit, homines Apoſtolicos, primoſque Epiſcopos peperciſſe ſibi, ne omni conatu curarent, ut quæ Sanctorum Myſteriorum uſui eſſe debebant, non modo eximia eſſent & pretioſa, ſed Altaris uſibus etiam addicta & conſecrata; adeo ut nefas eſſet, illa ad alios uſus convertere: & tum Miniſtros Domini, ad Altare accedentes, nullam plane ſingularem veſtem habuiſſe; atque in Sacris faciendis uſos iiſdem fuiſſe, quibus in reliquo vitæ cultu utebantur?

Ambr. l. 2. de Off. c. 28.

Opt. Milev. lib. 2.

Uſus Vaſorum Sacrorum probat conſuetudinem ornamentorum ad Altare.

Num difficilius erat, Imperatoribus Eccleſiam divexantibus, parare indumenta pro Sacerdotibus, quam Altaria, Calices, Patenas, Vaſa ornamentaque alia pretioſa, uni tantummodo Miſſæ Sacrificio deſignata? Nulla profecto urget difficultas in uſum Sacrarum Veſtium pro Miniſtris Domini, munera ſua exercentibus, quæ in cetera Vaſa ſacra intorqueri æquius non poſſit. Immo parabilia magis erant veſtimenta peculiaria, quippe cum eadem forma, eodemque colore confecta eſſent, atque alia communia, non poterant Ethnici hac ratione Chriſtianos dignoſcere. E contra vero tot Vaſa pretioſa ægre huc atque illuc transferri potuiſ-

tuiſſent, atque ab Infidelibus deprehendi, quin cognoſceret pariter, Vaſa hæc Chriſtianorum Myſteriorum celebrationi conſecrata eſſe.

DISSERTATIO VII.

De Hymno, quem cecinit Chriſtus Dominus poſt Euchariſtiæ Inſtitutionem.

POſtquam Jeſus Chriſtus Agnum Paſchalem comedit, atque Altaris Sacramentum inſtituit, Sancti Matthæus & Marcus animadvertunt, eum gratiarum actionis Canticum cecinisſe, & Hymno dicto cum Diſcipulis ſuis *in Montem Oliveti exiiſſe*. *Hoc eſt*, inquit Hieronymus, *quod in quodam Pſalmo legimus: Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ*. Vel quod Deus per Moſen juſſit populo ſuo: *Cum comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* *Matth. 26. 30. Marci 14. 26.* *Hier. in hunc loc. Matth. Deut. 8. 10.*

Cum autem Evangeliſtæ ſcriptis non mandaverint, an Hymnus hic depromtus ſit e Sanctis Litteris, vel extet in Rituali precum Judaicarum Libro, vel novum alium conſecerit Jeſus Chriſtus; propterea negotium affert, ſtatuere, quodnam hoc Canticum ſit, quod ipſe, peracta celebri Cœna cecinit cum Apoſtolis ſuis. Id autem operam dabimus, ut explicemus; & deinde oſtendamus, Eccleſiaſticum morem Hymnos & Cantica canendi ab exemplo petendum eſſe, quod nobis reliquit Filius Dei; atque hanc Traditionem inſequentibus ſæculis omnibus religioſe ſervatam eſſe. Nihil habet Evangelium de hoc Hymno.

ARTICULUS PRIMUS.

Hymnus, a Servatore noſtro poſt abſolutam in Mortis pervigilio Cœnam recitatus, extat capite XVII. Evangelii S. Joannis.

CErethius Epiſcopus Litteras dedit ad Auguſtinum, ut eum conſuleret de quibuſdam Scripturis, quibus utebantur Priſcillianiſtæ, inter quas erat Hymnus quidam, quem Chriſto Domino tribuebant, ac ſi illum poſt Euchariſtiam inſtitutam cecinisſet. Cum vero Sanctus Augu- Error Priſcillianiſtarum de Hymno dicto a Chriſto Domino.

ſtinus probe ſenſerit, Hæreticos iſtos æqua ratione Canonicos atque Apocryphos Libros recipere, iiſque eandem autoritatem vindicare; recitat excerpta quædam hujus Libri, in quo Priſcillianiſtæ de hoc Cantico meminerunt, & momenta, quibus contendunt, eum a Sanctarum Scripturarum Canone abeſſe.

Aug. Epiſt. 237. ad Cerethium. nova Edit.

Id porro, quod Scriptum illud complectebatur, in hæc verba refert D. Auguſtinus. *Hymnus Domini, quem dixit ſecrete Sanctis Apoſtolis & Diſcipulis ſuis; quia ſcriptum in Evangelio: Hymno dicto, aſcendit in Montem; & quod in Canone non eſt poſitus propter eos, qui ſecundum ſe ſentiunt, & non ſecundum ſpiritum & veritatem Dei, eo quod Scriptura eſt: Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare, honorificum eſt.*

Sunt quædam hujus Hymni fragmenta, in ea Auguſtini ad Cerethium Epiſtola reſperſa, quæ huc continenti oratione traduxi.

Hymnus Salvatoris ex Priſcillianiſtis.

Solvere volo, & ſolvi volo.
Salvare volo, & ſalvari volo.
Generare volo, & generari volo.
Cantare volo, ſaltate cuncti.
Plangere volo, tundite vos omnes.
Ornare volo, & ornari volo.
Lucerna ſum tibi, ille qui me vides.
Qui vides quod ago, tace opera mea.
Verbo illuſi cuncta, & non ſum illuſus in totum.

Hæc eſt pars hujus Hymni, quem Priſcillianiſtarum opinione recens tum confecit Servator noſter, & cecinit cum Diſcipulis ſuis. At D. Auguſtinus palam facit, nihil eſſe in hoc Cantico, quod in Libris Canonicis non reperiatur, adeoque nihil Eccleſiam amiſiſſe, quamvis Monumentum hoc non admittat.

Aliæ de hoc Hymno ſententiæ.

Inter Interpretes quidam exiſtimarunt, verba hæc, *& Hymno dicto*, nihil aliud reddere, niſi Jeſum Chriſtum Deo Patri gratias egiſſe. Alii putant, Canticum hoc conflatum eſſe ex Pſalmo 112. *Laudate pueri Dominum*, & quinque huic proximis, quos conſueverant Judæi in gratiarum actionem cantare. Non paucis demum perſuaſum fuit, Hymnum hunc fuiſſe preces quaſdam Judaicas, quæ adhuc extant, inquit Pater Amelotius, atque hebraice apud quoſdam Scriptores leguntur. Hæc precatio eadem fortaſſe eſt, ac illa, quæ in Rituali Judæorum Libro reperitur; ubi præcipitur, ut dignior inter eos, qui Menſæ aſſident, poculum vini manu tenens, elata voce pronunciet: Gratias agamus Deo pro bonis nobis collatis; & adſtantes reſpondeant: Laus

Amelot. in hunc Matth. locum.

Deo,

Deo, qui nos bonis ſuis enutrivit, & donis ſuis ſaturavit; & benedictiones id genus alias. At vero cum preces hæ omnes ſint gratiarum actiones, Judæis communes poſt cœnam, nulla eſt ſpecies veritatis, Evangeliſtas de iis loqui, & Jeſum Chriſtum Canticum aliud haud protuliſſe.

Hymnus a Chriſto Domino dictus extat cap. XVII Evangelii S. Joannis.

Præterea conſtanti Traditione, ſatiſque vetuſta novimus, Hymnum hunc a Chriſto Jeſu decantatum, recitari ab Evangeliſta Joanne toto capite XVII. poſt verſ. primum ad finem. Caput enim hoc eam materiam complectitur, quæ ad præcipuas laudes divinas pertinere poſſit. Incipit his verbis: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*; & non apparent in reliquis niſi ſenſa, Divinam poteſtatem, bonitatem, gloriam, aliaſque perfectiones extollentia, quæ omnium præclariſſimo Cantico argumentum abunde ſufficiunt.

Carolus Magnus Imperator Epiſtolam dedit ad Alcuinum ſuper hoc Hymno. Chriſtus Dominus, inquit Princeps hic, poſt Myſticam Cœnam Canticum cecinit, in Sacris Litteris memoratum. *Ac propter hoc ſumus non mediocri ſtupore perculſi, cur tantæ dulcedinis Hymnus, vel ab ipſo Domino, vel ſi a Diſcipulis, in præſentia tamen Domini dictus, ab Evangeliſtis omnibus ſit prætermiſſus.* Quo in loco Alcuinus, cum refutaverit ſententiam illorum, quibus placuit, hunc Pſalmum eſſe, addit, S. Joannem illum collegiſſe, quamquam alii ſilentio præterierint. Sacrum hoc Canticum, inquit, *cunctis perneceſſarium credentibus*, confectum eſt ex parte Sermonis Jeſu Chriſti ad Diſcipulos ſuos; atque incipit his verbis: *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, cum ceteris uſque ad alia: *ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* *

Apud Alcuinum Ep. 106. Ita arbitratus eſt Alcuinus.

Quæ ſententia eo etiam veriſimilior ſit, quod Joannes notat, Chriſtum completa precatione illa, *egreſſum eſſe cum Diſcipulis ſuis trans Torrentem Cedron*, quod alii quoque Evangeliſtæ animadverterunt. Jam vero nonne illud ſubjicere poſſemus, Chriſtum Dominum, cum novum Paſcha, vetere longe admodum excellentius, inſtituiſſet, congruenter novum gratiarum actionis Canticum cecinisse? Si nanque ita ferebat Judæorum mos, ut Hymnos & Cantica pro re præſenti ederent, ſicuti fecerunt Debora, Anna, Zacharias, Maria, aliique nonnulli; quare non liceret propugnare, Servatorem noſtrum edidiſſe Canticum, rei paullo ante a ſe peractæ accommodatum?

Sententia hæc probanda videtur.

Tametſi autem Hymni, quos canebant Judæi poſt Paſcha celebratum, vel communem Cœnam, deducerentur e Pſalmis vel Scripturis, atque in illis Summi Liberatoris laudes & benedictiones recolerent: verumta-

* *Iſte eſt Hymnus ſacratiſſimus & pulcherrimus, & cunctis perneceſſarius credentibus . . . . . quem peracto noſtræ ſalutis, & ſuæ pietatis convivio, magna dulcedine & admirabili ſuavitate præſentibus ſuis Diſcipulis decantavit.* Alcuinus Ep. 106.

men hymni omnes iſti non referebantur reipſa ad magnum Myſterium illud, quod nuperrime inſtituerat, neque perfecte adeo illud exprimebant, ac Canticum, a Joanne XVII. Evangelii ſui Capite memoratum.

Argumentum in opinionem Alcuini.

At enim, inquies, precatio illa Jeſu Chriſti poſt myſticam Cœnam, a Joanne ad nos deducta, hymnus dici non poteſt; quandoquidem ex mente Ven. Bedæ: *Hymnus eſt proprie Laus Dei metrice ſcripta*; vel per alios eſt Poeſis adſtricta numeris, & certa pedum quantitate. Porro Gratiarum Actio, de qua agimus, non eſt quidem ligata oratione conſcripta, neque alio modo, quam reliquæ Evangelii partes. Propterea ſi Oratio hæc Hymnus cenſenda ſit, loca pariter omnia Scripturarum, in quibus Deus laudatur, benedicitur, atque honore colitur, Hymni erunt et Cantica, quod nemo facile dixerit.

Beda Præfat. in Pſ.

Diſpellitur.

Ethnicorum Poetarum celeberrimi Muſæus, Callimacus, Athæneus, & Patrum Eccleſiaſticorum ſapientiſſimi Gregorius Nazianzenus, Joannes Chryſoſtomus, Elias Cretenſis *, aliique tradunt, hymnum dicere nihil aliud eſſe, quam gloriam Dei celebrare, laudes ejus canere, abſque eo quod neceſſum ſit, verba hymni hujus menſuras quaſdam, carminibus tantum aptas, ſervare.

Quid ſit Hymnus ex Divo Auguſtino.

Sanctus tamen Auguſtinus mentem ſuam aperit enucleatius ſuper hac re, hymnumque accuratiſſima notione deſcribit. *Quid eſt hymnus*, interrogat S. Pater? reſpondetque: *Hymnus cantus eſt cum laude Dei. Si laudas Deum, & non cantas, non dicis hymnum. Si cantas, & non laudas Deum, non dicis Hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, etſi cantando laudes, non dicis hymnum. Hymnus ergo iſta tria habet, & Canticum, & laudem, & Dei. Laus ergo Dei cum cantico hymnus dicitur.* Quamobrem licet Poetæ Chriſtiani hoc Hymnorum nomen tribuant Carminibus, in honorem Sanctorum, vel ad impretrandum eorum auxilium conſcriptis, non tamen reipſa hymni ſunt, ut pote qui ad Deum tantummodo pertinere debent.

Aug. in Pſ. 148

Caput igitur XVII. S. Joannis Hymnus eſt.

Quæ cum animadvertimus, non erit multi operis oſtendere, gratiarum actionem, de qua XVII. Evangelii ſui capite mentionem facit S. Joannes, verum Hymnum eſſe; quoniam tria complectitur, quæ requirit Divus Auguſtinus, ut precatio aliqua hymnus appellari poſſit. Primo S. Matthæus & S. Marcus utuntur his vocibus: *& hymno dicto*. Porro plerique ex Interpretibus, poſt Sanctos Eccleſiæ Patres verba iſta hoc modo vertunt. „ Decantato gratiarum actionis Cantico. „ Secundo loco caput iſtud Sancti Joannis continet quidquid majus, nobilius, atque præ-

* Athenæus *in Digneſophiſtis* l. 4. c. 4. Joann. Chryſoſt. *Proœm. 2. in Pſalm.* E- | lias Cretenſis in Orat. 3. S. Greg. Nazianz. num. 21.

cla-

clarius ad laudem & gloriam Dei poſſumus prædicare. Igitur precibus Salvatoris poſt Cænam fuſis Hymni titulus tribui merito poteſt.

ARTICULUS II.

Uſus Hymnorum in Eccleſiaſtico Officio ab exemplo Salvatoris petendus eſt.

EXtra omnem controverſiam eſt, morem hymnorum canendorum vetuſtiſſimum eſſe; quamvis primus illorum Autor revera lateat. Sive etenim honor hic Lino adjudicandus ſit, Muſæo, & Callimaco; ſive velimus cum Pauſania a Licio Oden, aut ab Auchi-Authenodio, ut placet Scaligero inventos eſſe: non eſt tamen dubitandi locus, Hymnos Homeri, qui ad tempus Judicum Hebræorum floruit, ceteris aliorum Æthnicorum Poetarum omnibus elegantia pietate & religione præſtare. Sanctus quoque Gregorius Nazianzenus, & S. Cyrillus Alexandrinus teſtati ſunt, Hymnos Homeri aliis anteferendos eſſe, qui eadem de re elaborarunt. Clemens vero Alexandrinus arbitratus eſt, Mercurium Triſmegiſtum ſcripſiſſe hymnos, quos Ægyptii in Myſteriis ſuis canebant.

Antiquitas Hymnorum.

Pauſanias in Baticis. Scaliger l. 1. Poetic.

Gregor. Nazianz. Orat 30. Cyrill. Alex. l. 1. contra Julianum. Clem. Alex. l. 5 Strom.

Non unius generis apud Græcos erant, quos tamen Cælius Rhodiginus ad tria præcipua refert. Primum genus vocat *Proſodion*, quod erat quædam ſpecies Litaniarum, vel ſupplicationis, quæ recitabatur, dum ad Altare Sacrificium offerebant. Secundo nomen imponit *Hyporchema*, qui canebatur ab ducentibus choreas circum Altare, dum victimæ ardebant. Denique Hymni, quos cantabant quieſcentes, vocabantur *Staſima*. Autor eſt Photius, hymnos ad rerum præteritarum memoriam recolendam inſtitutos eſſe. Qua antecepta notione rei, plura Hymnorum genera exequitur, quæ ex Tractatu de Poeſi Proeli collegit *. Scaliger etiam a Menandro aliam Hymnorum diviſionem deprompſit.

Rhodig. Lect. antiq. l. 4. c. 5. & l. 8. c. 3.

Quamquam autem jactent Græci, ſe ante omnes alios cecinisſe hymnos; nihilo tamen minus Moſes, qui creditur vixiſſe centum circiter annos

Græci non ſunt Autores Hymnorum.

* *Proſodion dicebatur, cum ad Aras, aut Templa accederent. & in acceſſu ad tibiam canebatur. Paan olim, Apollini, & Dianæ attributum, ut peſtis morbique depellerentur. Dithyrambus in Bacchum conſcriptus. Nomon in Apollinem. Adonidia in Adonin referebantur. Hyporchema vocabant Carmen cum ſaltatione decantatum. Parthenia Virginum choris adaptabantur. Daphnephorica cum Lauros novo quoque anno Apollini inferebant. Oſchophorica ab Athenienſibus canebantur, Palmites vitis geſtantibus plenos maturis uvis. Precatoria ab his componebantur, qui a Deo aliquid rogarent.* Photius, Codice 239. Scaliger l. 3. Poetices c. 112.

ante

ante Romam conditam, immo alii quoque homines a Deo afflati hymnos conſcripſerant ante ſæcula multa, quam Poeſis in Græcia radices ageret. Philo Davidi titulum tribuit *Hymnographi*: *Et in morem*, inquit Judæus hic, *Pindari, Flacci, & Alcæi Lyra excellenter perſonuit*. Alios item prætereo, quorum Hymni in Sacris Litteris extant.

Multiplex Hymnorum genus.

Uſus tamen hymnorum clarior fuit in Novo Teſtamento, quandoquidem illum Chriſtus ipſe, Apoſtoli, & primævæ Eccleſiæ Fideles exemplo ſuo celebrarunt. Atque hinc manavit fons germanus Traditionis illius, quæ hactenus in Eccleſia conſtantiſſime perſeveravit. *De quibus Hymnis*, ait Divus Auguſtinus, *in Eccleſia canendis, & ipſius Domini & Apoſtolorum habemus documenta, & exempla & præcepta*. Neque enim poſſumus ambigere, in primorum Chriſtianorum conventibus recitari conſueviſſe Pſalmos, Hymnos, & Cantica ſacra; cum S. Paulus Apoſtolus jubeat Fidelibus, *ut loquantur cum ſemetipſis in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus ſuis Domino*.

Jeſus Chriſtus dedit nobis exemplum Hymnorum canendorum.

Aug. 119. cap. 18.

Ad Epheſ. 5. 19.

Philo diſſerens de Chriſtianis Eccleſiæ Alexandrinæ, a Divo Marco inſtitutæ, ſcribit, ipſos ſtylum exercuiſſe in Hymnis & Canticis ad honorem cultumque Dei lucubrandis, quos in nocturnis vigiliis canerent. Aliquando unus vel plures Hymnos iſtos, ceteris tacitis audientibus, canebant. Nonnunquam in choros dividebantur, qui alternatim reſponderent; & poſtquam uterque Chorus divinis ſanctæ hujus exercitationis deliciis affluebat, & cæleſti veluti amore ebrius erat, omnes circa poſtrema Hymni verba cantabant. Narrat Euſebius, S. Dionyſium Alexandrinum in quodam Opere ſuo laudibus honeſtaſſe hymnos, quos Nepos conſcripſerat, & Chriſti fideles canebant.

Philo de Vita contempl. Euſeb. l. 2. Hiſt. cap. 6.

Apud Euſeb. l. 7. Hiſt. cap. 24.

In elogio S. Baſilii de S. Athenogene, vetuſto Theologo, illud animadvertit, Sanctum Virum iſtum, cum jam abſumendus eſſet igne Martyrii, geſtientem lætitia, hymnum cecinisſe, quem Diſcipulis ſuis ſcripto reliquit. Paulus Samoſatenus, qui medio circiter III. ſæculo vixit, damnatus eſt a Concilio Antiocheno, quod videlicet ſupreſſiſſet Hymnos & Cantieos, ad Dei gloriam celebrandam confecta, aſſumta ratione novitatis hujus conſuetudinis. Quod videre eſt in Epiſtolis Epiſcoporum hujus Synodi, ab Euſebio ad nos traductis.

Apud Euſeb. ibidem cap. 30.

Tametſi Hymnorum uſus tribus quoque ſæculis primis obtinuerit in Eccleſia, percrebuit tamen ſæculo IV. & ſequentibus. Sanctus Ambroſius, ut per ſeſe fatetur, innumeros illorum ſcripſit; & propterea factum eſt, ut omnes impoſterum Hymni Ambroſiani dicerentur. Adeoque cum S. Benedictus in Regula ſua loquitur de Hymno aliquo Ambroſiano, id facit, ut, moneat, inquit Walafridus Strabo, Hymnos a ſancto

Walaſr. Strabo de rebus Eccleſiæ cap. 25.

Do-

Doctore iſto conſcriptos, vel ex imitatione Hymnorum Sancti hujus compoſitos. Quod in cauſſa fuit, ut nonnulli exiſtimarent, eum primum fuiſſe, qui huic materiæ operam daret. Interea nos docet Iſidorus *, Hilarium huic ſcriptionis generi ſe applicuiſſe ante ipſum Ambroſium, adeo ut ſi Ambroſianorum nomen Hymnis omnibus appoſitum eſt, ideo fuit, quia S. Ambroſii ætate cani cæpti ſunt in Eccleſia Mediolanenſi. Uſus porro hic ad Eccleſias ſubinde Occidentis omnes propagatus eſt; & poſtquam illum S. Gregorius Papa confirmavit, ex Italia ad Gallias, Germaniam, aliaſque Provincias tranſmigravit.

S. Ambroſius non eſt primus Hymnorum Autor.

Quamquam vero Eccleſia omnes a D. Ambroſio conſcriptos Hymnos receperit, ut diſcimus Canone XIII. IV. Concilii Toletani: nihilominus animadvertendum eſt, multos extare in Eccleſiaſtico Officio, qui licet Ambroſiani appellentur, ejus tamen non ſunt. Qua de re decretum eſt Canone Concilii Turonenſis, ut recipiantur Hymni, qui digni erant, ut in Dei Eccleſia canerentur, licet ab aliis Scriptoribus fuſi ſint, dummodo ipſorum nomina ſint perſpecta. **

Omnes Breviarii Hymni a D. Ambroſio confecti non ſunt.

Inter præcipuos Hymnorum, poſt Sanctos Hilarium Pictavienſem atque Ambroſium, Scriptores locum habent Sineſius, Coſmas Hieroſolymitanus, S. Joannes Damaſcenus, Theophanes, Theoſtrictus, Theoleptus, Metrophanes Smirnenſis, Prudentius, Ven. Beda, Sedulius, Sanctus Paulinus, Venantius Fortunatus, Fulbertus Carnotenſis, Paulus Diaconus, & S. Thomas. Super quo conſulas per me Scriptores hac de re diſputantes ***. Radulphus Tungrenſis meminit ſingillatim omnium Hymnorum authentieorum, qui in antiquis Libris reperiuntur, quos omnes collegit, atque adnotationibus eruditiſſimis illuſtravit Jodocus Clicthous.

Inter recentiores autem, qui in hoc lucubrationis genere exceluerunt, eminent Santevillius Canonicus Regularis S. Victoris Pariſienſis, & Magiſter Saeius. Prioris Poemata Eccleſiaſtica complectuntur etiam Hymnos plurimos elegantes, ſublimes, & ſingulari præditos venuſtate, quos fecit pro Breviario Pariſienſi & Cluniacenſi, & ſeorſim volumine collecti ſunt;

Autores moderni, qui ſcribendis Hymnis incubuerunt.

* *Hilarius Gallus Epiſcopus Pictavienſis Hymnorum carmine floruit primus, poſt quem Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus .... Hymni ex ejus nomine Ambroſiani vocantur, quia ejus tempore primum in Eccleſia Mediolanenſi celebrari caperunt.* Iſid. l. 1. de Off. Eccl. c. 6. Rabanus l. 2. de Inſtit. Clericorum c. 29. & alii.

** *Licet Hymnos Ambroſianos habeamus in Canone, tamen quoniam reliquorum ſunt aliqui, qui digni ſunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos, præter ea, quorum Auterum nomina non fuerint in limine prænotata; quoniam qua fide conſtiterint, dicendi ratione non obſtant.* Concil. Turon. II. Canone 23.

*** Iſidorus, l. 1. *de Off. cap.* 9. Rabanus Maurus, l. 2. c. 49. Vvalafridus Strabo, c. 2. Berno Augienſ. *cap. de rebus ad Miſſam Pertinentibus.*

Gallee

Gallice redditi, & quod difficillimum, ſæpe ſingulorum Carminum habita ratione. Sacio adjudicant interpretationem Hymnorum, qui ſunt in Eccleſiæ Officio. Opus hoc editum crebro eſt apud Petitum; & verſione conſtat tam præclara atque eleganti, ut nemo impoſterum ad eam acceſſerit.

DISSERTATIO VIII.

De Sancta Facie Domini noſtri Jeſu Chriſti, Veronica nuncupata, quæ colitur in Eccleſia Sancti Petri Romæ.

Quomodo Jeſus Chriſtus imaginem vultus ſui impreſſerit in ſudatio.

COnſtans ſæculorum multorum Traditio fert, Chriſto Domino eunti ad Calvarium, ſanctam mulierem obviam præbuiſſe ſudarium, ſeu lineum capitis ſui velamen, quo ſudorem & ſanguinem, e vultu manantem, abſtergeret; & Chriſtum abſtergentem in eo imaginem ſuam expreſſiſſe. Hæc eſt imago Capitis Jeſu Chriſti, quæ Romæ aſſervatur, diciturque ſancta Facies, ſive Veronica *. Quidam duodecimi ſæculi Scriptores referunt, id nocte contigiſſe, quæ mortem ejus præceſſit in horto Getſemani ſupra montem Oliveti, cum Jeſus Chriſtus, in agonia poſitus, digreſſuſque a tribus diſcipulis, deterſit ſudorem, *ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*

Apud Mabill. itinere Italico Tom. 1. pag. 88.

Quod aggredimur ad probandum.

Non me latet, diſſidium eſſe inter Autores de aliis hiſtoriæ hujus adjunctis; quod tamen expendere non ſuſcipio. Quare, utro ex his modis efficta fuerit ſancta hæc Imago, vel tertio quodam alio: ſive delata Romam ſit, imperante Tiberio, ſive alio tempore: quæcunque tandem fuerit Translationis hujus occaſio, vel ab hoc vel ab alio Romæ relicta ſit; non eſt hoc propoſitum Diſſertationis noſtræ; nec qua ratione ſancta hæc Reliquia incolumis evaſerit ad ſæculum uſque VIII. Sed utrum ſancta Jeſu Chriſti Imago, Veronica nuncupata, & Romæ ſervata, in Salvatoris impreſſa fuerit vultum; & ſatiſne momenti in Traditione habeamus ad colendam ſanctam Faciem iſtam, tanquam pretioſum monumentum a

* *Hæc de Sudario, a Chriſto S. Veronica tradito, apud Chriſtianos Orthodoxos indubitata ſunt.* Henſch. 4. Febr. pag. 450.

Chri-

Chriſto relictum, atque ab Eccleſia Fidelium pietati propoſitum, non quidem inſtar Reliquiæ, de qua nefas ſit dubitare, quemadmodum de Fidei capite; ſed inſtar rei non modica probabilitate præſtantis, adeoque majore cum vero ſimilitudine, quam illorum opinio, qui eandem adulterinam inclamant.

ARTICULUS PRIMUS.

Hiſtoria Translationis S. Imaginis Jeſu Chriſti Romam.

SAnctus quidam Pater * vetuſtiſſimus autor eſt, Tiberium, cum fando audiſſet de miris a Jeſu Chriſto in Judæa patratis, miſiſſe Legatos ſuos oratum, ut veniret, ſeque ab ægritudine moleſtiſſima liberaret. Qui cum Jeroſolymam adventaſſent, didicerunt, eum a Pilato morti addictum, atque e mortuis excitatum: ſed Matronam quandam, Veronicam nomine, effigiem ejus apud ſe habere. Inviſerunt itaque mulierem Nuncii, & Romam duxerunt, oblataque Imperatori imagine Jeſu Chriſti, mira Sanctæ Faciei hujus virtute, a Lepra mundatus eſt. ** De modo, quo ſancta Facies Romam translata eſt.

Si locus hic revera eſſet magni illius S. Methodii Tyriorum Epiſcopi, qui ſub exitum tertii ſæculi floruit, graviſſimæ ſane haberetur hac in re autoritatis. Quod quidem probe ſenſerat Tillemontius, & propterea nititur teſtimonium iſtud elevare, aitque, *S. hunc Martyrem afficere injuria, ſi quis ipſi fabulas tribuat, quas de ſuo S. Methodio citat Marianus Scotus.* Quod ut liqueat, addit, ſatis eſt ipſum locum evolvere. Quamquam vero animus non ſit, hanc narrationem propugnare; nihilominus præterire nequeo, quin animadvertam, facilem admodum rationem iniviſſe Tillemontium, qua ſe incommoda autoritate expediret, idque præſtaret, nullo in medium producto de re hac argumento. Interim tamen de hoc digladiamur, utrum nec ne ad fabulas ablegandum ſit, quod An locus hic S. Methodii ſit. *Tillem. not. 11. in Jeſ. Chriſt.*

* *Qua dum nuncios conveniſſet, & ita eſſe, atque ſe habere per omnia evidentiſſime aſſeruit, Romam ab ipſis delata eſt, atque in præſentiam Principis adducta, ſpeciem divinæ teſtificationis oſtendit, & virtutem perfecti medicaminis gratia Chriſti mirabiliter effecit.* Methodius apud Mar. Scotum ad ann. 39.

** A duobus Medicis Moſcovitis, de quibus in fine hujus Diſſ. accepi, in regionibus ſuis extare exempla multa Sanctæ hujus Imaginis, ei ſimilia, quam paullo poſt dabimus, interque unum in Ædæ Majori Moſchuæ gemmis ornatum. Traditio pariter Nationis illius vulgata habet, Sanctam Domini noſtri Imaginem Paleſtina Romam translatam fuiſſe, non ſecus atque a nobis ſuperius narratum eſt.

narrat iſte Methodius de ſancta Jeſu Chriſti Facie. Si nanque hic eſt priſcus ille Methodius, perquam firmis opus eſſet conjecturis, ut de Hiſtoriæ hujus falſitate perſuaderemur: ſique Marianus Scotus ingenue citavit, ſatis ſimile vero ſit Methodii nomine intelligendum eſſe illum, qui tertio ſæculo vixit.

Tres fuerunt Scriptores, Methodii nuncupati.

Apud Scriptores Eccleſiaſticos tres tantummodo reperiuntur hujus nominis Viri. Junior, qui Monachus Conſtantinopolitanus, cum medio circiter ſæculo tertiodecimo floruerit, non potuit a Mariano Scoto laudari, undecimi ſæculi hiſtorico. Alius Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui medio ferme ſæculo nono obiit; ad quem credendum non eſt, Marianum Scotum, referre narrationem ſuam, cujus nulla mentio invenitur in ejus Operibus, quæ ſuperſunt omnia. Porro apud omnes conſtat, magni Sancti Methodii Tyriorum Epiſcopi aliqua tantum fragmenta ſupereſſe inter tot Tractatus, quos ille conſcripſit. Quamobrem fieri potuit, e quodam Patris hujus Opere Marianum Scotum decerpſiſſe locum illum, quem nobis ſervavit. Henſchenius certe non ambigit, quin illi adjudicet, & cum eo Scriptores multi *.

Cavius in Hiſt. Lit.

Error Tillemontii.

Tillemontius ait, Henſchenium fateri ſcriptum iſtud fabulis eſſe confertum; de cujus tamen accuratione pronuncies velim ex ingenua ipſius facti veritate. Eruditus nanque hic Jeſuita animadvertit, ut recte, quæ ad Jeſu Chriſti imaginem attinent, diſpicere poſſimus, neceſſum eſſe prius, quoddam MS. Opus rejicere inſcriptum: *Incipit notificatio, qualiter Tiberius Cæſar pro Chriſto Hieroſolymam direxerit*. Subjungit quoque: *Multa diſplicere in eo Tractatu, fortaſſis ab aliquo ex relatione S. Methodii, ſimilive hiſtoria depravato*. Id porro ſignificat, Henſchenium fateri, Scriptum S. Methodio tributum, fabulis redundare? Interim dum ille diſtinguit perſpicue opus plani illius, a S. Martyris hujus narratione.

Autores non pauci de hac Hiſtoria meminerunt.

Quamvis autem Marianus Scotus non habeatur ſummæ diligentiæ & veritatis hiſtoricus, non tamen unus eſt, qui de hoc evento meminerit. Ejuſdem mentionem facit Sigebertus ejuſdem ſæculi Scriptor; atque ut ſpecimen habeamus, neutrum illud excogitaſſe, Conſtantinus Porphirogenitus, ſæculo plus Mariano Scoto vetuſtior, idem memoravit, necnon Petrus Diaconus, Monaeuſque Montis Caſſini: *Sudarium*, ſcribens, *quo Chriſtus faciem ſuam exterſit, quod ab aliis Veronica dicitur, tempore Tiberii Cæſaris Romam delatum eſt*. Autor hic conceſſit ad ſuperos an. 1140.

In Lib. MS. de locis ſanctis.

* *Methodius Olympi . . . . . ac poſtea Tyri Epiſcopus, in Chalcide Græciæ Martyrio coronatus . . . . . in aliquo Opuſculo Hiſtoriam Imaginis Chriſti, a Veronica velo excepta, ac Romam delata expoſuit.* Henſch. 4. *Febr. pag.* 450. Baron. *anno* 34. *num.* 133. Gretſerus *de Imaginibus non manufactis* c. 16. Corn. a Lapide *in cap.* 37. *Matth.* Simon Majolus *pro defenſione Sacr. Imag. Cent.* 1. Quareſmius *lib.* 4. *cap.* 14. *& alii.*

Ex-

Extat in Bibliotheca Vaticana, Molani teſtimonio, *ejus Imaginis Romam ſub Tiberio advectæ, hiſtoria graviter conſcripta, & antiquiſſimis caracteribus, quam ſe perlegiſſe mihi retulit cl. Theologus Thomas Stapletonus Anglus*. De hoc etiam Codice loquitur Baronius. Hiſtoriam tandem hanc recitant Sigebertus, Conſtantinus Porphirogenitus, Polidorus Virgilius, Quareſmius *elucid. Terræ Sanctæ Tomo II. l. 4. c. 14. Pereg. 6.* Baronius *an. 34. num. 133.* Henſchenius *ubi ſupra*. Bzovius *ad an. 1216. num. 15.* aliique multi. Tametſi vero tot Scriptorum dictis confirmetur, me præterit, anne videbitur ulli, eam falſitatis aliqua ſuſpicione laborare. Lectoris ſit, ut magis libuerit, judicare. Quod mea intereſt, aperte profiteor, me non hac quidem narratione, ſed monumentis aliis, de quibus æqua ſuboriri non poſſit dubitatio, ſtatuere velle Traditionem de Sancta Jeſu Chriſti Imagine, quæ in Eccleſia S. Petri Romæ aſſervatur.

ad annum 34. num. c. 38.

ARTICULUS II.

Sancta Imago Jeſu Chriſti, Veronica nomine, fundamentum habet in conſtanti Traditione ab exitu VII. ſæculi deinceps.

SI Bzovii obſervationi locus ſit, dicendum erit, multo ante ſeptimum ſæculum Imaginem ſanctam *in veneratione apud Fideles ſemper fuiſſe, & præſertim in Eccleſia Ambroſiana in Officio Divino in Lectionibus, ut fertur, a S. Ambroſio ſcriptis, aſſeverante*. Illud certe extra controverſiam eſt, Vvalafridum Strabonem, ſæculi VIII. exeuntis, vel ineuntis IX. Scriptorem, Officium iſtud Sancto Ambroſio adjudicare; atque hoc obtentu numquam ab eo Eccleſiam Mediolanenſem recedere voluiſſe, quod etiamnum tenet, licet ceteræ Italiæ Eccleſiæ ad Romanum Ritum ſe contulerint.

Celebrata eſt Imaginis hujus memoria ante VII. ſæculum. *Abrahamus Bzovius Annal. Eccleſ. anno 1216. art. 17.*

Extant itaque in Tabulario Vaticano monumenta multa admodum authentica pro ſancta hac Salvatoris Imagine. Jacobus Grimaldus Tabularii cuſtos, & publicus Notarius, ſancte pollicetur, ſe illa ſumma fide collegiſſe; idque publico ſcripto in vulgus edidit, ſignavitque manu propria in pervigilio S. Andreæ anni 1612. his verbis: *Ita eſt, ego Jacobus Grimaldus manu propria*.

Monumenta pro authentica Sanctæ hujus Imaginis veritate.

In primo, quod affert, monumento reperitur, anno 705. primo Pontificatus Joannis VII. Pontificem hunc ædificaſſe in vetuſta S. Petri Baſilica magnificum Sacellum, cujus muri condecorati egregiis picturis opere teſſel-

Anno 705. Joannes VII. ſacellum Sanctæ huic Imagini extruendum curavit.

ſellato, varias Domini noſtri & S. Petri Hiſtorias referebant, & Pavimentum conſtratum erat marmore porphiretico. Sub fornice hujus Sacelli, quod ſex magnificis columnis innitebatur, Sancta Jeſu Chriſti Imago collocata fuit *. Anaſtaſius Bibliothecarius, & Petrus Mallius, Canonicus S. Petri, qui Baſilicæ hujus hiſtoriam executus eſt, atque ad ſæculum duodecimum florebat, hoc argumentum indicant pietatis Joannis VII. erga divinam Faciem Jeſu Chriſti.

Sub finem VIII. ſæculi Sacellum hoc dedicatum fuit.

Vetuſtum MS. Martyrologium, in quo de Baſilica Vaticana optime meriti recenſentur, nos facit certiores, Sacelli hujus in Eccleſia Sancti Petri dedicationem ad exitum VIII. ſæculi peractam fuiſſe, cum alia Altaris S. Mariæ ad Præſepe, in eodem Sacello poſiti **. In Vetere Graduali, quod in eadem Bibliotheca ſervatur, legere eſt ejuſdem Grimaldi teſtimonio, in Nocte Nativitatis Dominicæ, Officio Divino expleto, ſupplicationem inſtitui ad Sanctæ Imaginis Sacellum, & decantato *Te Deum Laudamus*, ſolemnem rem divinam celebrari conſueviſſe.

Singulis annis ſupplicatio eo movebatur.

Prodigium Sanctæ Imaginis patratum anno 750.

Aiſtulfus Rex Longobardorum Raehi fratri ſuo ſucceſſit anno 750. qui efferatus animo Regnum ſuum auſpicatus eſt vehementi in Eccleſiaſticas terras irruptione. Urbem Romam obſedit, immani prius vaſtitate ſuburbiis allata, qua ipſa diruit Templa, & Martyrum Sepulchra. Stephanus autem III. Pontifex, quo divinam opem inter haſce vexationes impetraret, ad Jeſu Chriſti Imaginem ſe recepit; indixitque publicam ſupplicationem per totam Urbem, cui interfuit, nudis pedibus Sacram Jeſu Chriſti geſtans effigium ***. Ferunt etiam, Leonem tertium, qui an. 816. occubuit, ditiſſimis muneribus donaſſe Sacellum, in quo erat Sancta Facies, tum temporis *Imago Salvatoris* appellata.

Baron. ad annum 753.

Quid fecerint Pontifices multi pro cultu S. Faciei. *Anaſt. in Leone III.*

Benedictus Canonicus S. Petri obſervat in Libro de Officio Eccleſiaſtico totius anni, Pontifici Cæleſtino II. nuncupato anno 1143. Summum Pontificem, peracto Sacro in Baſilica S. Petri, Die Dominico *Gaudete*, adolere ſolitum thus in Sacello S. Sudarii: *Poſtea vadit ad Sudarium Chriſti, quod vocatur Veronica.*

Anno deinde 1197. Cæleſtinus III. æneas januas Sacello affixit, in quo Jeſu Chriſti Imago ſervabatur. Innocentius item III. mentionem fecit ſolemniſſimæ ſupplicationis, quotannis fieri ſolitæ prima Dominica poſt Epiphaniam, in qua geſtabatur Imago Jeſu Chriſti ex Eccleſia Sancti Petri

* Notandum, Imaginem hanc Jeſu Chriſti aliam prorſus eſſe ab Edeſſena, quæ tum Edeſſæ adhuc colebatur, unde poſt duo circiter ſæcula Conſtantinopolim translata eſt.

** *Conſecratio Altaris S. Sudarii, item Altaris S. Mariæ ad Præſepe poſt ipſum nono Kalendas Decembr. in Feſto S. Clementis.*

*** *Proprioque humero ipſam Sanctam Imaginem cum reliquis Sacerdotibus idem Sanctiſſimus Papa geſtans, nudiſque pedibus, tam ipſe, quam univerſa plebs incedentes.* Anaſt. Biblioth. in Steph. III.

tri

tri ad Xenodochium Sancti Spiritus. Idem Pontifex Cælestinus, ut populorum pietatem excitaret, iis, qui ceremoniæ huic intereſſent, liberalem peccatorum Indulgentiam largitus eſt * . In Epiſtolis quoque, datis ab Honorio III. ad idem S. Spiritus Xenodochium anno 1222. Pontificatus ſui octavo, de hac ſupplicatione loquitur, tanquam de re vetuſtiſſima & celeberrima. Immo Alexander Papa IV. anno 1254. juſſit, vim argenti non modicam diſtribui Canonicis illis, qui tempore ſupplicationis Sanctam Imaginem deferebant.

Nolim pariter hic præterire, Urbanum V. ad S. Petri Cathedram evectum anno 1362. Diploma ſcripſiſſe Epiſcopo Aretino, in quo notat dies, in quibus coram populo exponeretur Salvatoris Imago, nimirum Feria IV. V. & VI. necnon Sabbato Hebdomadæ Majoris, in die Aſcenſionis, & prima Dominica poſt Octavam Epiphaniæ.

Grimaldus laudat Monumenta alia.

Ut paucis, Grimaldus enumerat ea omnia pietatis indicia, quæ erga S. Jeſu Chriſti Imaginem alii Pontifices præbuerunt, quæque hic colligere non moleſtum modo, ſed ſupervacaneum etiam eſſet; ſicuti alia multa, ab ipſo depromta ex vetuſtis Martyrologiis Baſilicæ Vaticanæ, ex Diplomatibus, & Codicibus MSS. antiquis, in quibus pretioſæ hujus Reliquiæ, & Miraculorum per eam a Deo factorum memoria uſurpatur. Id unum addam, Paulum V. anno 1606. cum Sanctam Veronicæ Imaginem in novam Vaticani Baſilicam transferri imperaſſet, ſtatuiſſe, ne deinceps Chriſtifidelium obtutibus pateret, niſi Feria VI. Majoris Hebdomadæ.

Monumentum erectum ab Urb. VIII.

Urbanus tandem Papa VIII. elaborare fecit magnificam thecam, in qua S. Jeſu Chriſti faciem depictam locavit, Symulacrum Veronicæ erexit, atque Altare, hac appoſita Inſcriptione:

SALVATORIS IMAGINEM VERONICÆ
SUDARIO EXCEPTAM,
UT LOCI MAJESTAS DECENTER
CUSTODIRET, URBANUS VIII.
PONT. MAX.
MARMOREUM SIGNUM,
ET ALTARE ADDIDIT, CONDITORIUM
EXTRUXIT, ET ORNAVIT.

* *Ut Liberius & hilarius ſe exhibuerint ſalubriter celebrare, de injunctis pœnitentiis unus remittatur annus ad ampliorem obtinendam Indulgentiam peccatorum.* Innoc. III. Serm. in Dom. prima poſt Epiph.

Qux

Baill. in Feſtis Mobilibus Fer. 3 Quinquag. Gall.

Quæ cum ita ſint, in promtu judicium eſt, quam recte & firmiter dixerit Bailletus, multi operis futurum, S. Faciei hujus originem ultra ſæculum undecimum repetere.

ARTICULUS III. & ultimus.

De cultu Imaginis Jeſu Chriſti, deque Inſcriptione ſuppoſita alteri, qua viſitur Monſtrolii.

Martyrologia, quæ Sanctæ hujus Imaginis meminerunt.

SAnctæ hujus Imaginis veneratio poſtremis hiſce ſæculis percrebuit adeo, ut Fideles eam non una ratione oſtendere ſatagerent. Non deſunt Martyrologia diem præſtituentia huic de S. Imagine Celebritati. Martyrologium Galeſinum eam ponit pridie Nonas Februarii; Petrus Caniſius VIII. Kalendas Aprilis, quo creditur die Jeſus Chriſtus vultum ſuum in Linteo expreſſiſſe. In quibuſdam Hiſpaniæ locis ſolemnitas hæc diem habet quintum ante Kalendas Decembres, præſertim apud Sanctimoniales Alones, in quarum Breviario Officium eſt eo die *Veronicæ*, vel S. Faciei proprium.

Dies, in quibus Feſtum S. Imaginis celebratur.

Apud Sanctum Euſtachium Pariſiorum feſtus hic dies habetur V. Idus Septembris. In qua eadem Urbe & alibi locorum in Galliis, ubi pietas animos hominum ad habendum feſto aliquo die Sanctæ huic faciei honorem excitavit, decreta eſt jam inde a ſæculis multis Feria tertia Quinquageſimæ, alias poſtremus Bacchanaliorum dies. Fit autem admodum credibile, iccirco delectum diem iſtum, ut objiceretur pietas erga divinam Salvatoris Imaginem laxiori vivendi licentiæ, cui indulgent eo die perſonati homines, qui ad intemperantiæ libertatem effrænem faciem ſuam tegunt. Hactenus Feſtum hoc in arbitrio Fidelium fuit, ut coli poſſet, atque omitti.

Baill. de Feſtis Mobil. hoc die §. 21.

Deſcripta quoque fuit Miſſa votiva, dicenda liberis pietati diebus poſt ſæculum XV. cui titulus: *De Sancta Veronica, ſive da Sacra Imagine Jeſu Chriſti*. Hæc reperitur in fine Miſſalium & Gradualium, veluti Pariſienſis, in quo ſingillatim dicitur, hanc eſſe Miſſam *de S. Veronica Chriſti Domini, ſive Facie Jeſus patientis pro Feria tertia poſt Quinquageſimam*. Inter Miſſas etiam *Votivas* Miſſalis Moguntini anno 1493. extat quædam inſcripta: *De Sancta Veronica, ſeu de vultu Domini.*

In veteſtis pariter Miſſalibus quorumdam Germaniæ Diœceſum legitur Miſſa propria pro Veronica, ſive ſacra Facie Jeſu Chriſti; præſertim in Auguſtenſi edito anno 1555. *Miſſa de Vultu ſancto, ſeu Veroni-*

ca

ea *. Eadem Miſſa reperitur in Miſſalibus multo antiquioribus, quemadmodum in Giennienſi apud Hiſpanos, in quo püſſima eſt *Sequentia*, quæ hoc pacto incipit:

Salve Sancta facies noſtri Redemtoris,
In qua nitet ſpecies divini ſplendoris,
Impreſſa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicæ ob ſignum amoris &c.

Erecta inſuper ſunt Sodalitia ſacra in honorem Sanctæ Imaginis, cujus celeberrimum eſt illud, quod Joannes V. cognomento Sapiens, Britanniæ Dux, erexit in Urbe Nannetenſi ad annum 1413. ſub glorioſo Titulo S. Veronicæ, probatumque a Sancta Sede fuit, & maximis auctum ditatumque Indulgentiis. Præſules, *Barones*, Nobileſque Provinciæ Viri, Procereſque Urbis honori duxerunt, ſe in illud cooptari, quod ad hanc diem floret, inſigne pietatis exemplum Urbi Nannetenſi, in Eccleſia Fratrum ex Ordine S. Dominici. Sodalitia erecta in honorem S. Imaginis.

Nec minorem ſane pietatem erga Imaginem iſtam oſtenderunt Chriſtifideles, dum ex Archetypo Romano exempla quædam imitati ſunt, quibus item Veronicæ nomen impoſitum eſt. Inter ea, quæ majori ſeruntur apud Hiſtoricos animadverſione digna, illud dixerim, quod Urbanus IV. † Archidiaconus tum Laudunenſis, atque Innocentii IV. a Sacro faciendo, Roma miſit anno 1249. ad Antiſtitam Monaſterii Matronarum Monſtrolienſium ex Ordine Ciſtercienſi, in quo habebat ipſe ſororem ſuam. Cum autem Congregatio illa Laudunum prope translata fuerit, Monſtrolienſis tamen Veronicæ nomen ipſi perſeveraverit. Jacobus Pantaleon elegantem Epiſtolam conſcripſit, hortatus Matronas iſtas, ut ſuſciperent obſequio ſummo Sanctam Veronicam, Imaginem nimirum Jeſu Chriſti **; quæ adhuc ſervatur in eodem Monaſterio, atque ad illam inviſendam confluunt ex multis Galliarum locis homines religioſi ***. Exempla ex Archetypo Romano depicta. † Jacobus Pantaleon Trecenſis. Sancta Facies Monſtrolienſis.

Eruditiſſimus Pater Mabillonius, hiſtoriæ hujus narrator, animadvertit, ſubtus hanc effigiem poſitam eſſe Inſcriptionem ignoti caracteris, & cujus ſex primæ litteræ ſtatim excitant ſuſpicionem, num ſignificent vocem *Abraſax*: quæ vox, inquit, indicat Philacteria, ſive Amuleta, Animadverſio Mabillonii in Sanctam Faciem Monſtrolienſem.

* *Notandum, quod Innocentius Papa IV. omnibus fidelibus, ſequentem Miſſam de vultu Domini devote celebrantibus, trecentos dies i & ſolam Collectam dicentibus quadraginta dies Indulgentiarum conceſſit.* Innocent. IV. renunciatus eſt Pontifex ſummus anno 1243.

** *Ut Sanctam Veronicam, ſeu veram ipſius imaginem & ſimilitudinem. Actum Roma anno* 1249.

*** Quidam Autor narrat, Imaginem hanc innumeris miraculis coruſcaſſe. *Chryſoſt. Henriquez, in Vitis Patrum Monaſt. Dunenſis in Flandria, cap.* 21.

qui-

Mabill. Muſæi Italici Tomo 1. pag. 69. quibus Baſilidiani Hæretici utebantur. Nihilominus ſubjungit cl. hic Benedictinus, præterquamquod effigies hæc non poſſet commode collo ſuſpendi, non eſt dubitandum, hanc eſſe Imaginem Sacram; quandoquidem auguſtum Jeſu Nomen utroque latere conſpicitur in parte ſuperiore, Græcis Litteris ad compendium redactis inſcriptum. Quo in loco ſperare juvat, neminem ægre laturum, me hic quædam animadvertere ſuper conjecturis, quas fecit doctus iſte vir Religioſus de Inſcriptione, quæ legitur ſubtus imaginem Sanctæ Faciei, quæ Monſtrolii aſſervatur.

Animadverſio prima in Inſcriptionem Sanctæ Imaginis.

Prima animadverſio mea in id recidit, quod ait, *ſex priores hujus Inſcriptionis Litteras ſuſpicionem excitare poſſe, num ſignificent vocem Abraſax*. At ſuſpicio hæc futiliſſima eſſet; ut nanque e prioribus hujus Inſcriptioris Litteris emergeret vox *Abraſax*, oporteret primam litteram eſſe A. quæ tamen eſt ●, atque adeo efficeret *Obraſax*, non autem *Abraſax*. Porro non erediderim, apud ullum Scriptorem reperiri, verbum *Abraſax*, tam celebre apud Baſilidienſes, ſcribi cum ●; quanquam Eccleſiæ Patres, aliique Scriptores diſſimiliter illud ſcripſerint: *Abracax*, *Abraſax*, *Abraſas*, Abraxam, ΑΒΡΑCΑΣ. Adde, non poſſe verbum *Abraſax* ſcribi cum ●, quin evertatur myſteriorum ſtructura, quam Hæretici iſti hoc verbo conflabant *. Baſilides, ejuſque Sectatores hoc nomen tribuebant Deo, ut indicarent trecentos ſexaginta quinque Proceſſiones, ſignificantes, eorum opinione, 365. virtutes cæleſtes, quæ totidem corporis humani partibus præerant. A. nanque valet 1. B. 2. P. 100. A. 1. C. 200. A. 1. Σ. 60. ex quibus numerus efficitur 365. Porro inferius oſtendam, etiamſi prima vocis hujus littera eſſet A. non poſſe inde confici *Abraſax*.

Myſteria hac voce *Abraſax* comprehenſa.

Irenæus l. 1. cap. 22. Tertull. de Præſcrip. cap. 46. Epiph. Auguſt.

Animadverſio ſecunda.

Secundo loco animadverto in verba hæc Mabillonii dicentis, nomen *Abraſax* indicare Philacteria vel Annuleta, quibus Baſilides, ejuſque aſſeclæ utebantur. Ante omnia vero meminiſſe oportet, Baſilidianos duo Amuletorum iſtorum genera incidere conſuevisſe. Alterum compoſitum erat Litteris tantum, ſingulari quadam ratione diſpoſitis. Atque hoc pacto Medicus Serenus Sammonicus, II. ſæculi Vir, & magicis Hæreticorum iſtorum ſuperſtitionibus addictus, hanc vocem *Abracadabra* adhibe-

Duplex erat apud Baſilidianos Amuletorum genus.

* Eruditi multi interpretati ſunt hanc vocem *Abraſax*, quam putant conſtare hebraicis & græcis Litteris, & unamquamque litteram verbum aliquod ſignificare.
A. *Ab.* Pater.
B. *Ben.* Filius.
P. *Ruah*, Spiritus.
A. *Hakadoſh.* Sanctus.
C. σωτηρία Salus.
A. ἀπὸ a
Σ. ξύλω. Ligno.
Alii dicunt, hæc verba reddere: *Deus unus & trinus homines ſalvans per Crucem.*

bat,

bat, cujus elementa peculiari quodam ordine digesta, Philacteriorum vices gerebant. At quamvis *Abracadabra* efformatum sit ab *Abrasax*, non extat tamen exemplum, postremam hanc vocem in schedula inscriptam, & collo suspensam, fuisse unquam loco Philacterii; omnesque Autores animadvertunt, Basilidianos non usurpasse ad incantamenta sua, nisi vocem *Abracadabra*, scriptam Litteris Græcis majusculis. Quapropter etsi Pictura Monstrolienſis potuerit collo suspendi, & descriptum in ea fuerit nomen *Abrasax*; non tamen id argumento esset, eam ad Philacteriorum usum institutam fuisse. Amuleta scripta in Schedulis.

Amuleta Basilidianorum altera erant plerumque gemmæ, in quibus insculpebantur figuræ monstrosæ, informes, & non semel obscenæ: ex. gr. corpus humanum cum capite Galli, vel Canis, circundato radiis, & cum serpentibus loco pedum, &c. Non paucæ ex his gemmis reperiuntur in Pinacotheeis multis, refertæ his imaginibus, atque Inscriptionibus, veluti Serapidis, Mitræ, aliarumque barbararum vocum, inter quas sæpissime legitur *Abrasax*. Eadem apparet Græce exarata in baculo bifidato, quem præ manibus tenet imago insculpta in altera parte Ametisti, qui Baronii ætate repertus est. Hæc Gemma in aversa facie habet Leonem cum capite Tauri. Idem Cardinalis meminit alterius Gemmæ, referentis figuram prodigiosam, spectrumque caracteribus plenum, in cujus aversa facie legitur vox *Abrasax*. Basilidiani gerebant imagines istas in annulis, quæ ipsis instar antidoti forent. Descripta pariter est vox *Abrasax* in Gemma, quæ asservatur apud Patres Canonicos Regulares S. Genevieſæ: atque affirmat Dueangius se multas eum eadem Inscriptione vidisse. Quoniam igitur nomen *Abrasax* non conspicitur passim nisi in Gemmis, eum pro Amuleto adhibebatur, non videtur Mabillonius suspicari merito potuisse, S. Monstrolienſem Faciem Philacteriorum usum habere; licet ipsi daremus ultro, verbum *Abrasax* in ejus fronte situm esse. Sculpebantur quoque in Gemmis. *Baron. ad ann. 120. num 10.* *Ducangius Gloss. Latin. verbo* Abracadabra

Aliam etiam animadversionem adjiciam ad ea verba: „ Præterquam „ quod effigies hæc commode non posset collo suspendi; non est dubitan„ dum, hanc esse Imaginem særam, quandoquidem augustum Jesu no„ men utroque latere conspicitur in parte superiore, Græcis Litteris in„ scriptum. „ Ego vero non putarem, concedendum esse huic Benedicti- no erudito, Saerum Jesu nomen, in hujus Imaginis fronte collocatum, ostendere, eam minime superstitiosam esse. Ii etenim, qui de hujusmodi rebus agunt, nobis testantur, nomina majori veneratione colenda, verba Sanctiora, resque augustissimas Religionis impie traduci in Magicis operationibus ad perspicaciores eludendos. Immo S. Augustinus autor est, quosdam usos fuisse nomine Jesu Christi ad Magicas artes exercendas. Animadversio Tertia. Res Sanctiores quandoque in rebus Magicis usum habent. *Thiersius Tract. de Superst. Tom. 2. per totum.* *Aug. Tract. 7. in cap. 1. Joann.*

Spondanus ad ann. 120.

Quod ſi opus eſſet, exemplum aliquod proferre Amuletorum inſculptorum ſuper piis imaginibus, nullum exhiberet negotium, ea reperire in rem noſtram. Spondanus etenim aſſerit, ſe vidiſſe apud Petavium Pariſienſem Conſiliarium Gemmam, hinc habentem effigiem SS. Petri & Pauli, illinc vero vocem ΑΒΡΑΣΑΞ. At firmiſſima omnium ratio, quare S. Veronica Monſtrolii non ſit attingenda ſuſpicione Philacterii cujuſdam Baſilidienſis, ea eſt, quia Hæretici iſti non credebant, Jeſum Chriſtum aſſumſiſſe corpus*; ſed in humana quidem forma apparuiſſe, quamvis non eſſet. *

De Sancta Facie Miſſa ad P. de la Chaize. Supplementum Ephemeridis Sapientum, Martii 1707 pag. 67. & ſeq.

Non ita pridem depictum fuit exemplum elegantiſſimum Faciei hujus, quæ extat in Eccleſia Monialium Monſtrolienſium prope Laudunum. Hæc Tabula picta anno 1707. erat in Cubiculo P. *de la Chaize* Regis a Sacris Confeſſionibus audiendis. Autores Ephemeridis Sapientum Tabulæ, atque Inſcriptionis expreſſam imaginem in vulgus ediderunt. Tota vero difficultas in eo vertitur, ut cognoſcamus, quanam lingua deſcripti ſint caracteres eidem ſubjecti, & qua ratione eos interpretari poſſimus.

ΥΕΡΑΥΞ ΓCΠΔΝΡ ΝΑΥΖΨΥCΖ

Explicatio Inſcriptionis in inferiore Imaginis parte poſitæ, cum ſatis ſingularis ſit, atque non parum ad rem noſtram pertineat, Lector æqui bonique faciet, me hue afferre eorum Epitomen, quæ de ipſa tradit Ephemeris Sapientum. Audi qui loquatur.

Sententia Harduini de hac Inſcriptione.

„ Harduinus e Societate Jeſu in ea reperit præclarum quoddam cogitatum, Chriſtiano pictore dignum, & Tabulæ ipſi apprime reſpon-

* *Non erant certe ejuſmodi, quibus Baſilidis Sectatores utebantur, imagines Chriſti Redemptoris: nam quomodo, quaſo, cum ille credi nolebat, Chriſtum eſſe corporeum ac crucifixum?* Baron. ad ann. 120. num. 10.

de-

„ dens. Exprimitur Carminibus Græcis Spondaicis, ſenſumque effert in-
„ genioſum, ſatiſque exquiſitum. Eſt autem hic.

„ Ωξρας δ' γε γραφ'ς κιμα Παννυς ανυσα.

„ Id porro ſignificat, ſi totidem verbis latine vertatur: *diviſit utique penicillus figuram Chriſti invitus*. Atque adſtricta numeris oratione:

„ *Vultum utique invitus ſejunxit corpore Pictor.*

„ Gallica quoque Lingua his carminibus id complecteretur.

„ Le Peintre offre à vos yeux la ſainte Face ici:

„ Mais que c'eſt à regret, qu' il la sépare ainſi.

„ Ac ſi diceret: Argumentum admodum triſte Chriſtiano pictori eſſe
„ Sanctam Faciem, afflicta hac ſpecie eſpreſſam; ipſumque malle potius
„ depingere Chriſtum Dominum, ea gloria, qua modo fruitur, mieantem, vel alterius myſterii ſpecie, quam diræ Paſſionis ſuæ.

Exiſtimat Harduinus Inſcriptionem hanc Græcam eſſe.

Poſtquam Harduinus hoc pacto Inſcriptionem hanc interpretatus eſt, addit, noluiſſe (ut auguratur) Pictorem, quempiam ancipitem eſſe, anne illa Græca conſcripta eſſet; cum caracteribus perſpicue Græcis, ex utroque S. Faciei latere poſuerit hæc verba contracta IC XC. quæ ſignificant Ιησῦς Χριστὸς. Quod attinet ad Græcam Inſcriptionis Linguam, hæc exarata eſt manu Latina: quod apertum erit conſideranti promiſcuum elementorum utriuſque Linguæ uſum, & figuram A. a. b. & præſertim litteræ q. quæ in ultima voce reperitur. Sunt in ea duæ Litteræ, conſulto poſitæ adverſo modo, ut fortaſſe lectio difficilior redderetur. Prima eſt E in prima voce. Adverbium δὴν, ſequitur eruditus hic Jeſuita, compendiaria nota ſcriptum eſt, duabus tantummodo vocis illius conſonantibus, ſed ſimul junctis, quarum una innititur alteri, ut Δ. baſis inſtar ſit, & Γ. ſuperpoſitus, ita inflexus, ⅂. In verbo Παννυς, inquit Harduinus, apparent duæ Litteræ in unum complexæ nimirum N. & O. quod plerumque fit in Monogrammis. Litteræ Γ. & C. quæ ſunt ſeptima & octava Inſcriptionis, majuſculæ ſunt, videlicet, unaquæque littera prima cujuſdam integræ vocis. Γ. non poteſt eſſe niſi γραφὶς, Latine *Penicillus*. C. collocari non potuit, niſi ut indicaret χίμα, *forma*, *figura*.

Qui explicet hanc Inſcriptionem.

Denique poſtquam in eo laboraviſſet Harduinus, ut oſtenderet congruentiam vocum Græcarum cum Inſcriptione, Litteris quibuſdam contrariæ rationi poſitis, ſejunctis aliis, quæ nexæ erant, aliis connexis, quæ ſejunctæ, repertiſque vocibus integris in una tantum littera: poſt hæc, inquam, omnia eorum ſententiam impugnat, quibus viſa eſt Inſcriptio hæc Illyrice conſcripta. At præterquamquod, ait, explicatio noſtra opinionem hanc aperte convellit, & caracteres nullo modo Illyrici ſunt: id addimus, neceſſum eſſe, ut ex his Litteris efficeretur: *Imago Domini in*

Sudario, legere Illyrice: *Pild* vel *Poldoben Goſdub v' Antuelo*: atque in univerſa Inſcriptione verborum Illyricorum ne veſtigium quidem eſt. Quare conſtanter affirmo, concludit peritus hic Antiquarius, iſtud eſſe Carmen Græcum; neque video, quid in re hac negotium faceſſere poſſit.

Inſcriptio hæc confecta eſt Litteris Moſcovitis.

Summa profecto admiratione digna eſt acutiſſima Harduini acies ingenii, atque eruditio toti Litteratorum Reipublicæ perſpecta, ut e phraſi Moſcovitica Carmen Græcum Spondaicum erueret; & ſollertiſſime Moſcoviticum in Græcum transfiguraret. Sententia nanque, ſive Inſcriptio ſub ſancta Facie poſita, nihil habet cum Græco affine, neque cum ſenſu, quem ipſi dedit peritus hic Jeſuita. Inde autem orta deceptio eſt, quod in hac Inſcriptione ſint quædam litteræ Græcis haud abſimiles; atque ipſe ignoret, pleraſque litteras communis ſcriptionis Moſcoviticæ Græcas eſſe, quamquam verba & ſignificatio a Græco quam maxime diſtent.

Interpretatio Inſcriptionis hujus.

Attende iraque germanam Inſcriptionis hujus interpretationem. OBRAS *Imago*; GOSPODEN *Domini*; NAOUBROUSE *in Linteo*.

Animadverſio Prima.

Ut autem Inſcriptioni huic claritatem afferamus, hæc animadvertenda ſunt. Primo, eam conſcriptam eſſe Litteris majuſculis, quæ longe differunt ab aliis Linguæ Moſcoviticæ, ut in aliis quoque Linguis contingit.

Animadverſio Secunda.

Secundo, Inſcriptionem hanc tribus verbis conſtare, *Obras Goſpoden Naoubrouſe*. Secunda vox compendio ſcripta eſt, atque in ea tres vocales deſiderantur; leguntur autem *g. s. p. d. n.*, qua ratione Moſcovitæ paſſim Jeſu Chriſti nomen conſcribunt. Deeſt quoque *o* poſt C. ultimæ vocis, quæ compoſita eſt ex præpoſitione *na*, quæ ſignificat *in*, & ex *oubrous*, quæ reddit *Linteum*. *Oubrous* nominativus eſt, *oubrouſe* ablativus, a præpoſitione *na* rectus. Quare addenda eſt in fine vocis *o*; & fiet *Oubrouſe, in Linteo*; quæ niſi adderetur, efficeret *in Linteus*, vel *in Linteum* vitioſa ſignificatione, cum hoc loci præpoſitio *na* ablativum, non nominativum, vel accuſativum requirat.

Animadverſio Tertia.

Tertio cavendum eſt, in fine uniuſcujuſque vocis elementum eſſe, nihil ſignificans, quod apponitur in fine verborum omnium, quæ deſinunt in conſonantem, ad firmandam adjuvandamque pronunciationem, vocaturque Moſcovitice *jer*. Atque adeo ſexta, duodecima, & ultima littera, non ſunt characteres veri, ſed *jers*.

Animadverſio Quarta.

Quarto, quod Inſcriptionem hanc difficilem reddit, & ipſis Linguæ Moſcoviticæ peritiſſimis negotium exhibet, ex eo oritur, quia duo *jers* poſtremorum verbum immutata ſunt. Illud nanque, quod eſt in fine ſecundæ vocis, ita efformandum erat Nb; & *jer* quod eſt in fine ultimæ, deberet eſſe ac illud, quod eſt in fine *Obras*.

Animadverſio Quinta.

Animadvertendum quinto eſt, quartam & quintam litteram ultimæ

vocis

vocis esse B. & R., sed vitio Pictoris vel Sculptoris contrario modo positas esse, eum collocari debuissent instar secundæ & tertiæ litteræ verbi *Obras*.

Sexto, Prima Littera Inscriptionis U optime posita est, quamvis Græcæ ita versa sit Ω. Neque item quinta Littera inversa est, eum sit S; qui a Moscovitis scribitur ut jacet in Inscriptione, vel hoc modo C. Non igitur est E. immutata, ut placuit Harduino. Animadversio Sexta.

Denique duæ voces superpositæ Imagini significant Ιους Χριςος, non vero Ιωνς Χριςος. Animadversio Septima.

Hac ratione, ut mihi videor, illustrata Inscriptio est, quam maxime poterat, & flagitabatur. Hac ratione eam interpretati sunt duo Medici Moscovitæ, quos in consilium adhibui, & suam profecto Linguam callebant. Prior appellatur L. Blumentrost, Familiaris Medicus Imperatoris Moschorum. Alter est Vander Hulst, Medicæ facultatis Doctor. Duo *iers* conversi, de quibus locuti sumus, & quarta & quinta littera immutatæ nonnihil difficultatis initio Viris istis peperérunt. Sed Sapientum ejusdem Nationis multorum, Parisiis tum commorantium, consulto, convenit demum inter omnes, Inscriptionem hanc complecti tres tantum voces, nimirum: OBRAS GOSPODEN NAOBROUSE: IMAGO DOMINI IN LINTEO. Explicationis hujus sponsores.

FINIS.

EPI-

EPISTOLA

P. TOURNEMINI E SOCIETATE JESU

AD P. HONORATUM A S. MARIA,

CARMELITAM EXCALCEATUM,

In qua P. Tourneminus ſententiam ſuam exponit ſuper quæſtione, tantis inpræſentiarum contentionibus agitata.

Utrum Jeſus Chriſtus Agnum Paſchalem comederit poſtremo Vitæ ſuæ anno.

ITA eſt, non inficior, mi Pater Reverende, me admodum probabilem cenſere opinionem, quam Lamius ſplendidiſſimum Congregationis Oratorii lumen, adverſus tot adverſarios propugnavit eruditione multa, ſed ratione loquendi nimium decretoria, & Sanctis Patribus non ſatis morem gerente: Ego equidem in hanc opinionem deſcenderam, antequam prodiret in vulgus Harmonia *in octavo* Lamii, vel quidpiam de Auctoris hujus ſenſis, ſcriptiſque cognoſcerem. Nulla ex illis ſententiis, quas excogitaverant Interpretes, ut loca explicarent, in quibus tradit Sanctus Joannes diſertis verbis, Judæos nondum Paſcha celebraſſe, cum Chriſtus in Crucem actus eſt: nulla, inquam ex illis ſententiis, tam inter ſe diſſidentibus, expleverat animum meum; & comperiebam, nodum adhuc totum expediendum eſſe poſt tot Eruditorum conatus, ut illum ſolverent. Tum vero incidi fortuito in Tractatum Philopponi, in quo hic ſeptimi ſæculi Autor probat, Chriſtum Dominum, pridie quam mortem ſubiret, Paſcha non peregiſſe. Rem probat ille quidem ſatis improſpere; attamen eum legendo percepi, poſſe quem meliora pro opinione ſua argumenta in medium afferre, atque hanc fortaſſe unam eſſe difficultatis ejus enodationem, quæ mihi inextricabilis viſa fuerat. In hoc eodem conſilio me confirmarunt Opera P. Lamii, nec ab eo quidquam ipſius adverſariorum Volumina me removerunt; quorum ſane viæ & rationes mihi minus ſolidæ viſæ ſunt, & magis inanes, quam illorum, quæ pervulgatæ erant, atque ab Interpretibus magni nominis propoſitæ. Nolo tamen iſtas ſingillatim perſequi, & quidquid in eis deprehenderim leve, & minime propugnandum. Iis etenim

me

me tantum finibus circumſcribo, ut tibi, quam maxime potero, clarius & brevius ob oculos ponam momenta, quibus ad communem ſententiam deferendam permotus ſum. Hæc autem duco a Sanctis Litteris & Traditione; ab Evangelii contextu, & quorundam vetuſtiſſimorum Patrum dictis.

Argumenta ex Evangelio deprompta, quibus efficitur, Jeſum Chriſtum poſtremo vitæ ſuæ anno Agnum Paſchalem non comediſſe.

Nemo unus ignorat, quam faveat ſententiæ meæ Sanctus Joannes. Ex hoc Evangeliſta (*a*) Feria ſexta, qua Chriſtus obiit, *erat Paraſceve Paſchæ*, quod ſub lucem obſcuram manducandum erat: dies ante Feſtum ſolemne (*b*) Azymorum: (*c*) dies, quo unus e vinctis in libertatem a Præſide Romano vindicabatur, ut e carcere exiret nocte inſequente, eademque hora, qua Judæi exierant ex Ægypto. Adverſarii mei ſapientiſſimi non repugnant, verba S. Joannis alio ſenſu haud explicari poſſe: atque ipſe Harduinus, qui uberrimæ eruditioni aciem ingenii fœcundam in conjiciendo adjungit, profitetur (*d*) hoc loci neminem poſſe a communi Patrum explicatione recedere, quin vis inferatur vocibus, quibus Evangeliſtæ, vel Spiritui Sancto potius uti placuit.

Tillemontius, tot Sapientum amicorum ſuorum luminibus illuſtratus, dimiſit tandem explicationes hujus loci longe accerſitas, quas ipſi ſuppeditaverant Scholaſtici, aſſueti diſtinctione aliqua recta vel prava ſeſe e laqueis exuere.

Interpretum (*e*) clariſſimi, in veſtigiis hærentes Sanctorum Patrum, qui aliter, atque ego ſentiam, ſenſerunt, pro rato habuere, Jeſum Chriſtum & Judæos non eodem die Paſcha celebraſſe: idque iccireo ratum habuere, quia perſuaſi erant, alia ratione S. Joannem interpretari neminem poſſe.

At vero non ab uno Joanne argumenta depromo, ſed ab aliis quoque ſumam Evangeliſtis, quæ nihil minus rem conficere videntur. Animadverte, mi Pater Reverende, nullum ex Evangeliſtis reipſa affirmare, (*f*) Chriſtum Dominum manducaſſe Agnum Paſchalem. (*g*) Ajunt quidem, eum delegiſſe domum, in qua comederet; & juſſiſſe Diſcipulis, ut omnia huic ſolemnitati neceſſaria pararent. (*h*) At enim, inquies, legimus apud Lucam, *cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo*; ac tu contendes, *cum facta eſſet hora* comedendi Agnum Paſchalem, *diſcubuiſſe Jeſum*. Contendes, opinor; (*i*) aſt ego ex adverſo contendam, verba S. Lucæ nihil aliud ſignificare, niſi adventaſſe horam cœnandi,

nandi, atque explicatio mea neque ſingularis erit, neque improbabilis. (*k*) Sanctus Lucas indicare tantummodo voluit horam Euchariſtiæ inſtituendæ: interim dum alii duo Evangeliſtæ ſatis habuerunt dixiſſe, *veſpere facto*. Nec opus eſt in dictione admodum ſimplici myſterium aliud inveſtigare.

(*l*) Evangeliſtæ itaque non aſſerunt, Chriſtum Dominum comediſſe Agnum Paſchalem. Hactenus id oſtendi. Atqui aſſerunt, illum non comediſſe? Oſtendere pergo.

Atque argumentum, quod ex Evangelio ducturus ſum, redigo ad duas enunciationes. Jeſus Chriſtus mortuus eſt ſub finem quartideeimi diei menſis Paſchalis, qua hora immolandus erat Agnus Paſchalis: non potuit ergo illum comedere. Quartuſdeeimus nanque dies menſis Paſchalis claudebatur Veſpere Feriæ ſextæ, & inceperat Veſpere Feriæ quintæ: (*m*) id a Sanctis Luca & Marco didicimus, qui perhibent, diem Jovis, cum Jeſus, ut Paſcha pararetur, imperavit, fuiſſe primum diem Azymorum: diem, *in quo neceſſe erat occidi Paſcha*, inquit D. Lucas: *in quo Paſcha immolabant*, ait D. Marcus. Porro dies ſolemnes apud Judæos Veſpere incipiebant: Dies igitur, quo Paſcha immolabatur, non incæpit niſi Feria quinta, hora ſexta veſpertina. Poſtero die Chriſtus mortuus eſt, de quo non vacat dubitare, obiitque hora tertia, eadem ipſa videlicet, qua mactandus Agnus erat, proindeque illum non comedit: alioquin Legem violaſſet, Judæis offenſione fuiſſet, eauſamque ſpecioſam Sacerdotum aecuſationibus obtuliſſet. Juſſit profecto Apoſtolis, ut omnia pararent; Legique obtemperans, Paſchæ celebrando ſeſe diſponebat, quamvis cognoſceret, ſe minime illud celebraturum; (*n*) atque apparatum Diſcipulis tantum uſui futurum. Jeſus Chriſtus exceſſit, antequam veniſſet, ut in extrema Cœna prædixerat, tempus peragendi Paſcha. Ita ſane, mi Pater, (*o*) ipſe prædixerat, aperteque protulerat, ſe Paſcha non comeſturum: atque hic eſt genuinus intellectus loci illius, quem magis fidenter in me jactant adverſarii. Chriſtus ait apud Lucam, & ſecundum Vulgatam: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar: dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei.*

Jeſus igitur his verbis de dupliei Paſcha ſermonem effert; altero, quod deſideravit manducare eum Diſcipulis ſuis, *hoc Paſcha;* altero, ex quo non manducabit, *illud*, cujuſque figura complenda erat, Regno Dei per Mortem ejus conſtituto. Paſcha, quod comedere concupiverat, nihil aliud eſt, quam Euchariſtia, ſi audiamus Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Chryſoſtomum, atque innumeros alios Interpretes, & præſtantes Theologos. Paſcha, ex quo non erat manducaturus, vetus Paſcha

ſcha erat. (*p*) Hoc pacto locum hunc interpretatur S. Hypolitus, atque inde colligit, Jeſum Chriſtum anno mortis ſuæ Paſcha non recoluiſſe, idque illum prænunciaſſe. In primo nanque Libro Tractatus ejus de Sancto Paſchate hæc legebantur: *Nam, qui olim prædixit, quia non adhuc manduco Paſcha; veriſimiliter cœnam cœnavit ante Paſcha: Paſcha vero non manducavit, ſed paſſus eſt; neque enim manducationis illius erat tempus.*

Ac pronius, quam par eſſet, Sancti Doctoris iſtius crimini dederunt, perinde quaſi Sacras Litteras adulteraſſet, vel memoria excidiſſet. Neque etenim affert ille accurate verba S. Lucæ, ſed ſenſum; ejuſque explicatio Vulgatæ accommodatiſſima eſt, multoque magis ejuſdem Evangeliſtæ ingenio atque conſilio. Hic nanque Diſcipulus D. Pauli totus eſt ubique in proſternendis Judaicis ceremoniis, nulluſque illo diligentius & enucleatius deſcripſit, quæcunque Meſſias de Synagogæ ruina vaticinatus fuerat. Illud quoque præterii, Verſiones Perſicam, Arabicam, atque Æthiopicam multo magis huic explicationi, quam Vulgata, & Syriaca, conſentaneas eſſe.

(*q*) Uti pariter poſſem iis, quæ apud Joannem extant, Apoſtolos putaſſe, Judam egreſſum, ut emeret quæ opus erant ad diem Feſtum: non erant ergo omnia in promtu? Atque inſuper his omnibus argumentis illud ſubtexere poſſem, quod capitur ex Deſcenſu Sancti Spiritus, qui in diem Dominicum contigit, & Pentecoſtes: ſed adhærco verbis D. Lucæ: *in quo neceſſe erat occidi Paſcha; deſiderio deſideravi*; atque hinc concludo, Filium Dei Mortis ſuæ anno non potuiſſe Paſcha comedere, eumdemque dixiſſe, **ſe non comeſturum. Non eſt ergo jam unus Joannes** Evangeliſta ad alios revocandus, ſed omnes Evangeliſtæ mendacii exprobrandl. Senſus, quo eorum loca expono, novus non eſt, (*r*) atque iidem Patres, qui in me ſunt, inſtar mei loca, quibus utor, interpretantur. (*s*) Oportet ſane, adverſarios meos alterutram partem tueri, atque utram tueantur, partem ſemper Evangeliſtis repugnantem tuebuntur. Si affirment, cum Judæos, tum Jeſum Chriſtum Paſcha celebraſſe Veſpere Feriæ V. in pervigilio Mortis Chriſti, D. Joanni adverſantur. Quod ſi contra ſentiant; tum vel dicunt, Jeſum Chriſtum præveniſſe Judæos, vel iſtos eſum Agni diſtuliſſe; atque utrobique refragantur D. Lucæ, & D. Mareo. Per Lucam, neceſſe erat occidi Paſcha primo die Azymorum: Per Marcum, eo die Paſcha immolabant. Quamobrem viæ & rationes omnes initæ ad Evangeliſtas conciliandos, qui nullo modo pugnantia loquuntur, hæ, inquam, viæ & rationes omnes, ſi placet, ingenioſæ in falſitatem deſinunt, ipſiſque, quos conciliare arbitrantur, Evangeliſtis repugnant, qui ex opinione mea congruunt magis inter ſe.

Argumentum inſtauremus. Jeſus Chriſtus manducare Agnum Paſchalem non potuit, niſi Veſpere quartidecimi diei menſis Paſchalis, nimirum Feria VI. hora pariter ſexta; cum illum eunĉti comedebant. Atqui mortuus erat hora tertia. Illum igitur comedere non potuit. Quidquid ſuper hac re Evangeliſtæ locuti ſunt, ſi genuino explicatu ſumatur, fidem facit, eum non comediſſe. Opinio ergo id negans, in Evangelio fundamentum habet.

Argumenta pro mea ſententia, e Patribus compărata.

Illud initio animadverto, nullum ex S. Patribus ante Originem dixiſſe, Chriſtum Dominum poſtremo vitæ ſuæ anno Paſcha celebraſſe. Non ignoramus autem, quanta eſſet Origenes autoritate, ut nullus ſit admirationi locus, eum involviſſe in ſententiam ſuam quot ipſum ſecuti ſunt Patres, quique ab ipſo explicationes Scripturarum minus, quam iſta, veras exſcripſerunt. Eorum porro omnium, quos adverſum me urgeri ſolent, unus eſt Epiphanius, qui rei incubuiſſe videatur. Contra me quidem facit; at opinio ab eo excogitata hujuſmodi Petavio viſa eſt, ut propugnari non poſſit; quantumvis æca erga autorem ſuum animi propenſione, quicumque in alium laborat, afficietur. Chryſoſtomi quoque cogitatum minus tueri poſſumus, quam Epiphanii; neque ulla eſſe poteſt cum ipſo ſive Legis, ſive Evangeliſtarum conſenſio. Aſſerit enim, Judæos in inſequentem diem Paſchatis ſolemnitatem diſtuliſſe, ut ſuum in Servatorem noſtrum immane odium explerent.

Non te fugit, mi Pater Reverende, integrum eſſe mihi, magnum Scriptorum numerum recenſere, qui non ſecus atque ego, & Lamius, cogitaverint. Satis tamen erit in rem meam trium Eccleſiæ Doctorum, Origene antiquiorum autoritas. Tibi ſane perſpectum eſt, eos eſſe Clementem Alexandrinum, S. Apollinarem Epiſcopum Hieropolitanum, & S. Hypolitum Martyrem. Chronicon Paſchale, Heraclio imperante confectum, eorum ad nos teſtimonia traduxit: & quidem in Tractatibus de Paſchate, contra Hæreticos Quartodecimanos conſcriptis, Patres iſti rem ea accuratione, quam controverſia flagitabat, excutientes, teſtantur & probant, Jeſum Chriſtum extremo vitæ ſuæ anno Agnum Paſchalem comedere non potuiſſe.

Clemens Alexandrinus, temporibus Apoſtolicis proximus, aſſerit, Salvatorem noſtrum, cum aliis vitæ ſuæ annis Paſcha manducaſſet, ultimo anno ſemetipſum, tanquam verum Paſcha, immolaſſe: curaſſe illum profecto, ut omnia præſto eſſent primo die Azymorum, cum ei dixerunt Diſcipuli: *Ubi vis, paremus tibi comedere Paſcha*; at S. Joannem planum

num facere, Paſcha ab ipſo minime celebratum fuiſſe, eumque Judæos mactaſſe, antequam illud edere poſſet: mortemque appetiiſſe, qua hora Agnus Chriſti figura immolandus erat: huic demum opinioni Scripturam addere vim, atque in illam Evangeliſtas omnes conſpirare. Subjungit pariter, figuras quoque ad veritatem perductas eſſe tempore ad Reſurrectionem delecto; quandoquidem Chriſtus e mortuis ad vitam reddiit eodem die, quo jubebat Lex Summis Sacerdotibus, ut novæ ſegetis primitias offerrent.

S. Apollinaris in quodam de Paſchate Tractatu ſcribit, aliquos imperitos auſos affirmare, Chriſtum Jeſum in pervigilio Mortis ſuæ cœnam comediſſe, quartodecimo menſis Paſchalis die, atque in Cruce pependiſſe ſolemni die Azymorum: hos inniti autoritate Matthæi, ſed interpretationem, ab ipſis huic Evangeliſtæ adhibitam, Legi atque Evangeliis opponi. Alio item ejuſdem Tractationis loco inquit, Filium Dei magnum veri Paſchatis Sacrificium obtuliſſe, quartadecima menſis ad Paſcha præſtituti, immolatum pro Agno, ab ipſo comedendo.

Sanctus Hypolitus, e quo ſuperius retuli loeum, S. Lucam explicantem, reſpondet directo cuidam Hæretico Quartodeeimano: *Video ergo in quo diſſidium conſiſtat: ſic enim ait: Fecit Paſcha Chriſtus hac die, ideo neceſſe eſt ut eodem modo faciam, quo fecit Dominus. Verum fallitur, cum non advertat, illo quo paſsus eſt tempore, non manducaſse Chriſtum legale Paſcha. Erat enim ipſe Paſcha, quod prænuntiatum fuerat, ac hora ſtatuta completum fuit.*

Cum autem nequeant adverſarii mei teſtimonia hæc tam aperta & gravia dilucre, ad turpiſſimam omnium fugam ſe recipiunt, Autoremque Chronici Paſchalis ſine ulla ratione vel rationis ſpecie perinde accuſant, ac ſi illa confinxerit. Tu ſane plumbeum hunc, opinor, pugionem minime diſtringes, tu, inquam, flagellum impudentium Criticorum, qui prudentes adeo regulas, circumſcribendis eorum conjecturis, condidiſti. At enim Chronicon Paſchale, ajunt adverſarii mei, erroribus ſcatet. Nunquid igitur conſequens eſt, Autorem non dubitaſſe conſuere loca Autorum notiſſimorum, qui omnium manibus terebantur? neque enim ignorare potes, mi Pater, Tractatus hoſce, quos laudat, ab aliis quoque Scriptoribus laudari.

Jam vero tu ipſe cauſſaris, Autorem hunc inducere S. Petrum Martyrem, Patriarcham Alexandrinum, eirantem S. Athanaſium Succeſſorem ſuum. Quæ exprobratio ſatis eſſe videtur adverſariis meis, ut de ipſius autoritate triumphum eanant: quaſi vero imperitia cum bona fide ſtare non poſſit. Minime vero, Pater mi: longe admodum diſtant inter ſe falli, & fallere velle. At quid? Hæc ipſa exprobratio inepta eſt. Lege diligenter

imperfectam hanc de Paſchate Tractationem ; planeque cognoſces , quicquid ejus ætatem evaſit, incipere ab excerptis nonnullis S. Petri Alexandrini Patriarchæ & Martyris, in quibus probat, Judæos nullo modo aptos fuiſse de tempore Paſchatis celebrandi ad tempus uſque Redemtoris noſtri.

Autor Tractatus citat ſubinde S. Athanaſium ; at magni hujus Doctoris teſtimonium ab alio deceſſoris ſui diviſum eſt : quod aperte deprehendes , ſi modo illud continenter legas . Non licet igitur extenuare autoritatem clariſſimorum locorum Clementis Alexandrini, S. Apollinaris, & S. Hypoliti : ratumque & conſtans eſt, meam de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate ſententiam vetuſtiorem eſſe in Eccleſia , quam ſit ſententia vulgata . Tres Doctores iſti antiquiores Origene ſunt ; plerique Patrum nihil dicunt, ex quo compertum fiat, eos a me aliter ſenſiſſe : ii demum ipſi , qui pro ajente parte ſuffragium tulerunt , principia ſtatuunt , & quædam explicant Bibliorum verba eo pacto , ut cenſere poſſimus , illos a ſententia receſſiſſe , vel receſſuros fuiſſe , ſi quæſtionem hanc enucleare per opportunitatem potuiſſent.

Refellitur argumentum a Concilio Tridentino petitum :

Antequam reſpondeo , ſcire vellem ab iis , qui tantopere illud magnificant, quid inde conficere intendant . Putant ne , Concilium decreviſſe , Paſcha vetus a Chriſto Domino pridie mortis ſuæ celebratum fuiſſe ? Volunt ne, id eſſe credendum ? quo autem fundamento ? Quæſtio hæc fuit ne unquam in eo Concilio agitata ? Ulla ne eſt illi ſocietas cum erroribus Calvini & Lutheri, adverſus quos Synodus coacta fuit ? Sed neque Canon hic eſt Concilii , vel neceſſaria declaratio Doctrinæ in ullo Canone comprehenſæ : immo dictio quædam , eo loci ab illis poſita , quibus cura demandata fuerat , ſcriptis tradendi Decreta ; dictio , inquam minoris momenti a Patribus habita , cuique nulla erat cum Fidei Sanctionibus , eo capite explicatis, neceſſaria cognatio . Quæ quidem non profero mente duntaxat mea, ſed communi Theologorum doctrina : cum in re huic plane ſimili ita pronunciaverint Suarezius , Valentia , & Cajetanus , quorum autoritatem adverſarii mei non explodunt .

Angelorum natura corporis expers , cum hoc adſpectabili mundo e nihilo effecta legitur in Decretis quarti Concilii Lateranenſis , tam ſaltem perſpicue, quam ſententia meæ oppoſita in Concilio Tridentino: atque adeo multo majoris gravitatis eſt Dogma , natura Angelorum incorporea, quam ſit Factum huic diſputationi propoſitum ; & tamen San-

cti

Al Thomas & Bonaventura, licet paullo poſt idem Concilium quartum Lateranenſe ſcriberent, diſerte tradunt, neutrum ex his capitibus ad Fidem pertinere. Suarezii autem ratio, qua id confirmat, animadverſione digna eſt. *Veritas hæc non eſt de Fide*, inquit: *Ratio eſt, quia Concilium non ex inſtituto ad id definiendum, ſed obiter, & quaſi aliud agens id dixit*. Urget ulterius Vaſquezius, contenditque, Concilium ea ratione affirmans, Angelos cum hoc ſpectabili mundo conditos e nihilo fuiſſe, opinionem hanc certam non reddidiſſe, ſed, ut magis, probabiliorem, quam antea fuerit: cum hæc controverſia ex iis non eſſet, quas tum definire Eccleſia voluerit. Non me præterit, Ferraram ſentire, enunciationes haſce ad Fidem ſpectare: at non magis audita fuit hæc ejus deciſio, quam audietur alia Suarezii, & Iſamberti ejus excriptoris tantum, ab ipſis in ſententiam noſtram pronunciata. Eorum certe autoritas major non eſt, nec pluris facienda, quam S. Thomæ, qui quamvis Fidei articulum appellet, Angelos Corpora cœleſtia movere, hic tamen falſo creditus articulus communi omnium conſenſione rejicitur.

Id pariter ſibi libere ſumſerunt Eruditi, ut negarent Factum perſpicue teſtatum in Decretis Concilii Generalis, & cujus veritas propius res decernendas attingebat, quam in præſenti. Inter teſtimonia, pro Imaginibus in Secunda Synodo Nycena producta, laudatur Hiſtoria cujuſdam Crucifixi, dire a Judæis violati Beryti in Phœnicia, quam citant nomine Magni Athanaſii: interea tamen Litterati omnes uno ore Opus hoc abjudicant ab Athanaſio; & Baronius ipſe aliis religioſior; nihil minus aperte, quam ceteri, id inficiatur.

Opinio a me propugnata eodem utetur fato, atque inventio Deeherii, Societatis noſtræ, de anno nativitatis Jeſu Chriſti. Quamvis pro illa nullus Sanctorum Patrum afferri poſſit, communi tamen Sapientum plauſu nunc recepta eſt; atque eam Romæ, annuentibus ad quos attinet, ediderunt Cl. Sarnellus, doctus Schelſtratus, & Millinus. Atque id tandem aſſecutæ ſunt acerrimæ declamationes Labbei & Grandami pro vulgata opinione, ex qua Fidei caput Beda conflaverat. Qua de re Senechalus, eruditiſſimus Jeſuita Belgicus, in egregio Opere de annis Jeſu Chriſti, dure admodum Grandami ſententiam refellit, eumque ſatis jocoſe ludit de Epiſtola nuncupatoria ad Pontificem; in qua ab illo Deeherianæ opinionis damnationem expoſcit.

Quæ cum ita ſint; unum reliquum duntaxat in ſententiam meam argumentum eſt, quod audentium animos tantiſper afficere poſſit. Ajunt etenim, hanc Græcis favere quoad uſum Myſteria divina in fermentato pane celebrandi. Lamius eruditiſſime oſtendit, Chriſtum Dominum, Euchariſtiam inſtituentem, Azymis uſum fuiſſe; & conſuetu-

di-

dinem, Legem explicantem, Judæos coegiſſe, ut iis ab incœpta decimaquarta Luna uterentur. Quid quod, licet etiam Græcis ſuffragaretur placitum a me probatum, falſum ne propterea eſſet, & abjiciendum? Minime gentium. Non eſt veritas ejuranda, ut mendacium evertamus. Multa quidem ſupererunt argumenta ad Græcos imprudentiæ redarguendos, qua Eccleſiæ Latinæ morem condemnant. Tandem Cardinalis Bonæ & Patris Sirmondi Volumina doctrinam Græcis faventem complectuntur. Nunquid propterea damnata ſunt? Non non: Roma, æquiſſima ſemper judex, Maecdum ſolum, ipſorum calumniatorem damnavit.

Vides itaque, mi Pater Reverende, momenta mea a Lamianis longe diſerre, neque eandem penitus eſſe eauſſam noſtram. Non diffiteor tamen, ſententiam meam ipſi non parum debere, quam diſquiſitionibus eruditiſſimis illuſtravit, & propterea Rabbinorum ſcripta ſcrutatus eſt. Quod mea fuit, viam compendiariam ingreſſus ſum; quamvis exiſtimem, autoritatem Rabbinorum, a Lamio in teſtimonium vocatam, recipiendam eſſe; & cavillari eum, qui nolit ipſis fidem adhibere de ceremoniis, partim a majoribus ſuis, partim a ſemetipſis inſtitutis, & occulatis ceremoniarum iſtarum teſtibus opponat conjecturas de repugnantia rei.

Ego vero ſatis habeo, objeciſſe clara Evangelii loca interpretationibus longe petitis; Origeni Patres Origene vetuſtiores, atque illis, qui controverſia haud expenſa, ipſum ſectati ſunt; Tractatus tandem de quæſtione hac accuratos elaboratoſque Homiliis atque Epiſtolis: neque poſt hæc opus eſt mihi, ut ad Rabbinos confugiam.

RE-

RESPONSIO

R. P. F. HONORATI A S. MARIA

AD EPISTOLAM TOURNEMINI.

Super controverſia: Utrum Chriſtus Dominus poſtremo Vitæ ſuæ anno Agnum Paſchalem comederit.

DIſſertatio noſtra, mi Reverende Pater, e prælo ſubducta jam fuerat, eum accepi eruditam Epiſtolam tuam; quo factum eſt, ut eam in hac tantummodo Tomi calce collocare poſſem. Quoniam vero opinionem de poſtremo Paſchate tuam amplexus es, antequam in vulgus prodiret Harmonia Lamii, vel quidpiam de ipſius ſenſis ſcriptiſque cognoſceres, mirum non eſt, te viam plane & rationem ab ipſo diverſam iniviſſe. Interea tamen præclara animi moderatione fateris, ſententiam tuam non parum huic Oratorii Presbytero debere; cum citius addere potuiſſes, te ſuam novis argumentis, quæ ipſum fugerant, confirmaſſe. Quod ſi hanc ille controverſiam, ut aſſeris, diſquiſitionibus eruditiſſimis illuſtravit, & Rabbinorum ſcripta ſcrutatus eſt; verendum fortaſſe erit, quin eadem hæc eruditio, tot voluminibus reſperſa, anſam dederit adverſariis ejus ad eum reprehendendum, & Rabbinorum uſus nocuerit opinioni ſuæ, ut pote fultæ principio tam ruinoſo. At tu quidem, alia incedens **ſemita, ſcopulum hunc declinaſti. Intereſt**, Evangeliſtas ſuper hoc facto conciliare: *Utrum Jeſus Chriſtus die Jovis ante Mortem ſuam Agnum Paſcalem comederit*. Quod tutius præſtare nemo poterit, quam ipſa eorum verba penſitando, idque tu præſtitiſti ratione quidem perbrevi & circumſcripta, ac nihilo propterea minoris virtutis ac firmitatis.

Contra ego ratus, controverſiam hanc dirimi non poſſe ſacro contextu ſecundum utriuſque partis explicationem, adhæſi in Diſſertatione mea Eccleſiaſticorum Patrum Traditioni, nec ſollicitus fui Evangeliſtarum loca diſcutiendi. Species illa repugnantiæ, quam inter ſe præſeferre videntur, non obſuit, quominus ſemper omnes putarent, ſe perſpicue legere apud Sanctos Matthæum, Marcum, & Lucam, tanquam claram veritatem atque inconcuſſam, Jeſum Chriſtum comediſſe in Mortis pervigilio Agnum Paſchalem. Multitudo Græcorum & Latinorum Patrum, qui ſunt germani & fideles Scripturarum Interpretes, ab hac ſententia fuerunt; & mihi videor, eam poſſe rationibus validiſſimis fulciri.

Ni

Nihil horum te latet, mi Pater Reverende ; at nihilominus ad quatuor Evangeliſtas appellas . Tibi ſuppeditant , inquis, conſtantes probationes de Paſchate Legis , a Chriſto Domino , pridie quam mortem ſubiret , minime celebrato . Immo fidenter affirmas, eos dicere, Chriſtum haud Paſcha comediſſe ; atque adverſarios tuos , utram ſequantur, partem ſemper ab Evangeliſtis repugnantem tueri . Quod prima Epiſtolæ parte ſtatuere conatus es.

Si libet itaque, ſuper hoc eapite quaſdam animadverſiones meas recitabo , ex quibus pronuneiare poteris , num momenta tua ſatis firma ſint ad communem opinionem ſubvertendam ; atque an tua Evangeliſtas explicet accommodatius , quam eos explicet Traditio . Altera Epiſtolæ parte ſententiam tuam munis nonnullorum Veterum Patrum teſtimonio. Poſtrema tandem , occurrens loco cuidam Concilii Tridentini , retundis prudenter intemperantes Theologos illos , qui e Factis hiſtoricis Fidei capita eliciunt . De quibus duobus ultimis Scripti tui capitibus , pauca habeo quæ ſubtexam poſt ea , quæ in Diſſertatione de Paſchate collegi.

(*a*) *Feria ſexta, qua Chriſtus obiit, erat Paraſceve Paſchæ.*] Quælibet feria ſexta appellabatur *Paraſceve* , dies nimirum , quo omnia ad Sabbatum celebrandum paranda erant . Joannes autem eam Feriam ſextam , qua Chriſtus neci datus eſt, vocat *Paraſceve Paſchæ*, ut ſignificet tantummodo diem Veneris, qui eo anno in magnam Paſchatis ſolemnitatem incidebat . Iam paſſim omnes interpretantur, & profecto ad S. Joannis mentem accommodatiſſime . 1. Quia non apparet in Sanctis Bibliis , ullum fuiſſe diem parando Paſchati vel alio Feſto addictum ; & dies tantummodo cum Sabbati, tum Expiationis Templi *Paraſceven* habebant. 2. Quia Sancti Marcus & Lucas vocem *Paraſceves* eodem intellectu ſumunt . *Et cum iam ſero eſſet factum*, ait D. Marcus , *quia erat Paraſceve , quod eſt ante Sabbatum*. Et D. Lucas : *Et dies erat Paraſceves , & Sabbatum illuceſcebat* . 3. Quia ipſe Sanctus Joannes docet , *Paraſceven Paſchæ* nihil indicare, niſi Sabbati præparationem. *Judæi ergo, quoniam Paraſceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato* ; & poſt pauca : *Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum.*

Marci 17. 42. *Lucæ* 23. 54. *Joann.* 19. 31. *Ibid.* 42.

(*b*) *Dies ante Feſtum ſolemne Azymorum*. Audi locum S. Joannis: *Judæi ergo, quoniam Paraſceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato; erat enim magnus dies ille Sabbati* .] Joannes ergo Sabbatum hoc appellat magnum diem Sabbati, vel diem magni Sabbati, quod cum magna Paſchatis celebritate concurreret. Lamius ſane vim omnem in eo ponit, ut probet, *Sabbatum* hoc loci Feſtum ſignificare . Verum ubi nam reperis in Univerſis Bibliis , *magnum diem illum Sabbati* Feſtum Azymorum ſolemne indicaſſe ? Quiſnam Græcus vel Latinus Pater verba Apoſtoli hoc

pa-

pacto detorſit ? Qua ratione id probas ? Hæc explicatio nullo alio nititur fundamento, niſi poſitione illa, Sabbatum fuiſſe Feſtum ſolemne Azymorum. At in hoc ipſo vertitur cardo difficultatis. Cum itaque id in S. Joannis verbis expreſſum non ſit, æquiſſima videtur adhibita a nobis interpretatio, & conſentanea locis aliis a nobis allatis, quæque Evangeliſtam hunc ſibi ipſi conſtare faciat, & eum Marco & Luca componat, qui huic Sabbato nullam peculiarem tribuunt ſolemnitatem. Timor Judæorum, ne remanerent in Cruce corpora Sabbato, argumentum eſt obſequii ipſorum erga Sabbatum hoc, quia inter Paſchalia Feſta occurrebat, non quia Sabbatum iſtud ſolemne Feſtum Azymorum eſſet. Etſi etenim Sabbatum hoc Paſchale Sabbatum non fuiſſet, non tamen corpora in Cruce ſuſpenſa reliquiſſent, jubente Lege, ut qui agebantur in Crucem, eodem die humi traderentur. *Deut.* 21. v. 23.

(c) *Dies, quo unus e vinctis in libertatem a Præſide Romano vindicabatur.*] Id fieri poterat aliquo Feſti ſolemnis die. Putat quoque D. Auguſtinus, cum Judæi ſub idem tempus dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquam*, propterea dixiſſe, quia *Dies agi cæperant Azymorum*; additque, non ingreſſos ad Pilatum *propter diei Feſtivitatem, quam celebrare jam cæperant*. Vinctus quidam ſolvendus erat in Feſto Paſchatis: *ut unum dimittam vobis in Paſcha*. Feſtum Azymorum per tres Evangeliſtas incæptum erat Veſpere diei Jovis; oportebat igitur, mane diei Veneris, Feſtum eſſe ſolemne Azymorum. At enim reponet quis, hoc die Judæi acceſſerunt ad Prætorium, Jeſu Chriſti mortem, & Barabbæ libertatem a Pilato poſtularunt: quæ plane non feciſſent, ſi dies Veneris ſolemnis Azymorum dies fuiſſet. Ceterum accepimus a Joſepho, cautum fuiſſe Auguſti atque Agrippæ Decretis, ne quiſpiam cogeret Judæos, vadimonium obire diebus Sabbati, & tribus poſtremis Feriæ ſextæ horis; in aliis vero diebus id licuiſſe. Ejus quoque Hiſtoria, qui ligna collegerat in die Sabbati, indicio eſt, Feſta non prohibuiſſe, quin res capitales in negotio Religionis cognoſcerentur. Tandem cum Judæi ſtatuerunt, non interficere Chriſtum in die Feſto, non id protulerunt, quod facinus hoc adverſaretur reverentiæ ſolemnitati deferendæ, ſed tantummodo *ne tumultus fieret in populo*. *Aug. in Joann. hom.* 114. *Joſeph. Ant. l.* 16 *c.* 10. *Num.* 15. 5. *Matth.* 26.

(d) *Hoc loci neminem poſſe a communi Patrum explicatione recedere.*] Tametſi etiam verum eſſet, Salvatorem noſtrum morti traditum fuiſſe in die præparationis ad Paſcha, quique Feſtum Azymorum ſolemne præceſſerit; non tamen propugnare quis poterit, hanc eſſe communem Patrum explicationem; quandoquidem communis Patrum Græcorum & Latinorum opinio fert, Jeſum Chriſtum Feria quinta ante mortem ſuam Paſcha Legis celebraſſe. Patres igitur iſti S. Joannem interpretari nequi-

verunt ea, qua contendit Harduinus, ratione; adeoque hujus eruditio hac in re non magnopere elucet.

(e) *Interpretum clariſſimi in veſtigiis hærentes Sanctorum Patrum.*] Si Interpretes, ita exiſtimantes, ut exiſtimaſſe creduntur, decepti ſunt, non iccirco factum eſt, quia in veſtigiis hæſerint Sanctorum Patrum, ſed quia nulla cogente neceſſitate a Traditione receſſerint. Nunquid non plerique utriuſque (Græcæ & Latinæ) Eccleſiæ Patres hæc Joannis loca explanarunt, quin ad Interpretum poſtremorum ſæculorum poſitionem confugerent?

(f) *Nullus ex Evangeliſtis reipſa affirmat, Chriſtum Dominum manducaſſe Agnum Paſchalem.*] An ne aliquis Evangeliſta affirmat contra, Chriſtum eo anno minime Paſchale Agnum manducaſſe? Nullus ex Evangeliſtis reipſa dicit, Salvatorem noſtrum ceteris annis Paſcha celebraſſe: Eſſet nefas inde colligere, illum nunquam Paſcha peregiſſe?

(g) *Aiunt quidem, eum delegiſſe domum, in qua comederet,*] nimirum Agnum Paſchalem, vel Paſcha. Paſchæ nomen apud Scriptores Sacros latiſſimo accipitur intellectu, & multa ſignificat, præſertim duo, quæ noſtra interſunt: videlicet vel cœnam Agni Paſchalis, ut vulgatæ opinionis Autoribus placet; vel Paſchatis præparationem, ſcilicet locum, in quo fieret, victimæ emtionem, immolationem, fermentati panis perveſtigationem; quidquid demum ad hanc ſolemnitatem neceſſarium erat. Atque hac ratione, niſi fallor, interpretas, mi Reverende Pater, verba hæc, quibus juſſit Chriſtus Diſcipulis, *ut omnia huic ſolemnitati neceſſaria pararent.* Ut autem cognoſcamus, uter ex his ſenſibus magis Evangelio reſpondeat; huc revocare operæ pretium erit, quæ de hac Paſchatis præparatione tradunt Matthæus, Marcus, & Lucas.

Luca 22. v. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Audiamus conſeſtim Lucam a te memoratum. *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Hæc igitur dies erat Paſchæ Legalis, immolationis Agni, atque Azymorum. *Et miſit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus.* Hic pariter Agnum intelligit, ſi verba illa, *ut manducemus*, animadvertas. *At illi dixerunt: Ubi vis paremus? .... Dicit tibi magiſter: ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? .... ibi parate. Euntes autem invenerunt ſicut dixit illis, & paraverunt Paſcha:* hoc eſt Agnum, & quidquid ejus eſui neceſſarium erat.

Matth. c. 26. 17. 18. 19. Matthæus de Paſchate loquitur eodem ſenſu. *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? .... apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis .... & paraverunt Paſcha.*

Marci c. 14. v. 12. 14. 15. 16. Marcus eiſdem dictionibus utitur. *Primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha? .... Ubi eſt refectio mea? ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? .... illic parate nobis, & paraverunt Paſcha.*

ſcha. Si dictiones hæ omnes nihil aliud ſignificant, niſi paraſſe Apoſtolos ea, quæ huic ceremoniæ neceſſaria erant, non autem Agnum Paſchalem; qui congruet explicatio hæc verbis Sanctorum Marci & Lucæ: *Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*? Hic igitur dies erat Paſchatis immolandi, atque hi apparatus uſum habere non poterant pro veſpere diei inſequentis? Porro ex Legis imperio Agnus Paſchalis comedendus erat paucis poſt jugulum horis, atque adeo Veſpere eodem. Quare Paſcha parare, in omnibus Evangeliſtarum iſtorum locis ſenſum non edit de ſimplici præparatione rerum, ad Paſchæ ceremoniam ſpectantium, quod in diem poſterum edendum eſſet; ſed de præparatione Agni Paſchalis, in quem ſponte ſua tendunt dicta omnia trium Evangeliſtarum.

(*h*) *At enim, inquies, legimus apud Lucam, cum facta eſſet hora &c.*] An non id perſpicue monent verba Evangeliſtarum? Ajunt, eum diem fuiſſe, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, Jeſum Chriſtum Apoſtolis juſſiſſe, ut pararent quæ ad illud edendum neceſſitatem habebant. Id inſtruunt, & *cum facta eſſet hora diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo*. Nonne fluit inde per ſeſe, diſcubuiſſe illum, ut comederet quæ parata erant. Quoniam itaque nihil paratum, niſi quod ad Paſcha comedendum attinebat, qui mente reputabis, Salvatorem diſcubuiſſe, ut aliis rebus præter Paſcha veſceretur, cum dies eſſet ejus immolandi & manducandi? Quamobrem jure & merito contendo, Jeſum Chriſtum accubuiſſe, ut Paſcha ab Apoſtolis juſſu ſuo paratum comederet: quod contendo ſuper Traditione conſtanti Patrum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ, qui diſerte aſſerunt, Chriſtum in mortis ſuæ pervigilio Paſcha celebraſſe.

(*i*) *Aſt ego ex adverſo contendam &c.*] Non probas tamen quare id contendas; probandum nanque erat, tot Paſchatis apparatus cœnæ tantummodo deſerviſſe. Atqui cum dixiſſet Lucas inſtructum ab Apoſtolis Paſcha, ſubdit e veſtigio: *Cum facta eſſet hora, diſcubuit*. Nonne magis in rem eſt credere, eum recubuiſſe, ut quæ apparata erant comederet, quam ut communem cœnam, de qua nulla fit mentio? Sanctus Matthæus, & S. Marcus non abſimilibus id efferunt verbis: *Paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto, diſcumbebat.*

(*k*) *Sanctus Lucas indicare tantummodo voluit horam Euchariſtiæ inſtituendæ.*] Qui vero fieri poterit, S. Lucam voluiſſe indicare Chriſtum pro inſtituenda Euchariſtia diſcumbentem; quandoquidem tum omnia, quæ antea dixerat, tum quæ ſubſecutus eſt, ut videbimus, ad Paſcha Legis referuntur? Interea conſidero, SS. Matthæum & Marcum poſt hæc: *Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim, & edentibus illis &c.* *Matth. 26. 21. Marci 14. 18.*

utrumque Evangelistam loqui de proditione Judæ; atque, interjectis versiculis aliquibus, subjungere: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus Panem, & benedixit &c.* atque aperte Paschatis ceremoniam ab Eucharistiæ Institutione distinguere. Cum ergo Pascha præcesserit, liquido fit, S. Lucam dicentem: *cum facta esset hora, discubuit &c.* comestionis Agni Paschalis, citius quam Eucharisticæ institutionis horam designasse.

(*l*) *Evangelistæ non asserunt, Christum Dominum comedisse Agnum Paschalem &c.*] Hoc loci in animum induceis, ut ostendas, Jesum non comedisse Agnum Paschalem; idque duabus enunciationibus constitu¡s. Prima quidem, Jesum Christum e vivis migrasse Iub finem quartidecimi diei mensis Paschalis, qua hora Pascha celebrandum erat: unde hanc consecutionem eruis, alterius loco enunciationis: *Non potuit ergo illud comedere*. Consecutio legitima est, principium non item; cum totius controversiæ caput sit. *Quartusdecimus*, inquis, *dies mensis Paschalis claudebatur Vespere Feriæ sextæ*. Hic profecto status quæstionis est, utrum dies quartusdecimus mensis primi esset eo anno Vespere Feriæ quintæ. Id autem, quod posuisti, in hunc modum confirmas.

(*m*) *Id a Sanctis Luca & Marco didicimus, &c.*] An non ex iisdem verbis a te laudatis consecutio duci posset, tuæ consecutioni apprime repugnans? Si prima Azymorum dies incipiebat die Jovis, opus erat pariter, Vesperam diei Jovis initium esse Lunæ XV. mensis Paschalis; separari nanque non poterat quintadecima hujus Lunæ dies, & prima Azymorum. S. Augustinus palam edicit, incæpisse Azymos ab Agni comestione, atque a Luna quintadecima; adeoque nullo fieri modo potest, Vesperam Feriæ sextæ fuisse Lunam quartamdecimam, in qua Agnus Paschalis immolandus erat. Porro secundum explicationem tuam verbis Marci & Lucæ, Feria quinta misit Jesus Apostolos, paratum omnia pro Paschate, quo die immolari debebat, & primo die Azymorum, qui eodem Vespere incipiebat. Potuit itaque Jesus Christus Pascha comedere, immo comedit. Argumentum instauramus. Per te, mi Reverende Pater, Apostoli paraverunt Pascha die Jovis post meridiem: Per te hic erat dies, quo immolabatur: Per te dies primus Azymorum erat: Per te dies solemnes apud Judæos Vespere incipiebant: Per te primus Azymorum dies cœpit Feriæ V. sexta hora vespertina; adeoque primus Azymorum dies cœperat Feria quinta, qua immolandum & manducandum Pascha erat; & Feria VI. solemne Festum Azymorum erat? Quid ad hæc obesse potuit, ne Jesus Christus Pascha celebraret?

De cons. Evang. l. 2. c. 9. n. 23.

(*n*) *Apparatus Discipulis tantum usui fuit*.] Duo præcipue complectebantur apparatus isti: domum a fermentato purgare; atque Agnum Paschalem immolare. Ecur autem opus erat, Apostolos domum a fermen-

mentato mundare Veſpere diei Jovis, ſi licebat illum edere uſque ad Veneris meridiem, poſito per te, diem quartodecimum menſis Paſchalis non deſiiſſe niſi veſpere diei Veneris? Neceſſe erit, mi Pater Reverende, ut me erudias, ubi nam repereris, Agnum immolandum fuiſſe vigintiquatuor ſaltem, antequam comederetur, horis? Ego ſane mihi videor legiſſe, ritum hunc fieri ſolitum paucis ante cœnam horis, in qua Agnum manducabant. Atqui ſi apparatus Diſcipulis tantum uſui fuerunt, dicendum erit, eos Veſpere diei Jovis Agnum immolaſſe, qui eo die ex D. Luca immolandus erat: *Dies, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. Verba hæc, non ſecus atque alia: *Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus: Ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem? Paraverunt Paſcha. Cum facta eſſet hora*. Hæc omnia, inquam, verba poſſunt ne objicere animo, tot apparatus Diſcipulis tantum uſui fuiſſe Veſpere Feriæ VI. eoſque tum Agnum Paſchatis comediſſe, quem Feriæ V. veſpere immolaverant?

(o) *Ipſe prædixerat, aperteque protulerat, ſe Paſcha non comeſturum &c.*] Cum Divus Lucas ait: *Deſiderio deſideravi &c.* Chriſtus Dominus per te de dupliei Paſcha ſermonem habet; altero quidem, quod deſideravit manducare eum Diſcipulis ſuis, nimirum Euchariſtia, *hoc Paſcha*; altero, ex quo non manducabit amplius, ſcilicet vetus Paſcha, *illud*. Verum ubi Matthæus, Marcus, & Lucas accuratione tanta narraverunt, parata ab Apoſtolis fuiſſe, quæcumque opus erant pro Paſcha Legitimo, Lucas addit continuo: *Cum facta eſſet hora, diſcubuit; & duodecim Apoſtoli cum eo*, & ait illis: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*. De quo Paſcha loquitur Salvator? De illo nempe, quod Apoſtoli paraverant. Voces iſtæ *hoc Paſcha* nonne manifeſto referuntur ad Paſcha Legis, ab Apoſtolis, per Divum Lucam, inſtructum? Qua ratione poteſt *hoc Paſcha* Euchariſtiam deſignare, de qua nondum Lucas verbum ullum fecit? Pronomen *hoc* certe referendum eſt proxime ad id, quod præſens eſt, non vero ad id, quod futurum eſt; ad id quod Apoſtoli vident, quam ad hoc, quod ipſis ignotum eſt. Poterat ne Chriſtus verbo *hoc Paſcha* denotare myſterium Euchariſtiæ, quod necdum ipſis aperuerat? Propterea voces iſtæ *hoc Paſcha* efficiunt evidenter Paſcha Legis, non vero myſticum pretioſi Corporis ſui. Denique verbis iiſdem *hoc Paſcha* nulla ſubjecta ſententia fuiſſet, quod attinet ad Apoſtolos; niſi tum extrinſecus Paſcha iſtud coram ipſis celebraretur. Neque pariter appareret, cur tres Evangeliſtæ deſcripſiſſent nobis ſtudio tanto Paſchatis illius præparationem, quod Salvator & Diſcipuli ſimul recolere non debebant:

licet

licet ille dixerit : *Euntes parate nobis Paſcha , ut manducemus . Ubi eſt diverſorium , ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem* ?

Non renuo , hoc Paſchæ nomine ipſum comprendiſſe quoque Euchariſtiam , ab ſe inſtituendam . At ſenſus hic fundamentum habet in eo cibo , quem exprimebat a ſe , ſpectabili ſpecie , comedendum , cuique nomen Paſchæ apponere poterat , ratione quadam ab ipſis Apoſtolis percepta : atque id ſignifieant Patres , & Interpretes , noſque in controverſiam minime vocamus .

Cum ex Chriſto dicit S. Lucas : *Dico enim vobis , quia ex hoc non manducabo illud* , tu hoc pacto verba iſta detorques . *Dico enim vobis , quia poſthac non manducabo aliud Paſcha* . Neſcio autem , an hæc explicatio optime cum verbis S. Lucæ conveoiat . Vis , pronomen *illud* notare vetus Paſcha , quod Jeſus Chriſtus comedere minime debebat ; interim dum *illud* ſpectat aperte ad idem Paſcha , quod appellaverat *hoc Paſcha* ; atque hoc pacto explicantur paſſim verba iſta : *ex hoc non manducabo illud* ; nimirum , non amplius manducabo , videlicet , ex Paſcha præſenti . Communis nanque ſententia fert , *hoc Paſcha , & illud* ad eandem rem referri ; ita ut , ubi darem ultro tibi atque concederem , verba *hoc Paſcha* monere Euchariſtiam , de eadem intelligendum eſſet etiam *illud* : atque adeo Salvator noſter non de dupliei , ſed de uno tantum Paſchate mentionem facit .

(*p*) *Hoc pacto locum hunc interpretatur S. Hypolitus* .] Tametſi Patris hujus locus incertiſſimus non eſſet , quod tamen oſtendimus * ; nunquid teſtimonium ejus præſtare debet teſtimonio tot celeberrimorum Patrum Græcorum & Latinorum , qui adverſam partem tutati ſunt ? Revoca huc , amabo te , quod dixiſti paullo ante , ſcilicet Jeſum Chriſtum *in extrema cœna exceſſum ſuum prædixiſſe* , atque id compone cum loco Sancti Hypoliti : *Nam qui olim prædicit , quia non adhuc manduco Paſcha* . Si Redemtor noſter mortem ſuam *olim* vaticinatus fuerat , qua ratione id non prædixit , niſi die Cœnæ ? Demum ubi nam legis in Evangelio : *quia non adhuc manduco Paſcha* ?

* *l. 4. Diſſ. 3. art. 6. §. 3.*

(*q*) *Uti pariter poſſem iis , quæ apud Joannem extant , Apoſtolos putaſſe , Judam &c.*] Hæc verba indicant , poſtridie ejus diei Feſtum occurriſſe . Si namque ſolemne Azymorum Feſtum ineœpiſſet poſtero tandem die ad horam ſextam veſpertinam ; quare putaſſent Apoſtoli , Judam egreſſum , ut ea emeret , de quibus ipſis non erat opus , niſi poſt viginti , vel tres ſupra viginti horas , quæque comparare commodius potuiſſet poſtridie mane , quam hora nona vel decima veſpertina , illa nimirum , qua Chriſtus Dominus Judæ in hac cœna locutus eſt .

(*r*) *At-*

(r) *Atque iidem Patres, qui in me ſunt, &c.*] Si Patres, de quibus mentionem habes, loca S. Joannis interpretarentur haud aliter, quam tu; qui perſuaſum ipſis fuiſſet, Chriſtum Dominum Feria V. Paſcha celebraſſe? quandoquidem ſultus Evangeliſtæ illius locis, contendis Jeſum Chriſtum eo anno illud non peregiſſe?

(s) *Oportet ſane, adverſarios meos alterutram partem tueri.*] Exiſtimas itaque, mi Reverende Pater, non poſſe adverſarios tuos ullam partem tueri, quæ Evangeliſtis non repugnet? Nunquid hactenus Traditio Evangeliſtas invicem conciliare non potuit? Novi equidem, operoſam rem iſtam eſſe, haud tamen inextricabilem. Adverſarii tui contendunt, ſe oſtendiſſe, omnia Evangeliſtarum loca eodem recidere; & mordicus propugnant, id non eſſe expeditum adeo in opinione tua, immo te perfecte præſtare non poſſe, ut inter Sanctum Joannem, alioſque Evangeliſtas conveniat. Vides quam diverſa quiſque præſumat! Una eſt via, qua inter illos congruat, ad Judicem nulli affectum vel infenſum appellare. Hic alius non eſt, quam conſtans Eccleſiæ Traditio. Si namque utraque pars jactat, adverſarios ſuos non poſſe præſtare, ut inter Evangeliſtas conveniat; expendere opus eſt, quanam eos ratione Traditio intellexerit tot ſæculis ante, quam nova opinio oriretur. Id porro efficere curavi tota Diſſertatione tertia; ſimul atque palam feci, controverſiam hanc dirimi nullo modo poſſe ex verbis ipſis Evangelii ſecundum alterutrius partis interpretationem.

Quoniam vero eo loci ſatis aperui ſententiam meam de teſtimoniis Patrum, in Proœmio Chronici Paſchalis citatis, propterea neceſſe non eſt eandem rem rurſus agere; donec in medium non afferantur nova argumenta, quæ Excerptorum illorum authenticam veritatem ſartam tectamque ſervent, vel objecta ea de re mea concluſe refellant.

Ajo ego quoque, & confirmo, mi Reverende Pater, Concilium Tridentinum non definiviſſe Controverſiam iſtam; licet ab eo magnum opinioni communi pondus accedat. Confeſſus pariter ſum, non deeſſe novæ opinioni aliquam veritatis ſpeciem, & quæſtionem hanc neque ad Fidem, neque ad bonos mores ſpectare; quoniam Litteratos Viros, qui eam nuperis diebus contentione tanta agitarunt, eam cenſuiſſe compertum eſt inſtar hiſtorici Facti, de quo, inviolata Religione, in varias partes diſtrahi poſſent; ac mihi quidem, non ſecus atque tibi diſplicent Theologi illi, qui ex rebus tantummodo Criticis capita Fidei conficiunt.

Expliciunt Epiſtolæ.

TABU-

TABULA
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

Agarus Rex Edeſſenorum quare vocetur hoc nomine, 273. Ejus Epiſtola ad Jeſum Chriſtum, ejuſque reſponſum. *ibidem*. Auctores de his perhibentes, 275. 277. 280. 284. Jeſus Chriſtus ad eum miſit imaginem ſuam, 287. 289. 291.

Abracadabra. Hac voce Baſilidienſes inſtar Phylacterii utebantur. 449

Abraſax, legitur ſub Imagine S. Faciei Monſtrolienſis, 448. & ſeq. Myſteria, quæ hac voce complectuntur, *ibid.* inſculpta eſt in veteribus gemmis multis. 449. & ſeq.

Accuratio Cenſorum Breviarii Pariſienſis & Senonenſis. 63. 65. & ſeq.

Adorare quid ſignificet. 228

Adoratio duplex, 218. & ſeq. Adoratio Magorum duo complectitur, 225. Hæc eorundem erga Chriſtum Deum ad Fidem ſpectat, 237. 240. Deſcendit ab Apoſtolorum Traditione, 239. argumenta ſupremæ hujus adorationis. 241. & ſeq.

Adrianus Papa meminit de Epiſtola Jeſu Chriſti ad Abgarum. 288

Ægyptiorum Traditiones de puero Jeſu. 260. & ſeq.

SS. Agoardi & Agliberti Acta carent auctoritate ſecundum Bailletum. 72

Ayſtulfus Rex Longobardorum Romam depopulatur. 444

Alcuinus ait, ætate ſua univerſam Eccleſiam ſolitam ſacra facere in pane azymo, 391. & ſeq. & S. Joannem collegiſſe Hymnum, ſive Canticum Jeſu Chriſti, quem cecinit poſt myſticam cœnam. 435. & ſeq.

S. Alexander I. Papa primus eſt, qui juſſerit uſum panis Azymi in Eccleſia Latina. 358

Alexander IV. imperavit, ut argenti vis diſtribueretur Canonicis, qui S. Faciem deferrent in ſupplicatione Dominicæ primæ poſt Epiphaniam. 445

Alexander quomodo ſe expediat ab autoritate Breviarii Romani, 36, 61, ejus opinio de Carminibus Sibyllarum, 238. & ſeq. de Homiliis S. Gregorii Neocæſareenſis, quæ producuntur in Feſto Annunciationis, 170. qui explicet vocem *Apocryphum* in Decreto Gelaſii de Epiſtola Jeſu Chriſti ad Abgarum, 280. & ſeq. Objecta ejus in Epiſtolam iſtam, 283. contendit adverſus Græcos Jeſum Chriſtum pane azymo uſum ad Euchariſtiam inſtituendam. 401

Alemmanio fabulam olent quæcunque feruntur de veſtibus Apoſtolorum ad Sacra myſteria adhibitis. 419

S. Almachii Actis Martyrii probatur antiquitas Feſti Circumciſionis. 192

Altare erectum in Capitolio Unigenito Dei, 164. ante ſæculum VIII. Reliquiæ non locabantur ſuper Altare. 374

S. Ambroſius narrat, Tyrannos oſſa Chriſtianorum oſſibus permixta Judæorum tumulaſſe, 10. Eccleſia in Officio Annunciationis recitat quandam ex ejus Homiliis, in qua extollit beneficia, Deiparæ eo die collata, 171. Quare ſcribat, Chriſtianos primo anni die jejunare conſueviſſe, 197. ejus opinio de muneribus Magorum, 220. Ait, Chriſtum baptiſma ſuſcipere voluiſſe, ut Jordanis undas ſanctas efficeret, 265. videtur credidiſſe, Hemorroiſſam non differre a Martha ſorore Magdalenæ & Lazari, 295. contendit, Jeſum Chriſtum comediſſe Agnum Paſchalem in mortis pervigilio, 308. Sirmondus utitur aliquibus ejus verbis ad oppugnandum Azymorum morem, 361. gerebat Mitram, 426. primus non eſt Hymnorum Scriptor. 439. & ſeq.

Amelotius inquit, opinionem eorum, qui volunt, *Pœnulam* S. Pauli veſtem fuiſſe Sacram, non multum Eruditis probari. 422. Hymnumque Jeſu Chriſti in ultima cœna fuiſſe preces quaſdam a Judæis ſervatas. 434

Ammianus Marcellinus autor eſt, Theodoſium Imperatorem, devicto Tyranno Maſcizelo, reperiſſe inter ſpolia quod-

quoddam ornamentum capitis Epiſcopale. 425
Amalonii Archiepiſcopi Lugdunenſis prudens reſponſio ad Epiſcopum Lingonenſem, de quibuſdam Reliquiis Divionum relatis a duobus Monachis S. Benigni. 93
Amuletorum Baſilidienſium duplex genus. 448
Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus ait, Jeſum Chriſtum conceptum fuiſſe VIII. Kal. Aprilis. 167
Anatolii Epiſcopi Laodiceni Tractatus de Feſto Paſchatis, ab Euſebio & Hieronymo laudatus. 312
Andechii Acta a Bailleto judicantur. 73
Angelus Carm. Diſcalceatus quæ referat de divertoriis Orientis. 188
Anglia Reges offerebant ad Altare in die Epiphaniæ aurum, myrrham & thus, 219. ibidem ante octavum ſæculum divinam rem in pane Azymo peragebant. 391
Annunciationis Feſtum primis ſæculis VIII. Kalend. Aprilis celebratum fuit, 167. & ſeq. Translatum aliquandiu ad tempus Adventus, 171. Deinde vero ad eandem 25. Martii diem revocatum, 172
Anſelmus Epiſcopus Havelbergenſis vocem *Fermentum* idem interpretatur atque Eulogias, 362. aitque, morem fuiſſe, parandi Euchariſticum panem cantu Pſalmorum. 379
Apocryphorum Librorum variæ claſſes, 278. & ſeq. Quid veniat hoc nomine. 280. & ſeq.
Antipater Epiſcopus Boſtrenſis teſtimonium affert pro Imagine Paneadis. 295
Apollo abſtinet ab Oraculis, S. Babylæ admotis reliquiis, 123. & ſeq. Quo pacto Oracula funderet. 127
De Apoſtolis Traditio multa nobis ſcitu digna reliquit, 54. Traditionum duplex genus ad nos derivarunt. 398. & ſeq. veſtes peculiares pro Sanctis Myſteriis habebant. 421. & ſeq.
Apotheoſis multiplex genus. 14. 15
Approbatio alicujus libri eum a Cenſura in tuto non ponit. 231. & ſeq.
Aringhus ait, in Catacumbis apparere veteſtas picturas, in quibus panis Euchariſticus Crucis ſigno notatus eſt, 380.
Armeni ſemper panem Azymum conſecrarunt, 407. eorum Fidei formula poſt extremum Schiſma, 498. In quo Concilio anathema dixerint in Synodum Chalcedonenſem. 413
Aſia Epiſcopi ex priſca Traditione contendebant, celebrandum eſſe Paſcha Luna 14. Martii. 341. 346
Aſſumtio Corporis B. Virginis ad Fidem non pertinet. 242
S. Aſterius Epiſcopus Amaſenus egregiam Homiliam ſcripſit in Feſtum Calendarum, 195. meminit Simulacri Paneadenſis. 294
S. Athanaſius Oraculorum ſilentium refert ad virtutem Incarnationis Filii Dei. 120
S. Athenogenes Hymnum cecinit, antequam mortem pro Chriſto oppeteret, 438
M. Attilius quo mortis genere plexus ſit, & quare. 151
De Auguſto reddito Oraculo ſuper puero Hebræo, quod fabuloſum eſt, 163. In Capitolio erigendum curavit Altare Unigenito Dei. 164
S. Auguſtinus ait, immutandum non eſſe, quod more Eccleſiæ conſtitutum eſt, 78. 79. 90. eam multa obſervare, quæ putat ab Apoſtolis deſcendiſſe, 253. 398. redarguit profanam conſuetudinem dandi accipie dique ſtrenas, 196. 197. ait, Dæmones Idolis adhæſiſſe, 118. Sibyllam Erythræam multa ſcripſiſſe de Chriſto, 141. decem *Sibyllas* agnoſcit, 136. Ethnicis hominibus Carminum Sibyllinorum lectionem proponebat, 143. ait, hæc profuiſſe Paganis convincendis, 153. Ejus opinio de Epocha Incarnationis Jeſu Chriſti, 169. de Nativitate, 184. Commemorat quatuor Feſta, quæ mos erat celebrari in die Epiphaniæ, 202. ſenſit, Magos ante Purificationem Bethleemum adventaſſe, 215. Ejus opinio de muneribus Magorum, 220. Feſtum Purificationis ignotum erat ejus ætate, 253. Quid narret de Hymno, quem affirmabant Priſcilianiſtæ Jeſum Chriſtum in Euchariſtia inſtituenda ceciniſſe, 434. & ſeq. Deſcribit Hymnum, 436. Salvator Apoſtolique (per ipſum) aliquo modo Hymnorum cantum imperarunt. 438
Autorum Eccleſiaſticorum teſtimonium quando argumentum ſufficiat, 23. eorum qualitates, 24. & ſeq. 55. 57. vitia ipſis tributa, 54. & ſeq. 59. Duo

vel

vel tres Scriptores tanti non ſunt, ut Traditioni alicui fucum faciant. 232
Autores, qui de domo Nazarethica, in qua Chriſtus natus eſt, mentionem habuerunt, 172. quid animadvertant de his Translationibus, 174. 176. Quinam ſint, qui putarint, Jeſum Chriſtum non celebraſſe Paſcha Legis in Pervigilio mortis ſuæ, 299. 300. 330. 458. 470. Eorum ſententia de uſu Azymorum in Eccleſia. V. *Azymos*. Quinam de Sancta Facie locuti ſint. 443. & ſeq.
Autores profani non carent fabulis, 56. & ſeq. Critici, qui eos excuſare nituntur, 59. & ſeq. quid ſcripſerint de Oraculis, 113. & ſeq. Citarunt Carmina Sibyllarum, 136. & ſeq. 151. & ſeq. 156. & ſeq. 160.
De Azymorum in Eccleſia Latina uſu, ſententiæ Scriptorum, 357. & ſeq. 360. & ſeq. 366. & ſeq. 371 & ſeq. 372. & ſeq. 383. & ſeq 388. & ſeq. Eccleſia Latina ſemper adhibuit panem Azymum, 390. & ſeq. Mos hic inventus lege ulla non eſt, 394. & ſeq. Traditio eſt Apoſtolica, 398. & ſeq Eccleſia Græca in pane Azymo ſacra fecit temporibus Apoſtolicis, 401. & ſeq.

B

S. *Babyla* Reliquiæ obmuteſcere faciunt Apollinis Oracula. 123
Belli Judicium de ſententia Vandalii, quod attinet ad Oracula. 118
Bailletus operam dedit, ut præverteret querelas communes de detractione in Vitis Sanctorum, 20 Cur deleat omnes pias Traditiones, a Veteribus de Maria Virgine nobis relictas, 30. Patres inſimulat nimiæ credulitatis, 51. 54. & ſeq. comparatio Tabularum ſuarum de Vitis Sanctorum cum Legendis Breviarii Pariſienſis. 71 & ſeq. 76. & ſeq. Pleræque Sanctorum Vitæ collocari poſſunt, ex ejus principiis, in earum numero, quas dubias vocat, 87. ait, Epocham Nativitatis Jeſu Chriſti VIII. Kal. Jannar. probabilem eſſe, 166. 169. Traditionem de Bove & Aſino Præſepis ante V. ſæculum non prodiiſſe, 190 Latinoſque ſemper Epiphaniæ Feſtum coluiſſe 6. Januarii, 210. Saturnalia a Lupercalibus non diſtinguit, 248. In fabulis habet Hiſtoriam de Edeſſena Imagine Jeſu Chriſti, 291. & Chronicon Paſchale Rapſodiam eſſe. 331
Balaami Succeſſores nonne fuerint Magi, 218. & ſeq
Baltus Jeſuita acriter refutavit Fontanellæ ſententiam de Oraculis, 116. & ſeq. 133. & ſeq.
Baptiſma Hæreticorum, etſi a Sanctis Africæ Epiſcopis propugnatum, a Stephano Papa damnatur. 346. & ſeq.
Baratier non eſt Autor Sermonum, editorum ejus nomine cap. 34. Tomi 1. B bl. Criticæ. 146
Baronii Cardinalis argumentum de ſilentio Oraculi Delphici, petitum a loco Ciceronis, leviſſimum eſt, 163. quod habet de D mo Lauretana, oppugnavit Caſaubonus. 179. & ſeq. 211, priſcam Eccleſiæ Traditionem ferre, Jeſum Chriſtum Baptiſmate ablutum 6 Januarii. 210. & videri Feſtum Purificationis inſtitutum ad Lupercalia tollenda, 247. Quare per ipſum Eccleſia ſolemne habeat Nuptiarum Canæ miraculum 6. Januarii, 272. quid ſentiat de prodigio, quod accidit Neapolis in ſingulos annos in die Inventionis S. Stephani, 227. & de Translatione Imaginis Edeſſenæ Romam, 292. Vult, Pontifices hac voce *Fermentum* Eulogias intellexiſſe, 362. Epiſtola, quam recitat, Michaelis Cerularii oſtendit, Alexandriæ & Hieroſolymis olim ſacra fieri ſolita in Azymis, 410. Quid ſentiat de veſtibus Jeſu Chriſti in Euchariſtia inſtituenda, 418. Ejus ætate repertus eſt Ametiſtus, in quo ſculptum erat verbum *Abraſax*. 449
Baſilides & ſectatores quo die celebrarent Baptiſma Jeſu Chriſti, 268. quare Deo nomen imponerent *Abraſax*, 448. Utebantur duplici genere Amuletorum, *ibidem*.
Baſnagius errat in referendo locum Simocatæ de Imagine Edeſſena, 289. ejus conjecturæ in Statuam Paneadis. 296. & ſeq.
V. Beda meminit duarum Eccleſiarum Nazarethi, 173. 179. Carmina illi falſo adjudicata, 205. Hymnus, Patris hujus ſententia. metrica eſt Dei laus. 436
Belotus mentionem facit quatuor Feſtorum profanorum, quæ Eccleſiaſtici celebrabant. 198. 199
Benedictus, Eccleſiæ S. Petri Romæ Canonicus ait, Pontificem, Miſſa cele-

brata, conſueviſſe Thus adolere in Sacello S. Sudarii, quod Veronicam appellant. 444
S. Bernarius Abbas Forii Claudii minas intentat in eum, qui Reliquias ſuas in Altari collocaverat. 374. & ſeq.
Bethleemi Chriſtus minime natus eſt ex Traditione, ſed extra vicum. 187. & ſeq.
Bibliorum Antuerpienſium Interpretes non favent Simonii ſententiæ in quadam animadverſione ad locum S. Matthæi. 224
Binii Severini explicatio III. Canonis ſecundi Concilii Turronenſis. 375
Blondellus primus eſt, qui rejecerit Carmina Sibyllarum, 137. & ſeq. ejus errores ſuper hac re, 148. argumenta refelluntur, quibus ipſe Carminum Sibyllinorum ſuppoſitionem conſtituit, 151. & ſeq. quo tempore ſuppoſitionis hujus Epocham adſtruat. 155. & ſeq.
Blumentroſtius Medicus familiaris Imperatoris Moſchorum interpretatus eſt Inſcriptionem Moſcovitam, quæ legitur ſub Tabula S. Faciei Monſtrolienſis. 453. & ſeq.
Bocquillotius Canonicus Aballonicenſis fuit ab Sententia Bomæ de uſu panis fermentati in Eccleſia Latina, 357. putat, Apoſtolos eorumque diſcipulos communibus veſtibus uſos in Myſteriorum Sacrorum celebratione, 419. occurrimus ejus probationibus, 429. & ſeq. admittit Altaria & Vaſa Sacra a ſæculis primis. 432
Boilaus Doctor Sorbonicus quid exiſtimaverit de Catminibus Sibyllarum, a Patribus recitatis. 148
S. Bomerii Reliquiæ ubinam ſint. 103
Bona Cardinalis regulæ ad dignoſcenda hiſtorica facta a fabulis, 38. & ſeq. quid requirat in Autoribus, 40. Animadverſiones in ejus regulas, 39. & ſeq. 42. & ſeq. credit, ante IX. ſæculum promiſcuum fuiſſe in Eccleſia Latina Azymi & fermentati morem, 357. & Canonem S. Sylveſtro de Traditione conſecrandi in Azymo pane, ſuſpicione laborare, 362. Negat Traditionem hanc ab Apoſtolis deſcendiſſe, 390. & ſuſtinet, Græcos ſemper Myſteria celebraſſe in pane fermentato, 400. & ſeq. 405. & ſeq. 412. & ſeq. Opinatur, Salvatorem veſtes non mutaſſe in Inſtitutione Euchariſtiæ. 418
Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis damnat N. T. editum Ttevoltii, 217. 218. & cogit Lamium, ut fateatur, Capita Concilii Tridentini docere ea, quibus credere neceſſe eſt. 349
Breviaria proponunt nobis Traditiones pias, 2. 7. Eccleſia non ſe implicuit in eo, ut nihil in Breviariis poneret, niſi inconcuſſum, inſtar Demonſtrationis Geometricæ, 74. Quidquid continent, ad Fidem non ſemper pertinet, 242. oportet ea probata eſſe ab Eccleſia, 15. 16. 80. Pet Criticos ſunt fabulis plena. 60. 61. 62
Breviarium Pariſienſe quo anno & a quibus emendatum, 63. & ſeq. Regulæ, quibus in rem hanc uſi ſunt, 64. Fontes, unde manarunt ea, quibus conſtat, *ibidem*. & ſeq. 66. 67. Magis in eo emendando attenderunt menti Conciliorum, quam Criticorum, 66. 67. & ſeq. Si expendendum modo eſſet ſecundum Criticas præceptiones, opus eſſet ex illo adhuc multa movere, 68. 69. 75. Collatio Legendarum hujus Breviarii cum Tabulis Criticis Bailleti, 71. 72. & ſeq. Quanquam Legendæ iſtæ dubiæ ſint, non propterea ſunt amovendæ, 75. 76. Hujus rei momenta afferuntur, 75. 76 & ſeq. Immutandæ ulterius non ſunt, 78. detractis inde falſis Legendis, 91. Nomina eorum, qui Hymnos in ipſis poſitos conſecerunt. 439
Breviarii Romani autoritatem, Sapientum multi rejiciunt. 60. 61
Breviarium Senonenſe. Vide *Breviarium Pariſienſe*. 316
Breviarium Toletanum his celebrat Feſtum Annunciationis. 172
Buſengerus Cæſar ait, *Penulam* S. Paulo fuiſſe veſtem ſacram. 423
Buterwii conjecturæ de Numiſmatibus Cariberti Regis Galliarum. 372. & ſeq.
Bzovius animadvertit, memoriam S. Faciei celebratam fuiſſe multo ante Sæculum ſeptimum. 443

C

Cabaſilas teſtatur, quocunque tempore Cruces &c. ſignatas fuiſſe in pane conſecrando. 380
Calmetus oppugnavit ſententiam Herodoti de origine Circumciſionis, 191. ait, Magos fuiſſe ſapientes veti Dei adoratores, 195. vult, eos ad Præſepe Domini perveniſſe, menſe circiter ab ejus ortu ela-

elapſo, 209. Partes ſuſcepit eorum, qui contendunt, Jeſum Chriſtum in Mortis pervigilio Paſcha non celebraſſe, 300. quid ſentiat de locis Patrum, citatis hac de re in Chronico Paſchali, 335. Quartodecimanos ante Concilium Nicænum in Hæreticis habet, 341. inquit, Victorem Antiochenum & Apollinarem propugnaſſe, Jeſum Chriſtum Cruci affixum quo tempore Paſcha immolabant. 351

Cana in Galilea quo die Chriſtus aquam in vinum converterit. 269. 270. 272.

Canus veneratur Opera Sanctorum Patrum. 55. ſtocci facit hiſtoricos profanos, 57. Duplex veritatum Catholicarum genus diſtinguit. 235

Capella Martianus duas Sybillas agnoſcit. 136

Capitolium Sylle temporibus incenſum. 152. & ſeq. Auguſtus an ibidem aram erexerent Unigenito Dei. 364

Caravanſerai. Vide *Diverſorium*.

Cariberti Regis nummi an exprimere poſſint figuras Hoſtiarum noſtrarum. 373. an hic Princeps Concilium II. Turonenſe congregaverit. *ibidem*, & ſeq.

Carolus Magnus Epiſtolam dedit ad Alcuinum, in qua conqueritur de Evangeliſtis, quod locuti non ſint de Hymno, a Jeſu Chriſto in ultima Cœna decantato. 435

S. Carolus Borromæus everti juſſit ſepulchrum, quod venerabatur, perinde ac Sanctum hominem includeret. 103

Caſauboni objecta in id, quod habet Baronius de Translatione domus Virginis Mariæ Lauretum, 180. & ſeq. putat, Jeſum Chriſtum ortum ſuiſſe intra Bethlehemum, 187. & ſeq. Quid ſentiat de aquis in vinum converſis ſexta Januarii die, ſecundum narrationem Epiphanii, 270. Non eſt auſus revocare in dubium Epiſtolam Abgari ad Jeſum Chriſtum, 277. ſed ad fabulas amandat hiſtoriam Imaginis ab hoc ad illum miſſæ. 292

Cavii Judicium de Autore reſponſionum ad Interrogationes Ortodoxorum, quæ nomen referunt S. Juſtini, 156. atque Epiſtolarum Abgari ad Jeſum Chriſtum, & Jeſu Chriſti ad Abgarum. 277

Cecilianus Diaconus reprehendit quandam Matronam Chartaginenſem, quæ deoſculabatur oſſa Martyris, ab Eccleſia minime probati. 11

Cedrenus affirmat, Epiſtolam Jeſu Chriſti ad Abgarum extitiſſe adhuc ad annum 1035. 275

S. Cœleſtini Primi egregium pronunciatum. 104

Cœleſtinus III. Pont. Max. Januas æreas poſuit Sacello S. Faciei. 444

Cenomanenſis Epiſcopus in Eccleſia Parochiali Sancti Bommerii everti juſſit Sepulcbrum, quod Sancti hujus eſſe putabatur. 103

Ceremoniæ Græcorum 6. Januarii die, 266. ac pro pane Conſecrationis parando. 380

Cerethius Epiſcopus conſulit D. Auguſtinum de quibuſdam Scripturis, quibus Priſcillianiſtæ utebantur. 433. & ſeq.

Certa veritas Metapbyſica, phyſica, & moralis, necnon Geometrica, 85. 86. Exempla veritatis certæ moralis, 86. quod certum non eſt hac veritate morali, intra probabilitatis fines continetur, 87. teſtimonium unanime parit cognitionem moraliter certam. 87. 109

Cerularius Michael primus eſt, qui Eccleſiæ Latinæ exprobraverit uſum conſecrandi in pane azymo, 391. 413. Ejus ætate Eccleſiæ Orientis ab Epiſcopis Schiſmaticis erant occupatæ, 404. & ſeq. queritur de Patriarchis Alexandrino & Hieroſolymitano, qui Azymos conſecrabant. 410

Chalcidii verba animadverſione digna. 222

Choſroes V. aggreditur Edeſſam, cogiturque ab aggreſſione recedere, & agnoſcere poteſtatem Imaginis Jeſu Chriſti, quæ in eadem Urbe ſervabatur 89. & ſeq.

Chriſtiani ex Idolis Dæmones expellunt, 122. & ſeq. quod offerrent ad Altare, 377. & ſeq. 383. & ſeq.

De Chronico Dacii quod judicium tulerit Mabillonius. 360

Chronicon Paſchale admittit duodecim Sibyllas, 137. atque Epocham Conceptionis Jeſu Chriſti ſtatuit octavo Kal. Aprilis, 167. Nativitatis octavo Kal. Januarii, 184. Mortis decimaquarta Luna Menſis Niſan, 336. & ſeq. Ducangio debemus Editionem hujus Chronici, 331. quam laudat Lamius, 331. ſenſa Scriptorum de hoc Opere, *ibidem*, 458. Loca ex eo producta ſuper poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate, maxime ambigua ſunt, ne dicam ſuppoſititia, 335. 458. & ſeq. Num Autor Chronici Paſchalis Catholicus cenſendus ſit. 339

Ciampini exiſtimat, Eccleſiam Romanam pane Azymo ſemper uſam fuiſſe. 358

Ciboriorum origo ſecundum Buteruvium, 373. & ſeq.

Cicero Carmina Sybillarum in medium protulit. 136. 144. 151. 155.
Circumciſionis antiquitas, 191. quare Jeſus Chriſtus Circumciſionis legi parere voluerit, *ibid.* quo tempore Eccleſia celebrare cæperit ejus memoriam, 192. & ſeq.
Claſſes multæ piarum Traditionum. 7. & ſeq.
Claudianus loquitur aperte pro Regia Magorum dignitate. 207
S. Clementis Papæ Acta habent ex Bailleto quandam gravitatis & caſtæ dictionis indolem; minus tamen propterea fabuloſa non ſunt. 74
S. Clemens Alexandrinus ait, Apoſtolos Petrum & Paulum laudaſſe Sybillas, 140. Orientis Eccleſias diu variaſſe ſuper obſervantia diei Nativitatis Chriſti, 184. 185. & Baſilidianos celebraſſe Feſtum Baptiſmatis Jeſu Chriſti 6. Jannarii die, 268. Locus Chronici Paſchalis, ab hoc Patre productus ſuper ultimo Paſchate legali Salvatoris, nonoe ejus ſit, 334 458. Ejus ſententia de Epoca mortis Jeſu Chriſti. 335
Clerici quo tempore cæperint diſtingui a populo ratione veſtium. 419. 420
Codinus loquitur de quadam ceremonia fieri ſolita Conſtantinopolis primo cujuſque menſis die. 267
Cointius quomodo explicet vocem *Conniventia* in Præfatione II. Concilii Turonenſis, 373. tertium Canonem hujus Concilii 376. & viceſimum primum. 377
Compendii oſtendunt in Theſauro S. Cornelii culterum lapideom, quo ferunt, Jeſum Chriſtum circumciſum fuiſſe. 192
Concilia ſæpe Canones ediderunt, ut caverent, ne Fideles deciperentur a mendacibus Hiſtoriis, & falſas Reliquias venerarentur, 11. 12. & ſeq. Pro emendatione Breviarii, 15. 16. 79. ut tollerent licentias, quibus indulgebant Chriſtiani primo anni die, 196. 197. 200. 201. & de die celebrandi Paſcha. 344. & ſeq.
Conſtantii Imperatoris nativitas quo die celebraretur. 185
Conſtantinus Magnus ait, Sibyllam Erythræam vaticinaram fuiſſe adventum Jeſu Chriſti, 140. 151. 152. Imperator hic dono dedit Macario Epiſcopo Hieroſolymitano Stolam. 425
Conſtantinus Porphirogenitus locutus eſt de Epiſtolis Jeſu Chriſti ad Abgarum, & Abgari ad Jeſum Chriſtum, & de translatione prioris Conſtantinopolim, 276. 290. 291.
Conſtantinopolitana Eccleſia minime ab Apoſtolis fundata eſt, 404. Ejus Patriarchæ 414
Credere nimis aut parum, vitanda, 85. non pauca credenda ſuot, licet non ſint de Fide. 90
Critices facinora, atque arma, 83. autoritate pendet. Vide *Regulas Criticas*. 325
Critici, qui pias Traditiones oppugoant, magnis incommodis patent, 45. & ſeq. ſcopuli, in quos impingunt, titulo purgandi hiſtoriam a falſis Traditioοibus, 17. 18. 45. quid ſibi propoſuerint in hiſtoriis ſuis, 18. 19. 46. 79. illud prætergreſſi ſunt, 19. & ſeq. 79. atque everterunt magnum numerum Sanctarum conſuetudinum, piarumque Traditionum, 21. & ſeq. Magnum ipſorum principium concutit magnam Hiſtoriæ Eccleſiaſt. partem. 23. 24. 27. 28. & ſeq. 50. 52. 68. 70. 79. Breviaria & Martyrologia oppugnaverunt, 26. 69. non diſtinxerunt verum a falſo, 44 45. quam prætexant rationem piis Traditionibus non recipiendis, 30. 31. & ſeq. 48. & ſeq. injuſta eorum poſtulatio, 34. 35. & ſeq. multa protulerunt minime certa. 36. quid profeſſi ſint, 45. 46. Nimiæ credulitatis Patres accuſant, 54. & ſeq. 146. & ſeq. Magis tribuunt de re hiſtorica Autorum Gentilium, quam Eccleſiaſticorum teſtimonio, 57. 58. Dum orant, regulis ipſi ſuis non obtemperant, 70. Breviarium aliud pro ſemetipſis edere deberent, 71. 72. quam utilitatem cootulerint Hiſtoriæ, 82. Eorum regulæ immoderatæ ſunt, 83. quibus argumentis oſtendaot, Sibyllarum Oracula genuina non eſſe, 146. & ſeq. falſæ ipſorum argumentationes, 149. Sententias ſuas ſtatuere deberent firmis argumentis, 95. Prudenti Critico non licet de factis quibuſdam in partes ire, 131. & ſeq.
Criticorum ſenſa de tempore Conceptionis Chriſti, 166. & ſeq. de Translatione Domus Mariæ Virginis Nazaretho in Italiam, 179. & ſeq. de loco, io quo natus eſt Jeſus Chriſtus, 187. & ſeq. De Bove & Aſino, 189. quo tempore Magi Bethleemum adventarint, 209. & ſeq. de Divinitate Jeſu Chriſti, Magis cognita, 216. & ſeq. 224. & ſeq. 228. & ſeq. 231. & ſeq. 239. & ſeq. Non diſtinxerunt Saturnalia & Feralia a Lupercalibus, 248. & ſeq.

& ſeq. Impugnarunt Sacerdotium S. Senis Simeonis, 256. & ſeq. Epiſtolas Jeſu Chriſti ad Abgarum, atque hujus ad illum, 282. & ſeq. 284. & ſeq. Imaginem Edeſſenam, 291. & ſeq. & Paneadentem, 296. & ſeq. Uſum veſtium Sacrarum pro Sanctis Myſteriis a temporibus Apoſtolicis, 428. Incommodæ conſecutiones de diviſione Criticorum ſuper queſtione de poſtremo Paſchate Jeſu Chriſti, 299. & ſeq. 301. & ſeq. 305. & ſeq. & de Uſu Azymorum in Eccleſia Latina, 357. & ſeq. 360. 366. 371. 372. 377. 383. 386. 390. 393. atque in Eccleſia Græca, 400. 411.

Crux, qua ſignabatur panis conſecrandus, 378. & ſeq.

S. Cucuphatius ſecundum mentem Bailleti habet Acta nullius autoritatis. 72

Cumana Sibylla novem Libros ſcripſit, 136. a quo, atque ubi ſervata fuerint, 151. & ſeq. Cicero, Virgilius, aliique eos citaverunt, 151. In Capitolii incendio perierunt, 152. atque ab Auguſto inſtaurati ſunt, *ibid.* In Templo Apollinis ſervabantur adhuc ætate Juliani Apoſtatæ, 153. illos Stilico comburi juſſit. *ibid.*

S. Cyprianus credit, malos Spiritus aſſiare Oracula Gentilium, 117. producitur eius teſtimonium pro pane Azymo & Fermentato, 360. & ſeq. 366. & ſeq. 376. 380

Cyriaci Pontificis Hiſtoria manifeſte falſa eſt. 90. 321

S. Cyrillus Alexandrinus putat, Evangelio promulgato Oracula ceſſaſſe, 121. & Jeſum Chriſtum Paſcha celebraſſe pridie Mortis ſuæ. 307. 313

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Sanctum ſenem Simeonem Sacerdotem facit. 257

D

Daniel Jeſuita denuo in lucem protulit opinionem Ludovici Leonis, qua conciliaret Evangeliſtas de poſtremo Paſchate Jeſu Chriſti. 301

Daphne Templum Apollini conſtructum erat. 123

Delphica Sacerdos acriter adeo torta eſt ab Oraculo Delphico, ut paullo poſt interierit. 128

Demetrius Cyzicenus quid Armenis exprobraverit. 407

Damones in Æthnicorum Oraculis operam habuerunt, 114. Sententia hæc SS. Patribus probatur, 117. & ſeq. & SS. Scripturarum autoritate, 119. & ſeq. Chriſtiani eos expulerunt ex Idolis & corporibus virtute Crucis, 122. Reliquiæ Sanctorum eos in fugam verterunt, 123. a quibus in conſilium adhibiti ſunt, 126. 127. & ſeq. Præſentia pueri Jeſu in in Ægypto ab Idolis pulſi ſunt. 262. & ſeq.

Demoſthenes ajebat, Pithiam Philippi rebus favere. 129

Dodwellus in ſuo Tractatu de Feſto *Roy-bot* oſtendit, hoc veſtigium eſſe Gentilitatis. 204

Diodorus Siculus unam duntaxat Sibyllam admittit, nomine Daphnem. 136

Dio Caſſius teſtatur, Veſpaſianum, expuendo in oculos cæci, viſum ipſi reddidiſſe. 59

S. Dionyſius Primus Pariſienſis Antiſtes Acta habet, per Bailletum ex vulgi rumoribus & Traditionibus confecta 73

Dionyſii Halicarnaſſæi Operum ingenium, 58. tradit, quare M. Attilius Parricidarum morte ſublatus fuerit. 151

Dionyſius Exiguus ſcripſit duas graves Epiſtolas de Paſchate. 313

Diverſoria Orientis quid ſint. 188. & ſeq.

Doctorum Facultatis Theologiæ Pariſienſis Epiſtolæ ad Galliarum Epiſcopos, ut Feſtum Subdiaconorum & Stultorum tollerent. 199

Dodwelli opinio de Autore Reſponſi ad quæſtiones Orthodoxorum. 156

Dominis Antonius Epiſcopus Spalatenſis propugnavit, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis non celebraſſe in pervigilio mortis. 300

Ducangio debemus Editionem Chronici Paſchalis, 331. ait, Caſaubonum emiſſe Tractatum quendam, tributum Petro Alexandrino, qui eundem habet titulum, atque ille, qui eſt in fronte Proœmii ad Chronicon Paſchale, 333. qui explicat voces *conſecrare* & *declarari*, 365. atque aliam *conniventia*. 374

Dupinus autor eſt, contemnenda eſſe ea omnia, quæ a novo Autore referuntur, niſi Veteris alterius teſtimonio fulciantur, 23. 67. 87. 88. Carmina Sibyllarum ſuppoſititia eſſe, 138 Patres, qui ea citarunt, excuſatione dignos eſſe, quia illa minime expenderant, 147. quo tempore adnotet hujus Epocham ſuppoſitionis, 155. & ſeq. Suppoſititias eſſe Homilias S. Gregorii Neoceſareenſis de Conceptione Filii Dei, 170. Epiſtolas Jeſu Chriſti ad Abgerum, & Abgari ad Jeſum Chri-

Christum, 284. Historiam Imaginis Edessenæ. 291
Durandus Guillelmus Episcopus Mimatensis narrat, quatuor fuisse genera Festorum, quæ Ecclesiastici celebrabant. 98

E

Ebionitæ qua ratione Sacra Mysteria celebrarent, 367. & seq. 405. & seq. 412
Ecclesia obstitit semper Traditionibus vulgi, 9. & seq. quos adhibuerit modos, ut earum progressum reprimeret, 10. 12. 92. ad delectum habendum piarum Traditionum & popularium, 12. quomodo se gesserit in hoc discrimine, eo; Preces & Libri ab ea adhibiti, etiam prioribus sæculis, probandi in antecessum ab Concilio erant, 15. 16. 80. Nunquam se implicavit, ut nihil in eis poneret, quod ita inconcussum esset, atque Geometrica Demonstratio, 74. 320. Quidquid illi complectuntur, ad Fidem nequaquam pertinet, 242. 320. In suis Officiis citat Sibyllam, 141. atque ab ipso sui exordio in possessione est testimonii, ab his Vatibus redditi Filio Dei. 160
Ecclesia non efficit Fidei Capita, 240. Traditiones Fidei recepit, quanquam Patres de illis non ediderint peculiares Tractationes, 323. Servat multa, quæ putat ab Apostolis descendisse, quamvis scripta non sint. 397. & seq.
Ecclesia quo jusserit die celebrandam esse Conceptionem Filii Dei, 167. & seq. Nativitatem, 184. & seq. Circumcisionem, 192. & seq. Festum Circumcisionis opposuit Festo Paganorum, 194. & seq. 197. & seq. Consilium ejus in statuendo Epiphaniæ Festo, 203. & seq. Dicit in precibus suis, Magos adorasse Jesum Christum tanquam Deum, 221. Celebravit semper Baptisma Jesu Christi die 6. Januarii, 268. Consilium ejus in Institutione Festi Purificationis, 246. & seq. 249. & seq.
Ecclesia consensio necessaria est ad statuendum, fecerit necne Jesus Christus Pascha Legis in Pervigilio mortis suæ, 303. Canit in Officiis suis, Christum illud peregisse. 309
Ecclesia Orientis & Occidentis, quo singulæ die Festum Paschatis celebraverint, 341. 347. Ecclesia Latina semper in pane Azymo consecravit, 390. 393. 397. Ecclesia Græca in pane azymo consecravit ad septimum fere sæculum usque. 401. & seq.
Ecclesiæ celeberrimæ servarunt religiose Officia sua vetusta, postquam ex eis detraxerunt, quidquid irrepere in ipsa potuerat aperte falsum aut contumeliosum, 77. Repugnantia Ecclesiarum Galliæ, Mediolani, atque Hispaniarum ab Officio Romano suscipiendo. 395
Edessa confregit vires Chosroes virtute Imaginis Jesu Christi, 289. Vide *Imagines Jesu Christi*.
Egbertus Archiepiscopus Eboracensis refert Canonem, Presbyteris jubentem, ut panis, & vinum, & aqua pro Divinis Mysteriis munda essent. 359
Eldephonsi Episcopi in Hispania testimonium de pane Eucharistico, vel suppositum ipsi est, vel maxime ambiguum. 360
Eliphrepha quid significet. 290
S. Elisabeth Antistita Schonensis prima est, quæ Cyriaci Pontificis historiam in vulgus protulit. 91
S. Eligius deceptus est de Lustratinnibus, 251. Opus ejus nomine citatum maxime ambiguum est. 252
Ennodius loquitur de Mitra, quam ferebat S. Ambrosius. 426
Ephemerides Hagæ Comitum continent difficultates in Regulas & Usum Critices, quæ refelluntur. 106. 109
Ephemerides Sapientum referunt explicationem Harduini Jesuitæ super Inscriptione, suppositæ Imagini S. Faciei Monstrolensis. 450. 451. 452.
S. Ephrem meminit Epistolarum Jesu Christi ad Abgarum, & Abgari ad Jesum Christum. 276. 289.
S. Epiphanius ponit ortum Jesu Christi 6. Januarii die, 185. ait S. Senem Simeonem fuisse Sacerdotem ex Tribu Aaron, 257. Octavo Idus Januarias fontes plures aquam in vina vertisse, 270. & seq. & Jesum Christum manducasse Agnum Paschalem, 307. Redarguit Ebionitas, qui Sanctum Mysterium in aqua tantum celebrabant. 367. & seq. 405. seq.
Epiphania quid significet. 199. 220. 264
Epistola Jesu Christi ad Abgarum, & Abgari ad Jesum Christum, 274. Constantinopolis servabatur anno 1035. Epistola Jesu Christi. Autores de his loquentes, 276. Protestantium de illis judicium, 277. quo sensu Epistola Jesu Christi Apocrypha dicta sit, 279. Hæc constituere posset Officii Divini partem, 280. Sententia

tia Alexandri de hac Epiſtola, 282. & ſeq. Reſpondemus objectis adverſus ejus authenticam veritatem, 284. & ſeq. quo anno ſcripta fuerit. 286
Epiſtola Doctorum Facultatis Pariſienſis ad Galliæ Præſules, ut Feſtum Subdiaconorum tollerent. 199
Epiſcoporum vigilantia ad cohibendam falſarum hiſtoriarum, & Reliquiarum Sanctorum promulgationem, 10. 11. 13. 14. 79. 91. 93. 102. accuratio ipſorum ad delendas e Breviariis falſas Legendas, 63. 65. & ſeq. 91. Eorum vigilantia in recipiendis piis Traditionibus, 92. atque in exterminandis licentiis, quæ Kalend. Januarii committebantur, 195. 196. necnon in Feſto Subdiaconorum, 199. 200. Habuerunt ne prioribus ſæculis veſtes peculiares, 424. Quo tempore a populo diſtingui cœperunt ex veſtibus ſuis, quemadmodum alii etiam Eccleſiaſtici. 425
Epiſcopi Aſiæ ex vetuſta Traditione docebant, celebrandum eſſe Paſcha Luna decimaquarta Martii, 340. & ſeq. 345
Erythræa Sibylla appellabatur Heraphila, 136. ejus Oracula favent Religioni Chriſtianæ, 139. Patres ea citarunt, 139. & ſeq. 142. & ſeq. ſpuria non ſunt, *ibid.* 146. 151. In manibus omnium verſabantur, 151. Ejus Oracula de Magorum adoratione. 226
Eſtii mentem de Magorum adoratione ſiniſtre intellexit Simonius. 227. & ſeq.
Evagrius fatetur, Jeſum Chriſtum in Epiſtola ad Abgarum non ei promiſiſſe, Urbem hanc nunquam ab hoſtibus ſubjugatam fore. 289
Evangelium, ut a Criticis explicatur, non eſt aptum ad dirimendam quæſtionem de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate, 304. & ſeq. 471
Euchariſtia quo loco II. Concilii Turonenſis jubetur in Eccleſiis ſervanda. 373. & ſeq.
Eudus Epiſcopus Pariſienſis inſignem reddituum aſſignationem fecit, ut tolleretur Feſtum Subdiaconorum. 200.
Evidentia probationes de re facti, 3. 4. ejus conſecutiones. 5
Eulogiæ diſtribuebantur in Eccleſia ſingulis diebus Dominicis. 362. 379. & ſeq.
Euphroſinus, Epiſcopus Pamphiliæ, utebatur ad Altare tunica ſine manicis, quæ fuerat uſui S. Jacobi Fratris Domini, 424
Euſebius loquitur de Feſtis, quæ juſſu Conſtantini Magni colebantur, 253. de Epiſtolis Jeſu Chriſti ad Abgarum, & Abgari ad Jeſum Chriſtum, 255. & ſeq. quare non meminerit Imaginis Jeſu Chriſti Miſſæ ad Abgarum, 257. & ſeq. quid dicat de Simulacro Paneadenſi, 294. Contendit, Jeſum Chriſtum Paſcha manducaſſe in pervigilio Mortis, 307. Loquitur de veſtibus Sacerdotum Domini 425. 430
De *S. Eutropio* quod refert S. Gregorius Turonenſis, eorum non eſt ex mente Bailleti. 72
Eutichius Patriarca Conſtantinopolitanus pulſus ab Epiſcopatu ab Imperatore Juſtiniano, & quare. 415

F

Acta hiſtorica, quæ Critici referunt tanquam vera & certa, probabilitatis fines non excedunt, 87. 88. Evidens eſſe poteſt, factum dubium eſſe ſimile vero, 89. Non ſunt rejicienda facta propterea quod falſa eſſe poſſint, 94. 95. quædam facta dirimi poſſunt una Traditione, 347. & ſeq.
S. Felicis Martyris Acta non ſunt authentica ex Bailleto. 73
Fermenti variæ explicationes, 362. & ſeq.
Ferrarius ait, Pœnulam S. Pauli veſtem Sacram fuiſſe. 422
Feſtum Conceptionis Jeſu Chriſti, quo die ab Eccleſia prioribus Ævis celebratum, 167. 171. & ſeq. Nativitatis, 184. & ſeq. Conſilium Eccleſiæ in inſtitutione Feſti Epiphaniæ, 203. 204. 264. & ſeq. 268. & ſeq. Feſta, quæ prioribus ſæculis celebrabantur. 253. & ſeq.
Feſti Purificationis Mariæ Virginis varia nomina, 246. quo tempore, & quare inſtitutum, 247. & ſeq. ſuffectum non eſt Feſto Luſtrationum, 349. & ſeq. Quinam ſit autor ſupplicationis, quæ eo die fit, 352. an hoc Feſtum ſit ex Traditione Apoſtolica. 246. & ſeq.
De Feſto Paſchatis Aſianorum diſputatio, 340. & ſeq 343.
Feſta Aſinorum celebrata in Eccleſia Cathedrali Rothomagenſi, 186. Subdiaconorum, 197. 198. 200. & ſeq. necnon Feſtum, quod vocatur: *Roy-boit*. 204

Feſta Romanorum, quæ celebrabantur Kalendis Januarii, 194. & ſeq. quando celebrarent Lupercalia, 247. & ſeq. Saturnalia, 249. Feſta Deorum Manium, 250. & ſeq. Luſtrationum, 249. & ſeq.
Fidelium querelæ adverſus Criticos, 19. 20. 22. 23. Vide *Criticos*.
De Fide duplex eſt quæſtionum genus, 235. Non eſt neceſſe ſingulos Fidei articulos ab Eccleſia definitos eſſe, 240. Eccleſia non ſtatuit capita Fidei. *ibid.*
Firmilianus animadvertit, licet diviſio aliqua fuerit inter Eccleſiam Romanam, atque Aſiæ de Paſchatis tempore, nnn tamen propterea pacem fregiſſe. 344
S. Firmini Acta non multa pollent apud Bailletum antoritate. 73
Fleurius ſecurim longius jecit in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica, 19. & ſeq. contendit, nauci habendum quidquid novitius Autor enunciat, non fretum teſtimonio Veterum, 23. ejus conſilium de piis Traditionibus. 32. & ſeq. 47. 49. 50
Fontanella adoptavit ſententiam Vandalii de Oraculis, 115. 119. Baltus eum impugnavit, 116. Servatoris gloriam nonnihil violat, 120. non licebat illi ſuper hac re in ſententiam ire, quam mallet, 130. & ſeq. Veteres non favent ejus opinioni. 133. & ſeq.
Fontes, quorum aquæ in vinum convertebantur 6. Januarii die. 270. & ſeq.
Frangipani Comes Terſattenſis multa præcavet, ut certo ipſi conſtet de Translatione Domus Mariæ Virginis Nazaretho in Dalmatiam. 275
S. Fulgentius an haberet veſtes peculiares in celebrandis Divinis Myſteriis, 431. & ſeq
Fulonius Petrus non eſt inſtitutor invocationis, quæ a Græcis fit ſuper aquas Octavo Idus Januarias. 267. & ſeq.

G

Galatinus opinatus eſt, S. Senem Simeonem fuiſſe Simeonem juſtum Hilleli filium. 258
S. Galburgis abſtinet a patrandis Miraculis ſtatim ac ponuntur ſuper Altare ejus Reliquiæ. 374
Galeni locus allatus a Bona non probat, uſum panis fermentati communem Eccleſiæ Græcæ fuiſſe. 413
Galliarum Reges in die Epiphaniæ aurum, thus, & myrram ad Altare offerebant. 219
S. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis ait, Panem Euchariſticum exprimere Societatem Fidelium. 359
Gelaſius Papa, quibus uſus ſit rationibus, ut innumeras falſas Traditiones removeret, 13. veriſimile eſt, eum inſtituiſſe Feſtum Purificationis, 247. 248. 252. quo ſenſu declaraverit Apocryphum Epiſtolam Jeſu Chriſti ad Abgarum, 277. & ſeq. 281. & ſeq. 283. & ſeq.
S. Germanus Epiſcopus Antiſiodorenſis Angliæ Regem Regno ſuo minime ſpoliavit. Falſitas hujus hiſtoriæ. 97. 98
Gerſo ait, adhibendam non mediocrem moderationem eſſe ad delendas pias Traditiones. 105. 106. 107
Goſpoden nomen eſt, quo Muſcovitæ Deum vocant. 452
Græci quo tempore cæperint celebrare Nativitatem Jeſu Chriſti, 184. addunt Feſtum hoc Feſto Epiphaniæ, 185. Feſta pernicioſi exempli apud Eccleſiaſticos, 199. Eorum opinio de Simeone, qui excepit Jeſum Chriſtum in ulnis ſuis, 255. Antiquæ Traditiones & ceremoniæ diei ſextæ Januarii, 266. & ſeq. Sacra fecerunt in pane Azymo a primis ſæculis, 401. & ſeq. quo tempore cæperint uti pane fermentato in divinis Myſteriis, 424. & ſeq. Sint ne Hymnorum Autores. 437
S. Gregorius, Epiſcopus Armeniæ, in eam invexit morem conſecrandi in pane Azymo. 407
S. Gregorius Epiſcopus Lingonenſis adverſatus eſt cultui, qui reddebatur Reliquiis S. Benigni Divionenſis. 11
S. Gregorius Epiſcopus Nazianzenus narrat, in die Conſecrationis ſuæ indutum ſe fuiſſe veſte longa, & Thiara caput redimitum. 426
S. Gregorius Epiſcopus Neoceſareenſis meminit Feſti Annunciationis B. Virginis, 166. Senſa hominum Litteratorum de Homiliis Patris hujus in rem hanc. 170. & ſeq.
S. Gregorius Nyſſenus loquitur de Bove & Aſino Præſepis Filii Dei. 190
S. Gregorius I. Pontifex indicat præcautiones adhibendas, ut Reliquiæ Sanctorum admittantur, 13. quæ ſcribat de materia & figura Hoſtiarum. 581

Gregorius II. Pontifex, locutus de Epiſtola Jeſu Chriſti ad Abgarum, ait quoque, eundem ad Abgarum miſiſſe imaginem ſuam. 288

Gregorius III. Pontifex Decretum edidit, quo uti debemus ad alia Decreta explicanda Melchiadis, Syricii, atque Innocentii I. 363. & ſeq. Quid Mabillonius intelligat nomine Calicis, quam Pontifex hic Eccleſiæ dono dedit. 375

S. Gregorius Turonenſis quid referat de Prælatorum vigilantia, ut falſas Reliquias exterminarent, 11. de Miraculis, aquarum Jordanis virtute patratis, 264. Ponit Caribertum Regem in numero poſſeſſorum iniquorum Eccleſiæ bonorum, 376. ait, exportari ſolitum Gaza vinum ad peragenda divina Myſteria. 382

Groſſerus contendit, *Panulam* S. Pauli nunquam habitam fuiſſe pro Veſtæ Sacerdotali. 422

Grimaldus Jacobus collegit Acta authentica pro Sancta Facie. 445

Guillelmus Nangius loquitur de itinere Sancti Ludovici Nazarethum, ubi Princeps hic celeſti pane refectus eſt in cubiculo Mariæ Virginis. 173. 174

Guillelmus Tyrius adnotavit, Eccleſiam conſtructam ſuper domo, in qua Virgo Deipara concepit Filium Dei, extitiſſe ſæculo VII. 133. Scribens de Converſione Maronitarum, ne verbum quidem facit de receptione Azymorum ab hiſce populis. 410

H

Harduinus Jeſuita qui velit conciliare quatuor Evangeliſtas de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate, 301. 455. 466. Vult Inſcriptionem S. Faciei Monſtrolienſis Græcam eſſe, cum tamen Muſcovita ſit. 451. & ſeq.

Harlayus Archiepiſcopus Pariſienſis perficiendum curavit anno 1675. novum Breviarium Eccleſiæ ſuæ. 63

Hegeſippi dicta quomodo congruere poſſint iis, quæ habet de S. Jacobo, a Judæis in Judicem Chriſtianæ & Judaicæ Religionis delecto. 200.

S. Helena intra magnificentiſſimi Templi ſepta concluſit domum Sanctis, Virginis. 173.

Hemoroiſſa a Jeſu Chriſto reddita ſanitati, erexit ipſi Statuam Paneadis. 294. & ſeq.

Henricus Monachus Antiſiodorenſis narrat, fabuloſam Hiſtoriam de Rege Angliæ, a S. Germano Regno ſpoliato, 97. & ſeq.

Henſchenius Jeſuita exiſtimat, Feſtum Purificationis Mariæ deſcendere a Traditione Apoſtolica, 252. Agnoſcit, ſcriptum S. Methodii de Tranſlatione S. Faciei fabulis redundare. 442

Herbelotius ſermonem habet de Cultro, quo circumciſus eſt Chriſtus, ſervaturque Compendii, 192. quæ habet de Rege Abgaro. 274

Hermas S. Pauli diſcipulus de Sibylla loquitur. 156

Hermopolis in Thebaide num Arbor curvatus ſit coram puero Jeſu. 261

Herodoti Opera fabulis ſcatent. 58

Hilloli num filius eſſet Sanctus Simeon ſenex. 256

Hieronymus ait, In adventu Meſſiæ Idola conticuiſſe, 121. loquitur de duabus Eccleſiis, quæ Nazarethi erant, 173. quid tradat de Veſtibus Sacerdotum. 426

Hiſtoria Eccleſiaſticæ non levem partem efficiunt piæ Traditiones, 46. 25. Eccleſia a primis Sæculis vim omnem in eo poſuit, ut a falſis Fideles defenderet, 11. 12. 79. Confecta eſt ex miſcellaneis Operum certorum, probabilium & dubiorum. 37. 45. 46.

Hiſtoria falſæ unde manarint, 9. 10. Regula, qua veræ Hiſtoriæ a falſis diſtinguuntur, 23. Incommodæ Regulæ hujus conſecutiones, 24. 25. & ſeq. Evertit magnam partem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, 26. 50. 52. 68. & ſeq. 80.

Hiſtorici ingenium. 24. 55. 57

S. Honorati Acta autoritate carent ſecundum Bailletum. 72

Honoratus Auguſtodunenſis ait, Sacerdotum fuiſſe parare panes pro Conſecratione, 381. & Fideles obtuliſſe ad Altare farinam, qua panis conficiebatur. 382

Hoſtiarum antiquitas, quæ adhibentur in S. Miſſeriis, 370. & ſeq. 377. Signatæ erant Cruce. *ibid.*

Hugo Capetus in die Epiphaniæ pileo infixam ſtellam gerebat. 207

Humbertus Cardinalis Traditionem exiſtimat Eccleſiæ Romanæ, In pane Azymo conſecrare. 138

Hurai ſententia de adoratione Magorum non favet Simonio. 225 & ſeq.
Hymni deſcriptio, 436. antiquitas, 437. genera, *ibid.* quem cecinit Chriſtus Dominus poſt cœnam, continetur cap. 17. Evang. D. Joannis, 433. Uſus eorum in Eccleſia deſcendit a Jeſu Chriſto, 437. Autores Hymnorum, 439 Hymnus Priſcillianiſtarum, Jeſu Chriſto tributus. 434
S. Hypoliti Epiſcopi Portuenſis locus, citatus in Chronico Paſchali, maxime ſuſpicioſus eſt, 335. & ſeq. 339. & ſeq. 345. 350. & ſeq. 457. 459. 470. 471.

I

S. *Jacobi* Apoſtoli Corpus, inquit Bailletus, latere neque unde, neque quo tempore Compoſtellam translatum ſit, 72. gerebat laminam auream in fronte, 421. 428. & ſeq. cujuſmodi eſſet ejus Mitra, 422. ad quem advenerunt ejus veſtes Sacræ. 424
Janſenii Gandavenſis ſententia de ſuprema Magorum adoratione non favet Simonio, 225 & ſeq. Euchariſtiæ adorationem probat ex adoratione Magorum, 226
Idola Paganorum animam non habebant, 126 & ſeq. quomodo Oracula ederent, 127. Dolia liquotum Sacerdotum, 128. & ſeq. Idola Ægypti everſa coram puero Jeſu. 226. & ſeq.
Jeſus Chriſtus. De eo Traditio non pauca nobis reliquit, 4. ejus adventus Oraculis ſilentium impoſuit, 121. Sibyllæ eum prædixerunt, 139. Auguſtus in ejus honorem Templum Romæ conſtruxit, 164. qua die conceptus fuerit, 165. Domus, in qua conceptus eſt, tranſlata Nazaretho in Dalmatiam & Lauretum, 172. 175. 177. 179. qua die in lucem editus fuerit, 183. num intra vel extra Bethleemum, 187. Erat ne in ejus Præſepi Bos & Aſinus, 189. Ubi & a quo circumciſus, 192. quando nam Magi, eum adoraturi, Bethleemum adventarunt, 208. 213. adoraverint ne tanquam Deum, 216. 218. 221. 223. 228. 231 234. 236. 239. De ejus in Templum Præſentatione, 246. ad 259. Falſæ Ægyptiorum Traditiones de ejus in Ægyptum itinere, 260. Ejus præſentia in Ægypto expulit Dæmones ex Idolis. 226, & ſeq.
Jeſus Chriſtus confert Sanctitatem aquis Jordanis, 265 quo die verterit aquam in vinum inter Nuptias Ganæ, 269. & ſeq. Ad Abgarum Epiſtolam dedit, 273. ad ipſum miſit imaginem ſuam, 287. & ſeq. Agnum Paſchalem pridie Mortis ſuæ manducavit, *Tota Diſſ. 3. lib. 4. necnon* 454. *uſque ad finem*. Uſus eſt azymo pane ad Euchariſtiam inſtituendam, 356. & ſeq. Num pro ea ceremonia veſtes mutaverit, 418. & ſeq. Hymnum cecinit poſt cœnam, 433. & ſeq. Epoca Mortis ejus. 322. 335.
Vide *Imagines & Epiſtolas Jeſu Chriſti*.
Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus deceptus eſt de Luſtrationibus, 251. Sermo ejus nomine citatus, ſuper hac re maxime ambiguus eſt. 252
Imagines Jeſu Chriſti. Autores qui de Edeſſena meminerunt, 287. Hiſtoria hujus Imaginis, 288. Miracula ab ea patrata, 289. Conſtantinopolim transfertur, 290. deinde Romam, 291. Quæ de hac Imagine perhibentur, fabulosa non ſunt, 292. & ſeq. Autores, qui de Simulacro Paneadenſi meminerunt, 294. Extabat tempore Juliani Apoſtatæ, 295. Conjecturæ adverſus hanc Imaginem, 296. & ſeq. Imago Sanctæ Faciei, Veronica nuncupata, quæ Romæ colitur; Autores de ea loquentes, 443. & ſeq. Hiſtoria ejus Romam Translationis, 441. Animadverſiones in Inſcriptionem ejus, quæ Monſtrolii eſt, 447. *Inſcriptio* hæc Græca non eſt, 451. ſed Moſcovita. 452. & ſeq.
Innocentius I. Pontifex in Decreto ſuo utitur voce *Fermenti*, quæ interpretatur, 362. & ſeq. Affirmat, Eccleſias Occidentis fundatas fuiſſe a Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, ſive ab eorum Succeſſoribus. 399
Innocentius III. Papa loquitur de Supplicatione ſolemni, in qua Romæ deferebatur Sancta Facies. 444
Inſcriptio ſuppoſita imagini S. Faciei Monſtrolienſis non eſt Græca, ſed Moſcovita. 452. & ſeq.
S. Joannes Evangeliſta interdixit, & de Sacerdotio dejecit Presbyterum quendam, qui mendaces Apoſtolorum hiſtorias conſcripſerat, 13. laminam auream in fronte gerebat, 421. 428. cujuſmodi eſſet ejus Mitra, 422. cui diſtributæ ſint ejus veſtes ſacræ, 424. Recitat cap. 17. Evange-

gelii ſui Hymnum, quem cecinit Chriſtus Dominus poſt ultimam cœnam. 433
S. Joannes Chryſoſtomus ait, ex vetuſta Traditione celebrari Nativitatem Jeſu Chriſti VIII. Kal. Januarii, 184. Magos eum adoraſſe tanquam Deum, 218. Feſta, quæ ipſius ætate celebrabantur, 253. Miracula, quæ narrat, aquarum, quæ benedicebantur octavo Idus Januarii, quæque incorruptæ, ad annum uſque ſervabantur, 267. Suſtinet, Jeſum Chriſtum Paſcha Legis celebraſſe in pervigilio Mortis ſuæ. 307. 313
S. Joannis Damaſceni Traditiones de Maria Virgine, ejuſque Parentibus a Criticis rejiciuntur, 67. Hiſtoriam nobis dedit Imaginis Edeſſenæ. 287. & ſeq.
Joannes III. Pontifex. Vide *Innocentium* I.
Joannes VII. extruxit Romæ Sacellum magnificum, in quo Sanctam Faciem collocaret 443
Joannes V. Dux Brittaniæ celebrem Sodalitatem inſtituit, titolo Sanctæ Veronicæ. 447
Joannes, dictus Jejunator, Patriarcha Conſtantinopolitanus, primus omnium Œcumenici titulum aſſumſit. 415
Joanna Papiſſæ hiſtoria fabuloſa eſt. 99. & ſeq.
Jordanis aquæ ſanctæ effectæ ſunt Jeſu Chriſti baptiſmo, 265. Miris modis ægrotis multis medentur. *ibid.*
Joſephus multa intulit in ſuas Antiquitates Judaicas ſine ſponſore. 24. 25
S. Irenæus ait, Magos adoraſſe Jeſum tanquam Deum, 218. Exiſtimat, morem aliquem, ubi ferveturin Eccleſia aliqua erecta ab Apoſtolis vel eorum Succeſſoribus, proficiſci non poſſe, niſi Apoſtolica Traditione. 398. 404
Judæi autores non ſunt Carminum, quæ Sibyllis tribuuntur, 159. & ſeq. Autores, queis placuit, eos celebraſſe Paſcha die Veneris, 351. & ſeq. Quam precationem recitent poſt cœnam. 434. & ſeq.
Julius Cæſar quem diem addixerit Solſtitiis ætatis & hyemis. 184
Julianus Apoſtata juſſit everti Paneadis ſtatuam Jeſu Chriſti, ut ibi ſuam collocaret. 295. & ſeq.
Junilius Epiſcopus Africæ ait, Jeſum Chriſtum manducaſſe Paſcha Legis, atque inſtituiſſe Myſteria Corporis & Sanguinis ſui. 308
S. Ivo ex mente Bailleti Acta habet mendaciis ſcatentia. 73
S. Juſtinus Martyr affirmat, Sibyllam prædixiſſe perſpicue adventum Jeſu Chriſti, 139. 142. 156. 158. Primus eſt qui dixerit, Stabulum, in quo Chriſtus Dominus in lucem editus eſt, non in Urbe Bethleemi, ſed prope Urbem poſitum fuiſſe, 187. Ait, Magos verum Deum cognoviſſe. 218
Juvencus videtur indicare, Sanctum Simeonem fuiſſe in Templo, cum Virgo ſemetipſam purificatura in illud ingreſſa eſt. 259

L

Lactantius ait, invocato tantum Dei nomine, Dæmones exiiſſe ab Oraculis, atque a corporibus divexatis, 123. decem Sibyllas admittit, 136. teſtaturque, eas Filii Dei Nativitatem prædixiſſe, &c. 140. Ethnicis Librorum Sibyllinorum lectionem proponebat, 143. tuetur, Chriſtianos nihil in hæc carmina intuliſſe, 144. Carmina Sibyllæ Erythreæ fuiſſe in manibus omnium, 151. & myſteria incomprehenſibilia complexa fuiſſe. 153
Lamius, Oratorii Presbyter, opinatur, Jeſum Chriſtum non comediſſe Agnum Paſchalem in Mortis pervigilio, *Tota Diſſ. 3. lib. 4.*
Laodicenum Concilium cum prohibuiſſet, ne ullum in Quadrageſima Feſtum celebraretur, juſſit Feſtum Annunciationis celebrari tempore Adventus. 171
Launojus Autores Eccleſiaſticos bene multos nimiæ credulitatis accuſat, 55. Utitur argumento ſuo negante, ut impetat Hiſtoriam Translationis S. Domus Lauretanæ, 179. affirmatque, Eccleſias Græcam & Latinam adhibuiſſe multorum Sæculorum intervallo panem fermentatum ad Sancta Myſteria. 357
Legendas Breviariorum ſtad regularum Criticarum amuſſim exigeremus, ferme omnes delendæ eſſent, 69. 70. Licet dubiæ, tamen ſervari poſſunt, 75. Cujus rei argumenta afferuntur. 76. 78
Lauretum quo anno Domus Sanctæ Virginis translata fuerit Nazaretho, 174. argumenta hujus Translationis, 175. 176. 179. Prærogativæ a Pontificibus huic Eccleſiæ conceſſæ. 176

S. Leo Pontifex Sermonem habet de Feſto Annunciationis Mariæ Virginis, 168. & ſeq. Ait, Magos cognoviſſe Divinitatem pueri Jeſu, 220. 221. Anne celebraretur ætate ejus Feſtum Purificationis. 254

Leoni III. Pontifici Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus Pœnnlam mittit, 423. Ditiſſimis muneribus donat Sacellum Sanctæ Faciei. 414

Leo Papa IV. jubet, ne quidpiam ponatur ſuper Altare præter Reliqnias Sanctorum, & quatuor Evangelia. 375

Leo Papa IX. ait, Eccleſiam Latinam in Azymo ſemper divinam rem eelebraſſe. 390

Libri, uſibus Eccleſiæ deſignati, pias Traditiones Fidelibus proponunt, 3. 7. 15. 16. 79. quidquid continent, ad Fidem minime pertinet. 74. 242

Librorum Apocryphorum multiplex genus, 277. 280. 282.

Liturgiæ multæ imperant, ſignari Cruce panem conſeerandum. 380

Lucæ Brugenſis locus de adoratione Magorum ab Epiſcopo Meldenſi contra Simonium enodatur. 227. 228

S. Luciæ Virg. & Mart. Acta ſecundum Bailletum complectuntur facta aperte falſa. 74

S. *Ludovicus* Galliarum Rex Nazarethum petiit; ibique ſolemnibus Sacris interfuit, & celeſti dape refectus eſt in domo, in qua Chriſtus conceptus eſt. 174. 178

Lupercalia Feſta Romanorum quando celebrarentur, 247. 248. Victimæ in iis immolatæ, 249. in quo a Luſtrationibus differrent. 251

Luſtrationes, Feſta Romanorum. *Vide proxime Lupercalia*.

M

Mabillonius ait, cum factum aliquod vetuſtum ſatis teſtatum eſt, tum ſatis eſſe ad illud ſtatuendum, ſi reſpondeamus argumentis, quæ in illud afferuntur, 101. Ejus ſententia de Uſu panis Azymi in Eccleſia Latina, 357 359. 367. Ejus conjecturæ, 370. & ſeq. Animadverſiones in ejus ſyſtema, 386. Contendit, a temporibus Apoſtolicis Græcos Sacra feciſſe in pane fermentato, 400. Quod cogitatum tribuat Philoppono, 403. Quomodo explicet, S. Epiphanium Ebionitas reprehendiſſe, 405. Ejus conjecturæ de Uſu panis fermentati apud Græeos, 411. & ſeq. Ejus animadverſiones in Inſcriptionem ſuppoſitam S. Faciei Monſtrolienſi. 447. 448

Magorum vox quid ſignifieet, 204. E qua regione Bethleemum venerunt, *ibidem*. Eorum inſtitutum, & nomina, 205. & ſeq. Num Reges fuerint, 206. Bethleemum adventarunt octavo Idus Januarii, 209. 213. Adoraverunt Jeſum Chriſtum tanquam Deum, 216 221. 223. 228. 236. 231. 239. Munera, quæ Filio Dei obtulerunt, quid ſignificent, 219. Nonnullis Patribus placuit, eos fuiſſe Balaami Succeſſores. 219

Magia duplex genus. 204. 205

Makad, Sacellum Turcicum. 262

Manethonius Herodotum earpit, quod aliquando mendacio laboraverit. 58

S. Marciani ſingulare exemplum charitatis, 423. 424

Maronitæ propugnant, Uſum Azymorum vetuſtiſſimum eſſe in eorum Eccleſiis, 409. 410

S. Martinus Archiepiſcopus Turonenſis everti juſſit Altare, quod falſo Martyri erectum erat. 102

Martyres Tyrannorum juſſu tumulabantur ſimul cum Judæis, ut eorum oſſa permiſcerentur, & non ſemel etiam eum beſtiis. 10

Martyrologia nobis proponunt aliquando Traditiones pias, 3. 5. 7. Aſſerunt Critici aperte, ea fabulis plena eſſe, 30. 60. Nunquam id ſuſcepit Eccleſia, ut nihil in eis poneret, quod ineoncuſſum non eſſet, 74. Antiquiſſima eorum indicant Conceptionem Jeſu Chriſti octavo Kalend. Aprilis, 168. Nativitatem octavo Kalend. Januarii, 184. Circumciſionem octavo die a Nativitate, 184. Mentionem faciunt Purificationis Beatæ Virginis, 253. Ea, quæ meminerunt Sanctæ Faciei. 446

Matharea extat fons, Chriſtianorum atque Infidelium veneratione cultus. 261

Mauditius Oratorii Presbyter confugit ad Tabulas Aſtronomicas, ut probet, Jeſum Chriſtum Paſcha celebraſſe in pervigilio Mortis. 301

S. *Maximus* Taurinenſis narrat id, quod induxit Eccleſiam, ut tria Feſta in die Epi-

Epiphaniæ celebraret, 202. & quare tres Magi venerint Chriſtum aduraturi. 222

Mediolanenſis Eccleſia nunquam Feſta admiſit tempore Quadrageſimæ, 271. Servavit ſemper in Officio Divino Ritum Ambroſianum. 395. & ſeq.

In Melchiadis Papæ Decreto quomodo intelligenda ſit vox *Fermentum*. 362. & ſeq.

Menardus loquitur de duplici Oblationum genere, quæ fiebant ad Altare. 379

Michael Cærularius. *Vide Cærularium*.

In Methodii Epiſcopi Tyrienſis locum de S. Facie opiniones Auctorum referuntur. 441. 442. & ſeq.

Milevitanum Concilium jubet, Precationes, Orationes, Miſſas, Præfationes, &c. probandas eſſe in aliquo Concilio. 15

Millenariorum opinio, licet a multis Patribus propugnata, tamen damnata fuit. 346

Minutius Felix tribuit Dæmonibus Oracula Idolorum, 118. ait, eos fateri cogi quid ſint coram Chriſtianis. 123

Miracula patrata in Ægypto coram Jeſu Chriſto, 262. 263. ab aquis Jordanis, 265. Quæ facta fuerint in memoriam aquæ in vinum converſæ Nuptiis Canæ, 270. 271. admiſſa a Proteſtantibus, 267. 270. alia Miracula, quæ fiebant in die Paſchæ. 272

Miſſalia. *Vide Breviaria*. *Libros Eccleſiæ*, Multa ſunt, quæ S. Faciei mentionem habent. 446

Mitra Dei nativitatem Pagani celebrabant octavo Kalendas Januarii. 185

Mitram Epiſcopi detulerunt a primis ſæculis. 426. 428

Monaſterium conſtructum in ripa Jordanis contra locum, in quo Chriſtus baptizatus eſt. 265

Montacutius Ricardus, Epiſcopus Norvicenſis, contendit, nihil eſſe in Epiſtolis Abgari ad Jeſum, & Jeſu ad Abgarum, quo ſint rejiciendæ. 277

Monſtrolienſis Faciei Inſcriptionem qui memoraverint, 442. 443. & ſeq. 444. 445. 446

Moriſſonius Canonicus Baro-ducenſis quid habeat de Sancta Domo Nazarethica. 181.

De la Mothe le Vayer exprobrat Dionyſio Halicarnaſſeo quandam credulitatis indolem, qua fabulas obtrudit, 58. Extollit e contra meritum Herodoti. *ibidem*.

Moyſes Catholicus quare Romam pergere recuſaverit. 409. 413. 416

Mureti Carmina de Sancta Domo Lauretana. 182

Myſteria præcipua noſtræ Religionis complectuntur Verſus Sibyllini, 139

N

Natalitas Jeſu Chriſti Paganorum Oraculis ſilentium impoſuit, 119. & ſeq. Prædicta eſt a Sibyllis, 139. contigit octavo Kalend Jan. 183. Quo ritu Feſtum hoc celebraretur Rhotomagi. 186

Nannatenſe Concilium quid dicat de Eulogiis, & de modo eas benedicendi. 381

Neapoli ſervatur ampulla ſanguinis S. Stephani, quæ liquefit in ſingulos annos die 3. Auguſti, dicata Inventioni Reliquiarum ejus. 272

In Navarram quo tempore Officium Romanum introductum fuit. 396

Nazarethi venerabatur adhuc ſæculo tertiodecimo domus, in qua Jeſus Chriſtus conceptus fuit, 172. quo tempore translata in Dalmatiam fuerit, & Lauretum. 174. & ſeq.

In Nicæno Concilio ſententia Aſianorum de die Feſti Paſchalis damnata fuit, 341. 343. 345

Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus mittit ad Leonem III. Pontificem Pœnulam. 413

S. Nico Armenus de quo redarguat Nationem ſuam. 411

Noailles Cardinalis emendandum curavit anno 1697. Breviarium Pariſienſe, 62. Cautum eſſe voluit anno 1702. ne legeretur Novum Teſtamentum Simonii. 216

Notarii Romæ, qui Martyrum Acta colligerent. 12

O

Oblationibus Fidelium quo pacto uterentur. 378. 381. 384
Oecumenici titulum quo primum tempore sibi vendicaverint Episcopi Constantinopolitani. 415
In Officiis Ecclesiæ mentio fit Sibyllæ, 141. ex quibus constent. 242
Oraculorum origo incerta est, 112. vetusta sunt, 113. differunt a Magia, 114. quid intelligitur nomine Oraculorum, *ibidem*. Multiplex sententia de hac re, 115. Principes & Philosophi eos consuluerunt, 125. Historici item profani, 126. Quandiu extiterunt, *ibid.* Qua ratione ederentur, *ibid.* Dæmones in iis locum habuerunt, 114. Sententia hæc probatur e Sanctis Patribus, 117. e Divinis Litteris, 119. Tempore Nativitatis Salvatoris conticuerunt, 120. Christiani & Sanctorum Reliquiæ eos pellebant ex Idolis. 122. 123
Oraculum Regi Thuli redditum mendax est, 162. nec non aliud redditum Augusto de puero Hebræo. 163
Oracula Romanorum. 113
Oracula Sibyllarum, *Vide Sibyllas*.
Orientis Ecclesiæ diu variarunt super die Festi Nativitatis Jesu Christi, 185. Ceremoniæ ipsius octavo Idus Januarii. 267
Orientales 6. Januarii die benedicebant flumina regionis. 368
Origenes putavit, Dæmones Oracula edere, 117. & Christianos nihil intulisse falsum in carmina Sibyllarum, 144. contendit, Jesum Christum Paschа Legis celebrasse in pervigilio Mortis suæ, 307. 458. & necesse esse servare observantias Ecclesiasticas multas, quamvis earum lateat origo. 397
Ovidius ait, quamvis Kalendæ Januarii tot solemnitatibus celebres essent, non tamen in eis populum Romanum vacasse, sed quemque Arti suæ operam dedisse, 194. Æneam autorem esse Festi Manium, 250. & seq. Fluviumque Lyncestrium habuisse colorem & saporem vini. 271

P

Pænula S. Pauli erat Vestis Sacra, 422. 423. Ejus figura, 423
Paganismus quanquam abolendus non fuisset, Oracula tamen cessassent. 120
Paneas Urbs Phœniciæ, in qua Hemorissa fuit sanata a Christo Domino, ipsique Statuam erexit. 294
Pantaleon Jacobus hortatur Matronas Monstrolienses, ut recipiant Sanctam Faciem. 447
Papias Episcopus Hierapolitanus propugnavit errorem Millenariorum. 346. & seq.
Paschа Legalis, *Vides Jesum Christum, & Lamium*.
Parisii, *Vide Breviarium Parisiense*.
Paschasinus Episcopus Lilybeensis refert Miraculum, quod patrabatur singulis annis in die Paschæ. 272
Patres Sancti Opera confecissent fabulis referta, si oporteret, Criticorum principium audire, 25. 26. Iidem Critici eos accusant, quod e fontibus contaminatis res hauserint, 54. 146. Magis deferendum est Sanctis Patribus, quam Criticis, 150. Non est necesse, eos scripsisse Tractatus de facto eo, de quo *scribentes fidem mereantur*, 113. 316. 318. dixerunt, Oracula Paganorum fusa esse a Dæmonibus, 117. 126. adventum Jesu Christi ipsis silentium imposuisse, 119. & Christianorum virtute ab Idolis expelli, 122. Eorum sensa de Carminibus Sibyllarum, 139 141. Hortati sunt Ethnicos, ut ea legerent, 143. nullam mentionem fecerunt de Oraculo reddito Augusto de puero Hebræo, 163. Quid senserint de die Conceptionis Filii Dei, 166. 169. de die Nativitatis, 184. de loco, in quo natus est, 187. de Bove & Asino Præsepis, 190. Quid intelligant hac voce *Epiphania*, vel *Theophania*, 201. Dixerunt, Magos adorasse Jesum Christum, tanquam Deum, 218. 222. Sancto seni Simeoni tribuunt Sacerdotis dignitatem, 256. ajunt, præsentiam Jesu Christi in Ægypto os Idolis obturasse, 263. eundem Baptismo suo aquas Jordanis sanctificasse, 265. Baptismate lotum fuisse die 6. Ja-

6. Januarii, 268. Paſcha Legis celebraſſe pridie Mortis ſuæ, 306. *Vide Paſcha.*

Paulus Samoſatenus damnatus a Concilio Antiocheno de ſuppreſſis Hymnis & Canticis. 438

S. *Paulinus* ait, ætate ſua collocari ſolitam Euchariſtiam ſuper Altare. 376

Pellerinus quid ſcribat de miniſtro & de cultro, quo circumciſus eſt Chriſtus Dominus, 191. Impugnat Senis Simeonis Sacerdotium, 258. Contendit, Conſtantini donationem vetuſtiſſimum, quod extet, monumentum eſſe veſtium Pontificalium, 419. Exploditur ſententia hæc. 428. & ſeq.

Peréfixius Archiepiſcopus Pariſienſis anno 1670. conſilium cepit emendandi Breviarium Eccleſiæ ſuæ. 62

Petavius mentionem facit Opuſculi cujuſdam Petri Alexandini, 332. ſententiam S. Epiphanii de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate hujuſmodi exiſtimat, ut tueri illam nemo poſſit. 458

Petitus Medicus quid ſentiat de voce Sibyllarum, 135. unam duntaxat fuiſſe affirmat. 136

Petitdidianus ſuſtinet, Carmina Sybillarum ſuppoſititia eſſe, 138. atque Opera alicujus Chriſtiani hominis. 158

S. *Petri Alexandrini* e Chronico Paſchali locus maxime ambiguus eſt, ne dicam ſuppoſititius, 331. 334. 336. 460

S. *Petrus Chryſologus* magitia recitat, & damnat, quæ committebantur primo Januarii die, 196. affirmat, Magos Jeſum Chriſtum tanquam Deum adoraſſe. 223

Pezronii opinio de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate videtur inutilis. 321. 322

Philo autor eſt, Chriſtianos Alexandrinos dediſſe operam carminibus Hymnorum, Canticiſque ſcribendis. 438

Philoponus quid ſentiat de uſu Græcorum Sacra faciendi in pane fermentato, 402. Loquitur tantum de more temporis ſui, 404. Argumentum Operis ejus. 416

Phocas Imperator interdicit Patriarchæ Conſtantinopolitano titulum Oecumenici. 415

Photii judicium de Opere S. Hypoliti Portuenſis, 335. non exprobravit Eccleſiæ Latinæ uſum Azymorum in Sacris Myſteriis, 384. 392. ait, Hymnos inſtitutos eſſe ad rerum prætetitarum memoriam celebrandam. 437

Pienudus primus eſt, qui Lamianam de Paſchate Sententiam adorſus ſit. 317

Plutarcus narrat funeſtam hiſtoriam cujuſdam Oraculi Delphici Antiſtitæ. 28

S. *Polycarpus* colloquitur Romæ cum Sancto Pontifice Aniceto, quanquam de Feſto Paſchatis inter ſe diſcriminarentur. 336

Polycrates Epiſcopus Epheſinus anteſignanus eorum erat, qui putabant tempore Victoris Papæ, celebrandum eſſe Paſcha 14. Luna Menſis Martii. 334. 338

Portus Regalis Pariſienſis ſervat Urnam, quæ perhibetur fuiſſe Nuptiarum Canenſium. 269

S. *Praxedis* Acta ex Bailleto falſa ſunt. 72

Priſcillianiſtarum hymnus, quem ferebant Chriſtum Dominum ceciniſſe poſt Euchariſtiæ inſtitutionem. 433. 434

Prophetia Donum tribuit aliquando Deus tum bonis, tum etiam malis. 153

Propoſitiones damnatæ a Pontificibus atque a Clero Gallicano. 241

S. *Proterus* Patriatcha Alexandrinus ſuſtinet, Jeſum Chriſtum comediſſe Agnum Paſchalem in pervigilio mortis. 328. 335

Proteſtantes quænam miracula admittant, 263. 270. Judicium eorum de Epiſtolis Jeſu Chriſti ad Abgarum, & Abgari ad Jeſum Chriſtum, 273. Quinam in haſce Epiſtolas verterint arma, 286. In Imaginem Edeſſenam, 289. 291. & In Paneadenſem. 296

S. *Prudentius* ait, poſt Incarnationem Filii Dei Oracula obmutuiſſe, 121. Bovemque & Aſinum in Jeſu Chriſti præſepi fuiſſe, 190. quomodo deſcribat ornamenta Summi Ethnicorum Pontificis. 427

Purificatio Mariæ Virginis quando & quare inſtituta. 247. 250

Q

Qualitates Historicæ. 24. 55. 57
Quartodecimani vituperati fuerunt, quod dixerint, Jesum Christum Pascha Legis fecisse, pridie quam moreretur, 334. Non erant hæretici ante Concilium Nicænum. 336. 339
Quintus Curtius refert formam Mitræ Darii. 421

R

Rabanus Maurus animadvertit, Sacerdotes præparasse panem Consecrationis, 380. atque Azymos in Ecclesia Latina semper usurpatos fuisse. 391. 392
S. Radegundes mittebat Ecclesiis panes necessarios pro Sanctis Mysteriis. 384
Rapini Jesuitæ judicium de Tacito, 56. de Herodoto. 58
Regula Criticæ ad expurgandum a fabulis Historiam Ecclesiasticam, 23. Incommodæ harum regularum consecutiones, 24. 27. 38. 50. 52. 68. 69. 80. 81. 84. 104. Non est nulla Critices Regula, quæ possit ceteras emendare, 106. Regula princeps Criticorum non est huic muneri accommodata. 108
Regula adhibitæ pro emendatione Breviarii Parisiensis, 15. 63. accuratio regularum istarum, 64. accuratio Breviariorum Parisiensis, & Senonensis. 65. 68
Regula Ecclesiæ, ne Fideles falsis historiis falsisque Reliquiis deciperentur, 11. 12. 79. fructus atque utilitas Regularum istarum. 80. & seq.
Regula ad Ecclesiasticas & Criticas præceptiones accommodatæ pro recipiendis Traditionibus piis, easque ab erroribus popularibus secernendis. 83. 84. 85. 90. 94. 97. 99. 100. 101. 238
Regula ad dignoscendum, utrum loci alicujus sensus, in Scripturis aperte haud enunciatus, sed Fidem pertineat, atque ad percipiendum verum Bibliorum sensum. 327
Regula Sanctorum Augustini atque Irenæi de multis Institutionibus sanctis, quas servat Ecclesia ex Traditione. 396
Regula Cardinalis Bonæ ad internoscendas fabulas atque historias. 88. & seq.
Regula Gersonis, qua ostenditur, adhibendam esse moderationem, ubi agitur de piis Traditionibus detrahendis. 405. & seq.
Reischil conjecturæ adversus Statuam Paneade erectam. 396. & seq.
Relatio alicujus in cœtum Beatorum præparatio est ad Apotheosin. 74
Religio conferre potest, ut credamus iis, quæ refert Historicus aliquis. 57
Reliquiæ Sanctorum expellunt Dæmones ex Oraculis, 123. & seq. Ante sæculum IX. super Altare haud collocabantur. 374
Reliquiarum falsarum interdicta veneratio, & quid præstaretur, ut germanæ a falsis distinguerentur. 10. 22. 14. 25. 79. 92. 93
Responsa ad quædam objecta, quæ proposita sunt in Ephemeride Hagæ Comitum adversus Regulas & Usum Critices. 106. & seq. 109. & seq.
Rhodiginus refert ad tria genera Græcorum Hymnos. 432
Rinalducius quid scribat de Translatione domus Mariæ Virginis in Sylvam Recinetensem. 165
Ritus quadrifariam immutari potest, 392. 397
Roma a quo obsessa & depopulata. 363
Romanorum Festa. 194
Rhotomagi agebatur Festum Azymorum, & qua ratione. 186
Ruinartii Acta Martyrum quædam essent falsa aut suppositicia, consulto Regularum Criticarum Bailleti. 77

S

Saba nomen est duarum Provinciarum. 212
Sacio tribuitur interpretatio Hymnorum Breviarii. 439. 440
Sacerdotes parare debebant panes Consecrationis, 379. sepositas habebant Æ vis primis vestes peculiares pro Sanctis Mysteriis, 420. 426. 431. non secus atque Sacerdotes Judæorum, 427. atque Ethnicorum. *ibidem*.
Sanctos Viros Tyranni humabant aliquando

do in Sepulchris Judæorum, aut ipſorum oſſa cum animalium oſſibus permiſcebant, 10. quo tempore eæptum ſit eruere illorum corpora, 10. 11. ceremoniæ Apotheoſis ipſorum. 14.15
Salominus non eſt ille, cujus Sibylla adventum prædixit. 156
Saluſtius, egregius hiſtoricus. 56
Sancius Rex Aragoniæ & Navariæ juſſit, ut Officium Romanum in Regno ſuo recitaretur. 396
Sanctevillius Canonicus Regularis S. Victoris, Auctor Hymnorum Breviarii eum Pariſienſis tum Cluniacenſis. 449
Saturnalia Feſta Romanorum quid eſſent. 249
Scriptura nos Inducit, ut credamus, Dæmones Oraculis præfuiſſe, 119. quomodo interpretanda ſit, 235. Regulæ ad ejus germanum ſenſum aſſequendum. 327
Sedulius in ſuis Hymnis de Sanctis Regibus ait, Magos cognoviſſe Chriſtum tanquam Deum. 221
Senonenſis Concilii decretum de Breviariis, Miſſalibus, &c. 15. accuratio novi Breviarii Senonenſis, 65. *Vide Breviarium*.
Serapidis Templum & Simulacrum, quo tempore everſa. 163
Serenus Samonius, Medicus, adhærebat Magicis Baſilidianorum ſuperſtitionibus. 448
Sergius Papa nonne introduxerit morem cereorum in Solemnitate Purificationis. 225
Sibylla. Etymologia nominis, 135. numerus Sibyllarum, 136. ſententiæ de carminibus ipſis tributis, 137. ipſæ carmina illa compoſuerunt, 138. Myſteria, quæ complectuntur, 139. 141. 144. 151. 154. 156. confecta minime fuerunt poſt adventum Jeſu Chriſti, 140. fulta ſunt Traditione, 141. 142. 146. 150. expenditur, quo tempore conficta credantur, 154. Eccleſia ab ortu ſuo in poſſeſſione eſt teſtimonii, quod Filio Dei Sibyllæ reddiderunt. 160. & ſeq.
S. Simeon, qui inter Ulnas ſuas Chriſtum ſuſcepit, eſſet ne Sacerdos, 257. 259. atque in Templo, eum eo Virgo pervenit. 252
Simonii Novum Teſtamentum a quo reprobatum, 217. ejus opinio de ſuprema Magorum adoratione, 218. fatetur, opinionem Patrum eſſe, Magos agnoviſſe Chriſtum tanquam Deum, 220. Autores, quos citat, ipſi non favent, 224. 228. imbecillitas argumentorum ſententiæ ſuæ, 228. 230. Socinianorum erroribus indulgent, 230. Ejus verba de Interpretibus Scripturarum, 232. ſemetipſum condemnat, 223. & regularum ſuarum principia deſerit, 235. atque unanimem Patrum conſenſionem, 236 Fit ſatis ejus querelis, 240. Periculoſæ conſecutiones ſententiæ ſuæ. 344. Criticem ſuam Theologiæ anteponit. 245
Simonvillius ſuſtinet, ſæculis primis Sacerdotes Miſſam celebraſſe in veſte eomuni. 418
Sirmondus tuetur, Eccleſias Græcam & Latinam Sacra feciſſe ab ævis multis in pane fermentato, 357. Autores, quos in rem ſuam producit, 361. Nomine *Fermenti* Euchariſtiam intelligit, 362. Ejus conjecturæ, 377. 383. Animadverſiones in ejus opinionem, 387. Negat, Morem Azymorum in Eccleſia Latina ab Apoſtolis deſcendere, 390. & vult, Græcos ſemper uſos pane fermentato in Conſecratione. 400
Sobieſcki Joanni III. Regi Poloniæ, Chriſtiani Latini Hieroſolymis agentes, dono mittunt aliquantum aquæ Jordanis. 266
Sodalitates inſtitutæ ob cultum S. Faciei. 442
Solinus memorat tres Sibyllas. 136
Solſtitia conſtituta a Julio Cæſare. 184
Sozomenus narrat Traditionem Ægyptiorum de quadam procera Perſico, quæ ſe inflexit coram puero Jeſu. 261
Subdiaconi Romæ inſtituti, & quare, 12. quid in Galliis nomine Feſti Subdiaconorum intelligebatur. 195
Suetonius loquitur de Carminibus Sibyllarum. 152
Suidas habet in ſuppoſitis Oraculum Regi Thulenſi redditum. 262
Sully Eudus, Epiſcopus Pariſiorum, tulit Decreta ad abolendum Feſtum Subdiaconorum. 200
In Syricii Pontificis Decreto quid intelligendum ſit nomine Fermenti, 362. 367

T

Taciti Operum indoles, 56. ait, Auguſtum diligenter Carmina Sibyllarum inquiſiviſſe. 152

Tertullianus acriter inclamat adverſus licentias Chriſtianorum, quæ Kalendis Januarii committebantur, 195. Scribit, Oraculorum ipſorum confeſſione, ea eſſe Dæmonia, 122. Affertur pro pane Azymo, & contra illum. 368. 397

Teſtimonium unanime parit veritatem moraliter certam. 87

Theebaldus Epiſcopus Lingonenſis conſulit Metropolitam ſuum de Reliquiis Sancti ignoti, delatis a Monachis S. Benigni Divionenſis. 93

Theodoretus ait, Dæmones reddidiſſe Oracula falſa. 118

Theoduiphus Epiſcopus Aurelianenſis hortatur Presbyteros Diœceſis ſuæ ad parandos panes Conſecrationis. 379

Theophilus Patriarcha Alexandrinus loquitur de Sibylla. 139. 143

S. Thomas Aquinas ait, hominem prophetam eſſe poſſe, quamquam bonus non ſit, 154. Jeſum Chriſtum manducaſſe Agnum Paſchalem pridie mortis ſuæ. 308

Thomaſſinus deſtruit Epocham Conceptionis Filii Dei, 166. 169. Saturnalia a Lupercalibus non diſtinguit, 248. Quid ſentiat de fluminibus, quæ Orientis populi benedicebant ſexta Januarii die, 267. Non credit, Jeſum Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam veſte aliqua peculiari, 418. Teſtatur, Sacerdotes ævis primis habuiſſe veſtimenta peculiaria pro Divinis Miſteriis. 424. & ſeq.

Thomaſius quid intelligat voce *Fermenti*. 363

De Thulenſi Regi reddito Oraculo narratio fabuloſa eſt. 262

S. Thyrſi M. Acta non ſunt authentica ex Bailleto. 23

Tiberius Imperator miſit ne Legatos ſuos ad Jeſum Chriſtum, ut ad ſe ab egritudine moleſtiſſima liberandum veniret. 441

Tillemontii opinio de piis Traditionibus, 19. 28. 30. 31. 36. 52. 54. 61. 68. 87. de Epoca Conceptionis Filii Dei, 166. de Bove & Aſino Præſepis Domini, 189. de Feſto Epiphaniæ, 210. de adventu Magorum Bethleemum, 213. de Baptiſmo Jeſu Chriſti, 268. de Sacerdotio Senis Simeonis, 258. De Epiſtolis Jeſu Chriſti, & Abgari, 276. 281. de Imagine Edeſſena, 291. Qua ratione contendat conciliare quatuor Evangeliſtas de poſtremo Paſchate Jeſu Chriſti, 301. 304. 311. 455. Quod Judicium ferat de Chronico Paſchali. 331

Timotheus Presbyter Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ait, S. Simeonem ad Templum ante Mariam Virginem adveniſſe. 259

Titus Livius Fabulis redundat. 59

Tornardo placuit, Jeſum Chriſtum non feciſſe Paſcha Legis pridie, quam mortem ſubiret, 299. quas condiderit regulas, ut ſuper hac re quatuor Evangeliſtas conciliaret. 306. & ſeq.

Toletanum Concilium tranſtulit Feſtum Annunciationis ad octavum ante Natalem Domini diem. 172

Tourneux opinio de adoratione Magorum non favet Simonio. 225

Traditionis nomine quid intelligatur, 1. ejus diviſio, 2. quid veniat nomine piarum Traditionum, 3. 7. 8. multæ ſunt, quæ ad Fidem referuntur, 9. ſunt ſaltem probabiles, 48. Earum fontes, 53. quare Eccleſia illas proponat, 83. Regulæ ad eas recipiendas, 83. 84. 85. 90. 94. 96. 97. 99. 100. 101. 105.

Traditione docemur, Idolorum Oracula a Dæmonibus reddita fuiſſe, 117. 119. 122. 124. 126. 128. Et Sibyllas aliqua edidiſſe pro Religione, 138. 141. 142. 146. 150. 154. 158. 159. 160. quid ipſa ferat de Epochis Conceptionis Filii Dei, 166. Nativitatis, 183. de loco, in quo natus eſt, 187. de Bove & Aſino Præſepis, 189. de ejus Circumciſione, 192. de regia Magorum dignitate, 206. de tempore, quo Bethleemum pervenerunt, 209. 213. de adoratione, qua Jeſum Chriſtum tanquam Deum coluerunt, 218. 221. 223. 228. 231. 234. 237. 239. 243. de Sacerdotio S. Senis Simeonis, 256. de aquis Jordanis poſt Baptiſma Jeſu Chriſti, 265. de die ejus Baptiſmatis, 268. De Epiſtolis Jeſu Chriſti & Abgari, 275. & ſeq. ad uſque 286. de Imagine Edeſſena, 287. & ſeq. De Statua Paneadenſi, 294. & ſeq de poſtremo Paſchate Jeſu Chriſti, *paſſim to-*

ta Diſs. 3. *lib.* 4. De Uſu Azymorum in Eccleſia Latina, *tota Diſs.* 4. ejuſdem Libri; atque in Eccleſia Græca, *Diſs.* 5. De uſu veſtium ſanctarum in adminiſtratione Myſteriorum Divinorum, 420. 424. De uſu Hymnorum in Officiis Eccleſiaſticis. 437. & ſeq.

Traditiones ſuper nonnullis adjunctis Vitæ Jeſu Chriſti, Mariæ Virginis, atque Apoſtolorum, 45. 46. ſervatæ in Breviario Pariſienſi & Senonenſi &c. 67. 68

Traditiones vetuſtæ Ægyptiorum de puero Jeſu, 260. 261. Græcorum de die 6. Januarii, 266. 267 Aſianorum de celebratione Paſchatis, 345. & Judæorum. 351

Translatio Domus Mariæ Virginis Nazaretho Lauretum. *Vide Lauretum.*

Tridentini Concilii Decretum de interpretatione Scripturarum, 235. ejus mens in hoc Decreto, 236. non interdicit Bibliorum explicationem, *ibidem.* Ait, Jeſum Chriſtum veteri Paſcha celebrato, novum inſtituiſſe, 308. Quare Lamius non audiat Decretum Concilii hujus, 315. 316. Quod judicium de eo ferat Turneminus. 460. 461

Tullius Servius inſtitutor eſt Feſti Luſtrationum. 251

Turneminus Jeſuita propugnavit duabus Theſibus, Chriſtum Dominum non celebraſſe Paſcha Legis, 299. qui explicet mentem ſuam, 454 & ſeq. Reſpondet Autor ipſi. 463 & ſeq.

Turonenſe II. Concilium, reſtituens veteres Patrum Sanctiones, juſſit celebrari primo Januarii die Feſtum Circumciſionis, 193. Quamobrem, & a quo Concilium conditum fuerit, 374 & ſeq. Decreta de Hymnis, qui in Divino Officio canuntur. 439

V

Vandalii Medici Harlemitani opinio de Oraculis elevat gloriam Salvatoris, 118. 120

Vander-Hulſt Medicus Moſcovita contendit, Inſcriptionem S. Faciei Monſtrolienſis Moſcovitica Lingua ſcriptam fuiſſe. 453

Varro decem enumerat Sibyllas, 136. Teſtatur, Carmina Sibyllæ Erythreæ in hominum manibus fuiſſe. 151

Vaſa ſacra in uſu erant jam ab ævis primis. 432

Vaſſerius Michael carpit Marshamum, quod incredulis conceſſerit, Deum Autorem non eſſe Circumciſionis. 191

Vecchietus Hieronymus defendit, Jeſum Chriſtum non celebraſſe Paſcha Legis ante diem mortis ſuæ. 300. 330

Veritatum Catholicarum duplex genus. 85. 235

Veronica. Vide *Facies Sancta.*

Vertius Claudius putavit, panem fermentatum fuiſſe olim in uſu apud Eccleſiam Latinam, 357. quid accipiat nomine *Fermenti.* 363

Vicecomes Joſeph quomodo explicet oblationes Fidelium. 381

Victor S. Pontifex minitatur Aſiaticos, ſe eos a Fidelium communione ſeparaturum, niſi parerent, Feſtumque Paſchatis inſtar Occidentis celebrarent. 344

Victorius præter Canonem Paſchalem, egregiam Epiſtolam ad Hilarium Papam miſit de Feſto Paſchatis. 313

Via & rationes, quibus Eccleſia uſa eſt, ut falſas tolleret Traditiones, 9. 12. Falſas Legendas, 14. 15. 16. 19. 80. falſas Reliquias. 11. 12. 101. 103

Virgilius Carmina Sibyllarum recitavit, 151. 156. de Salonino intelligit, ea quæ loquuntur de Nativitate Filii Dei. 156

De Virgine Deipara Traditio multa reliquit nobis pia, atque optimi exempli, 46 De quibus loquuntur Breviaria in Eccleſiæ Officiis, 67 68. Sententia de ejus Aſſumtione ad Fidem non pertinet, 242. Ejus Domus Nazarethica Lauretum translata, Vide *Lauretum.*

Villegagnonus Nicolaus exiſtimavit, Jeſum Chriſtum non celebraſſe Paſcha in pervigilio Mortis. 300. 330

Univerſitas Pariſienſis ſcribit ad Epiſcopos, hortata, ut aboleant in Diœceſibus ſuis Feſtum Subdiaconorum. 199

Voſſii opinio de Oraculis Sibyllarum. 159

Urbanus V. Pontifex recenſet dies, in quibus Sancta Facies in populorum conſpectu collocaretur. 445

Urbanus X. mittit ad Monaſterium Monſtrolienſe exemplar Faciei Domini noſtri. 447

Urbanus VIII. Pontifex elaborari juſſit Magnificam thecam, in qua ponit Sanctam Faciem. 445

Urna oſtenditur in Monaſterio Portus Regalis Pariſienſis, quæ creditur uſui fuiſſe Nuptiarum Canenſium. 269
S. Willibaudus Epiſcopus Bremenſis loquitur de prodigiis, quæ operabantur in aquis Jordanis. 266
Voſſius quid afferat de Judæorum ratione dies ſupputandi. 302

X

Xenophon inter perfectos Hiſtoricos enumeratur. 56

Z

Zemiſces Joannes, Imperator Conſtantinopolitanus, cudere fecit Numiſma, in quo tres Reges ſculpti erant. 207

FINIS.